Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Franz Buddeus Johann Georg Walch

Io. Francisci Bvddei Theol. D. Et P. P. O. Compendivm Institvtionvm Theologiae Dogmaticae : Brevioribvs Observationibvs Illvstratvm

Lipsiae: Ienae: Ex Officina Thomae Fritschii: Excvdebat Petrvs Fickelscherr, MDCCXXIV

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1724821938

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Ed. post vid 3094.

F.h — 3179.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1724821938/phys_0002
DFG

IO. FRANCISCI BVDDEI
THEOL. D. ET P. P. O.

COMPENDIVM INSTITVTIONVM THEOLOGIAE DOGMATICAE

BREVIORIBVS OBSERVATIONIBVS ILLVSTRATVM,

CVRA

IO. GEORGII WALCHII
P. P. O.

CVM S. CAESAREAE MAIESTATIS ET REGIS POL. ATQVE ELECTORIS SAXONIAE PRIVILEGIIS.



LIPSIAE
EX OFFICINA THOMAE FRITSCHII,
M DCC XXXV.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1724821938/phys_0005
DFG

LECTORI BENEVOLO
S.

EX quo viri celeberrimi IO. FRANCISCI BVDDEI, ſoceri mei maxime venerandi, *inſtitutiones theologiae dogmaticae* in publicam prodierunt lucem, magnamque ſibi conciliarunt dignitatem, multi optarunt, vt opus hoc contractum ad eiusmodi compendii redigeretur formam, qua illis, qui in hoc diuinioris doctrinae genere ſiue docendo, ſiue diſcendo verſantur, commode inſeruiat adeoque ad quotidianum aptum ſit vſum. Cui deſiderio vt ſatisfieret, laborem hunc ſuſcepi non infauſtis, vt credo, auſpiciis, hac lege mihi praeſcripta, vt theſes quidem integras; ex obſeruationibus vero

vero breuitatis cauſſa ſelectas tantum, quae modo vberiorem explicationem ; modo probationem continent, ipſius celeberrimi auctoris verbis dicendique ratione exhiberem. Ea autem, quae ex hiſtoriarum monimentis doctrinarum fata copioſe illuſtrant, errorum fontes & cauſſas detegunt ac perpetuam veritatis caeleſtis monſtrant conſeruationem propagationemque, adnotare, compendii ratio adeoque breuitas haud permiſit. Quale igitur noſtri laboris ſit momentum, facile inde cognoſci poteſt. Selegimus, quae maxime neceſſaria atque vtilia ad ſcientiae huius doctrinam recte vereque capiendam iudicauimus, quaeue auctor interdum copioſe atque abundanter in explananda probandaque veritate diſſeruit, breviter ſummatimque pro argumenti ratione notauimus. Deus immortalis efficiat, vt caeleſtis doctrina, quam profitemur, inuiolata ſemper vigeat ſuumque ſplendorem adverſus hoſtium impetus tueatur, & in ſanctitatis exercitatione vberrimos ferat fructus.

Ienae d. XXVI! Mai. anno reparatae ſalutis
chriſtianae MDCCXXIV.

INSTITVTIONVM THEOLOGIAE DOGMATICAE LIBER PRIMVS FVNDAMENTA ET PRINCIPIA CONTINENS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1724821938/phys_0009
DFG

Q. D. B. V.

LIBRI PRIMI

CAPVT PRIMVM

DE

RELIGIONE ET THEOLOGIA.

Σύνοψις.

DEum esse, eumque colendum, omnibus natura notum est, §. I.

Idque ex sui ipsius consideratione homo cognoscere potest, §. II.

Religio itaque non hominum voluntate introducta, aut ab iis excogitata, sed omnium cordibus inscripta est, §. III.

Generatim accepta, duabus constat partibus, cognitione Dei, eiusque cultu, §. IV.

Ratio namque omnes docet, ens aliquod longe perfectissimum, quod Deum vocamus, reuera existere, §. V.

Deum porro rerum omnium esse causſam, prouidaque cura sua omnia dirigere & gubernare, §. VI.

Vnum quoque tantum esse Deum, §. VII.

Cumque sapientissimus sit, velle eum, vt homines vitam, rationis rectae dictamini conformem, instituant: idem vero, cum

iustissimus non minus quam benignissimus sit, punire eum peccata, recte autem facta remunerari, §. VIII.

Quod cum non semper in hac vita fiat, sequi inde, animam hominis post eam superesse, §. IX.

Non tantum dignum esse Deum, quem colamus, sed nostri quoque id esse officii, cum alias nobis felicibus esse non liceat, §. X.

Et Deus insuper, ceu supremus legislator, hoc praecipiat, §. XI.

Cultus Dei in quo consistat? §. XII.

Quae inde officia, intuitu & nostri, & aliorum, & ipsius denique Dei, fluant? §. XIII.

Haec omnia cum natura nota sint, oritur inde naturale conscientiae dictamen, §. XIV.

Praeter quod, lumen aliquod, aut verbum internum, vel simile quid, perperam in homine adseritur, §. XV.

Verissima licet sit religio naturalis, non tamen sufficiens est ad salutem, §. XVI.

Medium enim, quo cum Deo, ceu summo bono, vniri queamus, ignorat, nec viribus, vt Numinis voluntati morem gerere queamus, nos instruit, §. XVII.

Quod & scriptura sacra confirmat, §. XVIII.

Vsu tamen suo non destituitur, cum bases & fundamenta, itemque characteres verae religionis contineat, §. XIX.

Paedagogiam quoque, ad veram reuelationem agnoscendam, suppeditat, ostendendo eius necessitatem, §. XX.

itemque characteres verae reuelationis exhibendo, §. XXI.

Speciatim inde intelligitur, veram reuelationem debere esse vniuersalem, qualis & reuera fuit, §. XXII.

Hinc & eius primordia in religione patriarchali deprehenduntur, cuius demonstratur veritas, §. XXIII.

Ex naturalis & reuelatae religionis corruptio-

ne

ne orta est religio gentilis, §. XXIV.

Reuelata autem religio per Mosen restituta & amplificata est, hinc & veritas religionis Mosaicae demonstratur, §. XXV.

Licet nonnulla in religione Mosaica speciatim ad gentem israeliticam spectauerint; in se tamen considerata, vniuersalis fuit, quae litteris etiam consignata, §. XXVI.

Maximam lucem reuelata religio accepit per Christum, hominum seruatorem: simulque vniuersalitas eius luculentissime exposita, §. XXVII.

Christianae religionis veritas demonstratur, §. XXVIII.

Ex iis, quae secundum religionem reuelatam credenda sunt, oriuntur articuli fidei, qui vel puri, vel mixti sunt, §. XXIX.

Sunt etiam vel fundamentales, vel non fundamentales. Fundamentum fidei tum reale, tum dogmaticum, quodnam sit? §. XXX.

Qua ratione diiudicandum, an aliquid ad fundamentum fidei reale pertineat? §. XXXI.

itemque ad fundamentum dogmaticum? §. XXXII.

Articuli fundamentales quinam, & quotuplices sint? §. XXXIII.

Non fundamentales quinam sint? §. XXXIV.

Ex fundamentalium articulorum connexione oritur analogia fidei, §. XXXV.

Christiana religio non tantum credenda, sed & agenda praescribit; immo, tota ad vitae praxin est comparata, §. XXXVI.

Qui eius doctrinam explicare, ac rite defendere queunt, vt alios ad veram fidem perducant, aut in ea confirment, theologi nuncupari solent, §. XXXVII.

Quid theologia sit? §. XXXVIII.

Non Dei, quam de se ipso habet, nec beatorum, sed hominum, & huius quidem vitae, cognitionem, hoc nomine venire, §. XXXIX.

Per scientiam dum de-

scribitur, quidnam haecce secundum stilum scripturae significet? §. XL.

Est igitur theologia cognitio vera, §. XLI.

certa, §. XLII.

viua & efficax, §. XLIII.

Vnde non tantum cognitio falsa, & erronea, indifferentismus itidem ac scepticismus, sed & cognitio vita omni & praxi destituta, theologiae nomine indigna est, §. XLIV.

Obiectum theologiae tum materiale, tum formale, §. XLV.

Subiectum operationis est homo peccator, §. XLVI.

Finis theologiae, §. XLVII.

Non quaelibet rerum diuinarum cognitio theologum efficit: discrimen quod inter fidem & theologiam intercedit, §. XLVIII.

Subiectum theologiae, & quidem denominationis, est homo regenitus, §. XLIX.

Quod de theologia, pro habitu, non pro doctrina, sumta, est intelligendum, §. L.

Caussa efficiens tum salutis, tum theologiae, §. LI.

Varia est theologiam tractandi ratio: systematica minime reiicienda, §. LII.

Errorum, qui in hocce capite occurrunt, fontes, veraeque doctrinae conseruatio & propagatio, §. LIII.

Officia denique, ad quae haecce doctrina nos ducit, summatim indicantur, §. LIV.

§. I.

QVemadmodum & esse Deum, & rerum omnium huius vniuersi, ipsorum praecipue hominum, eum primam esse caussam, ratio euidenter omnes condocet; ita eumdem omni

omni honore, ſummaque adeo animi veneratione dignum, eamque ab hominibus iure meritoque exigere, ſua ſponte inde conſequitur.

§. II.

Idque ex ſui ipſius conſideratione homo, ſi paullisper animum aduertere velit, haud difficulter intelligit. Se enim non ſui ipſius eſſe cauſſam, nec, quidquid habet, a ſemet ipſo, ſed ab eo, cuius ſapientiam, potentiamque ſummam, veſtigiis luculentiſſimis vbique ſe prodere deprehendit, accepiſſe, ſtatim perſpicit. Cumque inter res creatas omnes, quae ſenſibus percipiuntur, ſolus intellectu gaudeat, ſolus etiam voluntatis quadam libertate praeditus ſit; hinc &, qui cultum honoremque rerum omnium auctori deferat, idoneus; id quidem ſuarum omnino eſſe partium, merito inde colligit. *

* Nimirum, vt religionis aliquis capax cenſeatur, tria requiruntur, (I) vt ab ente aliquo ſupremo, eoque perfectiſſimo, ſe prorſus dependere ſciat; (II) vt facultate, ens illud ſupremum cognoſcendi; & (III) ad eius nutum voluntatem ſuam componendi, praeditus ſit. Haec cum in hominem prorſus quadrent, ſequitur, ideo eum ita conditum, vt religionem admitteret, ſeu cultu religioſo Deum proſequeretur: ſequitur vero &, Deum hoc ab eo exigere.

§. III.

Religio ergo, generatim & in se spectata, non hominum voluntate introducta, aut in illorum arbitrio posita, multo minus ad alios decipiendos a callidis fraudum architectis inuenta, & excogitata; sed cum ipsis hominibus orta, animisque eorum, ipsa natura duce, insita; in omnium etiam animis, si modo non supina ignorantia aut malitia, naturae ipsi velut vim inferens, hoc impediat, sese exserit. Vt enim a natura homo habet, quod ratione sit praeditus; ita, quod & Deum esse, & eumdem rite colendum agnoscit, non minus naturae ipsi acceptum ferre debet. conf. *Rom. II, 15.*

§. IV.

Licet autem religio, voce speciatim accepta, Numinis cultum, ac venerationem significet; * quia tamen nemo Deum rite colere, aut venerari potest, qui non eo, quo par est, studio, quis, aut qualis sit, quoque pacto coli debeat, inquisiuit; recta eius omnino accedere debet agnitio. Vnde duas solent religionis constituere partes, ‖*veram Dei agnitionem, cultumque ei debitum.*

* Vocem *religionis* a religando, quia hominem Deo obstringit & velut cum eo colligat, dictam, dudum viris doctis obseruatum: vide LACTANTIVM libr. IV. cap. 28. *instit. diuin.* AVGVSTINVM *de ciuit. Dei* lib. X. cap. 4. Dicitur quoque religio ἐυσέβεια *actor. X, 2.* θρησκεία *act. XXVI, 5.* quamuis harum

harum vocum significatio sit, vt τὰ πρακτικὰ plerumque denotent.

§. V.

Quodsi ergo homo cuncta paullo adcuratius, diligentiusque, prout res tanti momenti postulat, consideret; facili negotio deprehendet, dari ens aliquod supremum, intellectu perfectissimo, summaque adeo sapientia, pariter ac voluntate liberrima praeditum, aeternum idem, omnis mutationis ac imperfectionis, quocumque nomine veniat, expers, potentissimum porro, vt vel solo nutu omnia, quae velit, peragere aut efficere possit, non minus vero benignissimum, iustissimum tamen simul, ac veracissimum, adeoque ab omnibus vitiis, naeuisque mortalium remotissimum, hoc est, sanctissimum.

§. VI.

Deprehendet porro, ens hocce perfectissimum, quod Deum vocamus, non tantum rerum omnium, quae aut sensibus percipi, aut mente cognosci possunt, esse caussam, sed idem etiam prouida sua cura rebus omnibus prospicere, omniaque sapientissime dirigere & moderari, vt sine eius nutu ac voluntate nihil omnino eueniat.

§. VII.

Cum etiam euidenter cognoscat, ens hocce, nullos aut essentiae, aut perfectio-

num suarum habere limites, seu infinitum esse; plura autem dari entia infinita, apertam contradictionem inuoluat; merito inde concludet, vnicum tantum esse Deum; immo eos, qui plures vno deos summos statuunt, aliquid dicere, quod nihil significet, nullumque plane habeat sensum.

§. VIII.

Sapientiae, quam in Deo admiramur, summae consideratio, eo nos statim ducet, vt intelligamus, cum nihil in orbe sit, quod non ad certum finem natura sua sit comparatum, eum exigere, vt vitam rationis rectae dictamini conformem instituamus; quemadmodum iustitia eius summa, cum benignitate non minori coniuncta, requirit, vt benefacta remuneret, peccata autem, atque scelera puniat.

§. IX.

Cum vero experientia quotidiana doceat, improbissimos subinde mortalium res adeo ex voto ad vitae vsque finem sibi fluentes habere, vt vltrices Numinis poenas non experiantur, cum viris contra probis cum variis calamitatum generibus conflictandum sit; non potest non inde sequi, hominibus post hanc vitam poenas aeque ac praemia exspectanda esse, adeoque animam, post eius a corpore discessum, superesse. Qua de re eo minus est dubitandum, quod & aliis rationibus animae humanae immor-

immortalitas euidentissime demonstrari queat.

§. X.

Eiusmodi ergo Numen non tantum dignum esse, quod cultu religioso, summaque veneratione prosequamur; sed nostri quoque id esse officii, tum ex hactenus dictis, tum vel inde intelligimus, quod & ratione & experientia condoceamur, beatis nobis aliter, atque felicibus esse non licere, quam si eius amore fruamur. Natura omnes, ad bonum aliquod quaerendum, cuius possessio nos felices reddat, impelli, omnes nouimus; ac tot philosophorum de summo bono disputationes testantur. Omnia autem si animo perlustremus, quae in toto hocce vniuerso occurrunt; nihil omnino, a solo Deo si discesseris, inuenietur, quod beatos nos reddere queat. Idem etiam Deum velle, atque a nobis exigere, vel summa eius erga res creatas benignitas, diuinarum humanarumque haud postrema virtus, nos minime dubitare sinet.

§. XI.

Accedit, quod per summam suam benignitatem & iustitiam, vt antea dictum, non possit non praemia recte factorum, perperamque actorum poenas, constituere. Hinc enim omnino sequitur, eum non tantum velle, vt homines, quae ipsis, generique eorum vniuerso conducunt, agant, omit-

omittant vero, quae his repugnant, sed ita hoc velle, vt, qui secus se gesserint, minime hoc impune sint facturi. Quae, vt Deum legislatorem esse demonstrant, ita simul, cultum Numinis non in hominum positum arbitrio, sed lege diuina ad eum illos obstrictos, ostendunt.

§. XII.

Cultus ipse Dei in eo consistit, vt ita erga eum factis, dictis, cogitatis, nos geramus, prout erga creatorem huius vniuersi praepotentem, erga patrem benignissimum, erga iudicem iustissimum nos gerere decet. Amore nimirum sincero, reuerentia ac veneratione summa, eum prosequamur; spem omnem, ac fiduciam in eius auxilio collocemus; in omnibus denique eius voluntati, prout nobis innotuit, omni studio morem gerere adnitamur: hinc &, quae nobis necessaria sunt, deuota mente expetamus; pro acceptis beneficiis agamus gratias, laudes eius, quotiescumque fieri potest, concelebremus.

§. XIII.

Voluntatem vero Numinis, cum duce ratione vtcumque explorare queamus, si, tum quid Deum deceat, tum quid nobis non minus, quam hominum generi vniuerso conducat, recte expendamus; haud difficulter inde non minus temperantiam, sobrietatem, & castitatem, intuitu nostri, iusti-

iustitiam, charitatem, aequitatem & humanitatem erga alios quosuis; quam pietatem & reuerentiam erga Deum, a nobis exigi, agnoscemus. *

* Tribus enim hisce officiorum generibus omnia, ad quae lege diuina obstringimur, comprehendi, satis notum. Idem & Paulus apostolus confirmat, dum εὐσεβῶς erga Deum, σωφρόνως erga nos ipsos, & δικαίως erga alios nos viuere cupit. *Tit. II, 12.*

§. XIV.

Atque haec quidem omnia, cum ratio omnes homines luculenter edoceat; eaque ita comparata sint, vt, si quis vsu rationis polleat, sanaque mente sit praeditus, quam primum ista intelligit, statim praebere assensum teneatur, adeo vt *cordibus* etiam *eorum inscripta esse*, recte Paulus pronuntiet, *Rom. II, 15.* oritur inde *naturale conscientiae dictamen:* cuius ea vis, eaque efficacia est, vt, si qui scientes volentesque contra ista Numinis praecepta egerint, se peccasse, interno mentis testimonio statim conuincantur: * quemadmodum & per idem conscientiae dictamen, si modo eidem aurem praebere velint, ab eiusmodi peccatis perpetrandis numquam non retrahuntur. **

* In ratiocinatione enim practica illa, de actionibus nostris ad legem relatis, duo concurrunt, *notitia principiorum*, quae vulgo συντήρησις vocatur, & *scientia facti.* Ad hanc nihil aliud requiritur, quam vt quisque actionum, verborum, ac cogitationum

tionum, suarum sit conscius : illa vero, quae ad leges diuinas pertinet, si ipsa principia spectes, omnium hominum cordibus, aeque ac ipsius Dei notitia, insita est, atque inscripta. Quod quidem non de actu, sed potentia propinqua, cum inclinatione singulari, ad adsensum praebendum, intelligendum esse, alibi monetur. Et tum demum formidandum illud conscientiae tribunal oritur, in quo reum, accusatorem, iudicem, sententiam, tortorem, alii obseruant. Hinc illud certamen λογισμῶν κατηγορούντων ἢ καὶ ἀπολογουμένων, *Rom. II, 15.*

** Pertinet huc nota illa distinctio inter conscientiam *antecedentem* & *consequentem*. Haec, cum actio iam perpetrata est, a crimine nos absoluit, si bona fuerit ; sin mala, arguit, damnat, excruciat ; illa itidem aut suadet, incitat, vrget, aut retrahit, dissuadet, repellit.

§. XV.

Praeter hocce vero conscientiae dictamen, *lumen* aliquod, aut *verbum internum*, aut simile quid, in hominibus perperam, ac sine fundamento adseritur. Quidquid enim pro eo adstruendo aut ex sacra scriptura, aut aliunde adfertur ; vel de hocce conscientiae dictamine, tum naturali, tum ex sacra scriptura informato, intelligendum ; vel nihil prorsus eorum probat, quae probare ac euincere debebat. *

* Inter eos, qui sententiam hanc propugnant, est auctor libri *fides & ratio collatae*, qui vt lumen illud probet, prouocat ad experientiam, aliorum exempla, & scripturae sacrae varia testimonia ; sed vt nullum in hisce omnibus inueniat praesidium.

Spectat

Spectat quoque huc ROBERTVS BARCLAIVS *theol. vere christ. apolog.* p. 83.

§. XVI.

Etsi autem longe verissima sint, quae recta ratio de Deo eiusque cultu tradit, vt a nemine in dubium vocari queant; ad salutem tamen consequendam, pro isto, in quo hodie mortales versantur, rerum statu, non sufficiunt. Non enim satis est, vtcumque cognoscere, Deum, summum illud bonum esse, cuius possessione omnis nostra absoluatur felicitas; nec sufficit, nosse, quae idem ab homine exigit, vt suum ille probet obsequium: sed media etiam scire oportet, quae ad tanti boni nos perducant fruitionem: nec scire tantum, sed iis etiam vti, iisque viribus instructum esse, vt sanctissimi Numinis in omnibus morem gerere voluntati queamus.

§. XVII.

Haec vero omnia non tantum a rationis lumine, naturaeque ductu frustra exspectantur, sed omnem simul spem salutis nobis adimi intelligimus, si animus quorumuis facinorum sibi conscius, dictitet, saepissime modisque infinitis, per peccata innumera, sanctissimum illum, iustissimumque Deum a nobis laesum, vt non possimus non illum plane iratum nobis credere, nec aliud quam acerbissimas poenas, post hancce etiam vitam irrogandas, nobis polliceri.

liceri. Placabilem equidem eum esse, vel summa eius bonitas vtcumque persuadebit; sed medium, eum reconciliandi, ratio plane ignorat. Tristitia enim atque dolor ob admissa ad hoc non sufficiet, quod non adpareat, hac sola ratione placari aliquem posse, quem grauiter offensum nouimus: idque eo minus, quo certius experientia magistra constat, vetera delicta nouis quotidie cumulari, nec in nostris positum viribus esse, diuinas leges eo, quo par erat, obseruare studio.

§. XVIII.

Atque hoc scriptura luculenter confirmat, non aliam viam, ad gratiam Numinis obtinendam, esse nos condocens, quam per eum, qui est μεσίτης θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, *1. Tim. II, 5;* & in quo solo Deus mundum sibi ipsi conciliauit, μὴ λογιζόμενος αὐτοῖς τὰ παραπτώματα αὐτῶν, *2. Cor. V, 19.* Vnde nec in alio quoquam, quam in seruatore nostro, Iesu Christo, salutem esse, nec aliud quam eius, nomen sub caelo hominibus datum, in quo salutem consequi queant, diserte Petrus testatur, *act. IV, 12.* Ex quo & sequitur, ex parte hominum non aliam rationem ad salutem perueniendi aut esse aut excogitari posse, quam fidem in huncce Dei hominumque conciliatorem; *Ioan. III, 16. XVII, 3.* conf. & *Marc. XVI, 16. Luc. XXIV, 46. 47. 1. Cor. I, 21.*

§. XIX.

§. XIX.

Nihilo secius vsu suo & hodie quoque religio naturalis adeo non destituitur, vt longe potius praestantissimum praebeat. Theoreticae namque, quas continet, notiones, bases sunt atque fundamenta omnis religionis; ea quidem ratione, vt si quis vnam ex iis neget, aut omnis religionis expers, aut pro religione, foediſſimam turpissimamque superstitionem amplecti, merito censeatur. * Immo, tum ex his, tum ex practicis quoque notionibus, characteres petere licet, quibus religiones, quae reuelatione nituntur, rite discernamus. Qui enim aliquid, hisce notionibus e diametro repugnans, adserunt, aut falluntur turpiter, reuelationem pro diuina habentes, quae diuina non est; aut mentem sententiamque diuinae reuelationis non recte percipiunt. **

* Si quis enim v. g. prouidentiam diuinam diserte negaret, eius religio, si quam forte prae se ferret, pro mera impostura haberetur. Pari ratione, qui plures vno deos admittunt, vt plerique gentilium, pro religione foedam amplectuntur superstitionem.

** Si quis enim talia doceret, quae aut iustitiam, aut sanctitatem, aut benignitatem Dei prorsus euerterent, e.g. Deum esse auctorem peccati, aut eumdem vitiis hominum delectari, & quae his sunt similia; is frustra veram religionem, in hisce saltem capitibus, prae se ferret, immo frustra reuelationem quamdam obtenderet. Falsissima enim ea esse, ex primis naturalis religionis notionibus nimis euidenter constat.

§. XX.

Paedagogiam praeterea pulcherrimam praebet, ad veram reuelationem & inquirendam, & rite inueniendam. Praeterquam enim, quod ex naturalis luminis ad salutem insufficientia, cum summa Numinis benignitate comparata, necessitatem reuelationis cuiusdam, quae genuinam ad salutem viam pandat, recte colligamus; * characteres quoque certos hinc elicere licet, qui verae falsaeque reuelationis discrimen ostendant.

* Primum hocce, in diuinae reuelationis inquisitione, caput est, vt necessitatem eius intelligamus. Hanc autem & nostrae miseriae, & diuinae bonitatis consideratio, luculenter nos condocebit. Ex priori enim euidenter colligitur, hominem solius rationis ductu, naturaeque viribus, ex summa, qua circumseptus est, miseria non posse eluctari; ex posteriori, Deum necessario viam, ex hisce miseriis eluctandi, monstrasse, idque per reuelationem quamdam.

§. XXI.

Verae enim & diuinae reuelationis nomen quae tueri debet, non tantum nihil, quod euidentissimis religionis naturalis notionibus repugnet, contineat; sed plene etiam & adcurate suppleat, necesse est, quae in ea desunt, adeoque obstant, quo minus per eam homines aeternam salutem consequi queant. * Ita enim si comparata sit; & reliqui diuinae originis characteres accedant,

dant, ** de eius non amplius dubitandum veritate.

* Defectus ille rationis, quem reuelatio ſupplere debet, in eo conſiſtit, quod ratio nonnulla, quae ſcitu homini ad ſalutem neceſſaria ſunt, plane non cognoſcat media, quippe, quibus vera ſalus obtineri poteſt; quaedam equidem vtcumque cognoſcat, ſed imperfecte, ad quam poſteriorem claſſem ipſa Dei hominisque notitia pertinet.

** Eminent inter reliquos hi duo; primo, vt reuelatio nihil, quod euidentiſſimis theologiae naturalis notionibus repugnet, contineat: tum, vt ea, quae ratio ſuppeditare nequit, plene, euidenter, modoque, qui Deum deceat, ſuppeditet: quibus tamen etiam vniuerſalitas, de qua mox dicemus, addi poterit: confer VINCENTIVM PLACCIVM, in *philoſophiae moralis plenioris fructu praecipuo, cap. III. p. 220. ſeq.*

§. XXII.

Et eadem ratione intelligitur, veram & diuinam reuelationem debere eſſe vniuerſalem, quae & cum primo humani generis ortu, ſaltem quamdiu in hocce ſtatu homines fuerunt, inceperit, & ad omnes omnino, nemine excepto, ſeſe extendat. Nulla enim adferri ratio poteſt, cur Deus quibusdam hocce beneficium conferre, denegare autem reliquis, velit: aut, ſi quae adferatur, eam Deo parum dignam eſſe, haud difficili intelligimus negotio.

§. XXIII.

Prima itaque verae, eiusdemque diuinae religionis reuelatae, primordia, in patri-

archis deprehendere licet. Horum enim vt naturali plane consentanea erat religio; ita, quae huic deerant, inter quae praecipuum erat, promissio de redemtore quodam, qui homines peccatores Deo iterum conciliaturus erat, & quae cum ea erant coniuncta, continebat: id quod vel maxime ex sacrificiorum intelligere licebat oblatione. * Ea vero per primum hominem, Adamum, ad eos peruenerat reuelatio, & orali traditione ad posteros ab iis propagabatur.

* Quod religio patriarchalis habuerit diuinam originem, patet I.) ex eo, quod rectae rationi fuerit consentanea, quum verum Deum cognouerint, eumque pio prosequuti sint cultu, *Ebr. XI, 4. seqq.* II.) quod ea sit complexa, quae sola ratio non cognoscit, ad salutem tamen sunt necessaria, quorum praecipuum caput fuit promissio de Messia, siue redemtore, *Genes. III, 14. 15.* hinc doctrina de isto maximum theologiae patriarchalis momentum constituebat, quod probant partim confessio Euae, *Gen. IV, 1.* Lamechi, *Gen. V, 29.* vaticinium Noachi, *Gen. IX, 26. 27.* itemque promissiones variae, Abrahamo, Isaaco & Iacobo repetitae, *Genes. XII, 3. XVIII, 18.* partim sacrificia, quae adumbrabant magnum illud per Christum oblatum sacrificium propitiatorium, *Ebr. IX, 12.* III.) addi adhuc potest religionis huius vniuersalitas.

§. XXIV.

Traditione vero ista, aeque ac ratione naturalis religionis fonte, hinc inde corrupta, exorta est religio gentilium. In ea enim

enim tum naturalis, tum reuelatae religionis quaedam hinc inde, etsi luculentiora apud quasdam gentes, quam apud alias, deprehendere licebat vestigia: ita tamen, vt grauissimi etiam, iique partim rationi rectae, partim genuinae traditioni repugnantes, apud eas conspicerentur errores.

§. XXV.

Restituta deinceps, simulque amplificata fuit religio reuelata per Mosen, virum diuinum, nihilque non ex instituto & voluntate diuina agentem. Cuius quidem Mosaicae religionis veritas, vt iisdem argumentis, quibus patriarchalis, euincitur; ita propriis etiam atque particularibus nititur, quae inter miracula plurima & prorsus singularia, quibus se a Deo missum demonstrauit, haud omnino vltimum tenent locum. *

* Cum israelitica, seu Mosaica religio in eo, quod caput caussae praecipuumque momentum est, cum patriarchali conueniat; veritas quoque eius eadem plane ratione demonstrari potest. Sed cum speciali quadam reuelatione nitatur, ad eius veritatem pariter ac diuinam originem comprobandam, sequentia porro extra dubium ponenda sunt: 1) Mosen reuera exstitisse, eaque aetate vixisse, qua vixisse perhibetur, multisque & magnis inclaruisse miraculis, vt, quae Dei nomine fecit, aut loquutus est, eum a Deo accepisse, nulla ratione dubitari queat; id quod quotquot in vniuerso terrarum orbe, aut exstiterunt vmquam, aut hodie exsistunt Iudaei, testantur. II.) Eumdem pentateuchi, seu librorum, qui ei

tribuuntur, auctorem esse, quod tam diu pro certo atque euicto habetur, donec contrarium fuerit demonstratum. III.) Nihil denique in hisce libris occurrere, quod veritati non sit consentaneum, quod facile & de dogmatibus, & de factis probari potest.

§. XXVI.

Nonnulla autem licet haec religio contineret, quae speciatim populo israelitico conueniebant; quae tamen ipsam reuelatae religionis essentiam constituebant, & clarius saltem adcuratiusque a Mose erant proposita, ad omnes pertinebant homines.* Eo maior autem inde tum ad gentem israeliticam, tum ad reliquos homines omnes, poterat redundare vtilitas, quod simul ex caussis longe grauissimis, reuelatae religionis doctrina, litterarum monumentis consignata fuit.

* De vniuersalitate religionis Mosaicae vt eo rectius pronuntiari queat, ea, quae ad ipsam religionis essentiam spectant, diligenter a rebus secundariis & accessoriis sunt distinguenda. Priori modo spectata religio Mosaica, seu israelitica, prorsus cum patriarchali consentiebat. Summa enim totius religionis Mosaicae, in se spectatae, erat, verum, eumque vnicum Deum, caeli terraeque conditorem, pia puraque mente colendum; peccatorumque veniam per fidem in redemtorem huius vniuersi, cuius mortem, quam pro hominibus subiturus erat, sacrificia adumbrabant, impetrandam esse. Et hac quidem ratione omnes, qui vmquam, aut tempore patriarcharum, aut inter Israelitas vixerunt, homines pii, salutem consequuti sunt; omnesque hodie adhuc consequuntur: vide *act. IV, 12. XV, 11. Ebr. XIII, 8.*

Prae-

Praeter ea vero, quae ad ipsam religionis essentiam spectant, varia adhuc accedebant, Israelitis propria.

§. XXVII.

Maximam denique lucem reuelata diuinitus religio accepit per ipsum mundi seruatorem, cum ipsius in carnem aduentu non tantum diuinae promissiones de hominum redemtore, implerentur, sed simul, tum ab ipso seruatore, tum eius discipulis, hominibus omnia, quae ad salutem consequendam scitu factuque necessaria essent, exponerentur. Sublata tum simul sunt, quae iudaicam a reliquis gentibus discernebant, adeoque reuelatae religionis vniuersalitas luculentiori adhuc ratione patuit, *Eph. II, 13. 14.*

§. XXVIII.

Euicta patriarchalis & Mosaicae religionis veritate, diuinaque origine, haud difficile est, de christiana quoque eamdem demonstrare: cui praeterea complementum tot vaticiniorum veteris testamenti, inuictum robur conciliat. His vero si addatur, quod facta praecipua, quibus nititur, non domesticorum modo, sed extraneorum quoque hominum testimonio constent: quod porro domestici testes ita comparati sint, vt nulla ratione fidem illorum in dubium vocare liceat, & quae reliqua sunt eiusdem generis; res omnis apud homines, praeiudicatarum opinionum expertes, extra

controuersiam, extraque omnem dubitationem posita erit. *

* Argumenta pro veritate, adeoque diuina origine, religionis christianae sunt vel *generalia* vel *specialia*: ista, quibus & veritas religionis patriarchalis & Mosaicae probatur, sunt, I.) quod nihil tradat theologiae naturalis euidentissimis principiis repugnans: II.) quod non tantum exhibeat media ad salutem, quae rationis lumini desunt, aeque ac patriarchalis & israëlitica; sed & longe excellentius per luculentam eorum, quae a Christo peracta sunt, commemorationem, conf. *Dan. IX, 24. Matth. XI, 13. Gal. IV, 4. Coloss. II, 17.* Mysteria autem, siue dogmata supra rationem posita, plane fuerunt necessaria, si reuelatio fuerit necessaria. Ad argumenta *specialia* pertinent I.) complementum tot vaticiniorum veteris testamenti, vide PET. DAN. HVETIVM *demonstr. euang.* prop. IX. p. 595. II.) Facta, quibus nititur religionis huius veritas, probata testimoniis domesticorum non solum, sed extraneorum quoque hominum; quae facta duplicis sunt generis. Quaedam, e. g. Iesum Nazarenum vixisse in Iudaea, multos habuisse discipulos, damnatum a Pontio Pilato & cruci adfixum esse, nec ipsi Iudaei negant, & testimonio confirmant scriptores ethnici. Nonnulla e. g. Iesum natum esse sine virili semine ex virgine Maria, perpetrasse miracula per diuinam potentiam, sua virtute resurrexisse, negantur quidem a Iudaeis, ethnicis & quibusuis incredulis, non omni tamen extraneorum destituuntur testimonio, vide SAM. WERENFELSIVM dissert. *de veritate miraculorum in scriptura sacra narratorum in syll. diss. theol.* p. 139. III.) Testium domesticorum singularis auctoritas, qui neque potuerunt, quum fuerint omnium rerum continui inspectores, neque voluerunt, ob summam vitae sancti-

sanctitatem falsa tradere : IV.) antiquitas religionis christianae: V.) mirabilis eius propagatio: VI.) martyrum testimonium. Qui pro veritate religionis christianae scripserunt, recenset IO. ALB. FABRICIVS *biblioth. graeca lib. V. cap. 8.*

§. XXIX.

Licet autem religionis reuelatae, speciatim christianae, praecipuum caput, atque velut centrum sit, peccatorum per mundi redemtorem expiatio ; plurimae tamen cum eo connexae, atque arctissimo vinculo coniunctae sunt veritates, quae *articuli fidei* vocari solent ; * quorum alii quidem ex sola reuelatione, alii autem simul ex ratione constant ; ideoque & illi articuli *puri*, hi autem *mixti* adpellitari solent. Quamuis & in his reuelationis praecipue habeatur ratio; cum reuelata religio naturalem confirmet equidem & corroboret, &, quae in illa deficiunt, suppleat ; simul tamen ipsas notiones naturales clariores, certiores, perfectioresque reddat.

* Alias etiam *credenda* vocari solent, & *obiectum materiale* theologiae reuelatae, vt nonnullis loqui placet, constituunt, sicut reuelatio ipsa *formale*. Quando autem *credenda* ista ab *agendis* distinguuntur, id non intuitu finis intelligendum ; sed ad formalem potius istarum vocum respiciendum est significationem.

§. XXX.

Non etiam eiusdem, quibus religio christiana absoluitur, capita, ad salutem consequendam sunt necessitatis : quo intuitu

articuli fidei *fundamentales* alii sunt, alii *non fundamentales*. Quod vt eo rectius intelligatur, haud perfunctorie obseruandum, fundamentum fidei vel *reale* esse, quod alii etiam *substantiale* vocant, vel *dogmaticum*. Illud aliud esse nequit, quam Iesus Christus, vnicus ille Dei hominumque μεσίτης, *1. Cor. III, 11.* Dogmaticum autem est complexus eorum, quae de Christo, ceu fundamento reali, scitu credituque necessaria, sacra scriptura tradit; *Eph. II, 20.*

§. XXXI.

In vtroque, tum reali, tum dogmatico fundamento, ad finem praecipue respiciendum, inde vt diiudicari queat, quaenam ad illud, & qua ratione quodlibet, spectent. Realis fundamenti finis proximus est reconciliatio hominum cum Deo, *2. Cor. V, 19.* quod & vel ipsum nomen Iesus, seruatorem redemtoremque significans, indicat, quod a peccatis homines esset liberaturus, *Matth. I, 21.* Liberari autem cum nemo a peccatis, & cum Deo reconciliari queat, nisi qui seruatorem hunc, eiusque meritum vera fide fuerit amplexus, *Ioan. III, 16. Ies. XXVIII, 16.* quaenam & fundamentum hocce constituant, & necessario nexu cum eo coniuncta sint, facile intelligitur.

§. XXXII.

Dogmatici fundamenti finis praecipuus itidem eo tendit, vt Christus, hominum re-

redemtor, mortalibus ita sistatur, vt ad eum vera fide amplectendum, & salutem veram aeternamque hac ratione consequendam adducantur, propositis simul omnibus iis, quae ad ordinem huncce salutis, cumprimis naturam, indolem, fructusque, ex quibus vera & genuina fides dignoscitur, pertinent; conf. *Luc. XXIV, 27. Ioan. XX, 31.* Quae, si paullo adcuratius expendantur, realis & dogmatici fundamenti nexum arctissimum inde perspicere licet. *

* Quemadmodum nonnulli, ex illis praesertim, qui Romanae ecclesiae placita sequuntur, fundamentalium articulorum numerum vltra modum augent; ita alii contra, praesertim qui ex Socini schola prodierunt, itemque Arminiani, eumdem vltra, quam par est, imminuunt. Hinc vehementer disceptari solet, ex quibus characteribus seu indiciis, articuli fidei dignoscantur fundamentales. Sunt namque, qui contendunt, nullum aliud dogma pro fundamentali habendum, nisi quod ῥητῶς in scriptura sacra tradatur: alii id demum fundamentale, & ad salutem necessarium credunt, quod non tantum clare & euidenter in sacra scriptura exstat, sed & necessitatis notam sibi additam habet, seu, tamquam creditu necessarium in scriptura sacra commendatur: alii denique in symbolo, quod vocant, apostolico ea omnia, quae scitu crediuque ad salutem sunt necessaria, contineri, sibi persuadent, vt, qui ista admittat, omnia, quae ad fundamentum fidei spectant, tenere credatur. Verum, quod ad primum attinet, lubentes equidem concedimus, ea quae ῥητῶς in scriptura sacra ceu creditu necessaria proponuntur, necessaria quoque ad salutem esse: sed praeter ea nihil

nihil aliud ceu necessarium admittendum esse, perperam adseritur. Quae enim per legitimam consequentiam ex verbis scripturae deducuntur, non minus a scriptura ponuntur, quam quae in ea ῥητῶς continentur. Adeoque, si aliquid ex verbis scripturae, ceu creditu necessarium, per legitimam consequentiam deriuetur, non minus illud necessarium erit, quam si ῥητῶς in scriptura sacra exstet. Accedit exemplum ipsius seruatoris & apostolorum, qui subinde magni momenti dogmata per legitimam consequentiam ex scriptura sacra demonstrarunt; cuiusmodi illud erat de resurrectione mortuorum, *Matth. XXII, 31.* & *Marc. XII, 26.* Immo, dum Christus Iudaeos *scrutari scripturas* iubet, *quod istae sint, quae testimonium de eo perhibeant*, nihil aliud sibi vult, quam vt per legitimam consequentiam hoc inde colligant. Nullibi enim in veteri testamento ῥητῶς haec verba exstant: *Iesus Nazarenus est Messias.* Nec felicius alter character procedit, cui prae aliis & PHILIPPVS A LIMBORCH insistit, *theolog. christ. lib. VII, cap. XXI, §. X. p. m. 837.* Etenim, quod dicitur, nihil ceu necessarium ad salutem admittendum, nisi clare & euidenter in scriptura sacra contineatur, hactenus equidem admitti potest, si & ea, quae per legitimam consequentiam inde deducuntur, non excludantur. Cum vero non omnia, quae clare & perspicue in sacra scriptura reuelata sunt, statim ad salutem creditu sint necessaria, *notam* quoque accedere vult *necessitatis.* Et fateor sane, vbi eiusmodi nota necessitatis adest, e. g. *Ioan. III, 36. qui credit in filium, habet vitam aeternam, qui autem incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum;* dubitari nequit, id prorsus ad salutem esse necessarium. Sed cum plurima occurrant loca, in quibus de dogmatibus, ad salutem citra controuersiam necessariis, sermo est, & ta-

& tamen eiusmodi neceſſitatis notam explicite adiunctam non habeant; falleretur vtique, qui concluderet, dogma aliquod ad ſalutem non eſſe neceſſarium, quia cum eiusmodi neceſſitatis nota non proponitur. Ad ſymbolum denique, quod vocatur, apoſtolicum, quod attinet, adſumere tantisper liceat, quod a viris doctiſſimis dudum luculenter eſt demonſtratum, id ab ipſis apoſtolis minime fuiſſe concinnatum. Multo minus eum in finem concinnatum probari poteſt, vt formula quaedam eſſet, quae omnia creditu ad ſalutem neceſſaria complecteretur. Immo, longe veroſimillima eorum eſt ſententia, qui, ſymbolum hocce ex formula baptismatis, cui ſenſim alia capita, haereſibus eo tempore eccleſiam perturbantibus, oppoſita, fuerunt addita, ortum fuiſſe, exiſtimant. Legenda, quae praeter multos alios hac de re obſeruat THOMAS ITTIGIVS, in *diſſert. de pſeudepigraphis Chriſti, Mariae, & apoſtolorum*, in appendice *diſſert. de haereſiarchis aeui apoſtolici &c. cap. VIII. p. 144.* itemque auctor *hiſtoriae ſymboli apoſtolici, cum obſeruationibus eccleſiaſticis & criticis &c. cap. I. §. XXVIII. ſq.* Inde ergo palam eſt, ſymbolum apoſtolicum neutiquam eum in finem conditum, vt plene ea omnia, quae creditu ad ſalutem ſunt neceſſaria, exhiberet. Ea enim tantum ad formulam baptiſmalem ſunt addita, quae temporis atque haereſeon, in eccleſia ſaeuientium, ratio poſtulabat. Immo & res ipſa hoc docet, cum nonnulla chriſtianae religionis capita diſerte in hocce ſymbolo non exprimantur, quae tamen creditu neceſſaria ad ſalutem eſſe, ex dicendis patebit: ea autem, quae in illo diſerte exſtant, verbis, ob breuitatem ſermonis tam late patentibus, efferantur, vt in diuerſos facile trahi ſenſus queant. Hinc & experientia conſtat, homines, in plurimis doctrinae chriſtianae capitibus, toto, quod aiunt, caelo diſcrepan-

pantes, in eo tamen conuenire, quod symbolum apostolicum admittant, dum quilibet verbis sensum, quem mente iam antea concepit, tribuit.

§. XXXIII.

Fundamentales itaque fidei articuli sunt, qui saluo fidei fundamento ignorari, aut saltem negari non possunt. Suntque iterum vel *primarii*, vel *secundarii*. Primarii sunt, qui salua fide & salute non solum non negari, sed nec ignorari possunt; eo rursus discrimine, vt quorumdam res significata ad ipsam fundamenti realis constitutionem pertineat; * alii autem tam arcte cum fundamento connexi sint, vt ab eo separari nequeant. ** Secundarii vero sunt, qui ignorari equidem possunt, saluo salutis fundamento, non autem negari. Qui enim consequens aliquod ignorat, non statim negat antecedens: quod de eo, qui consequens negat, non temere praesumendum.

* Huc itaque pertinet articulus de Christo θεανθρώπῳ. Cum enim fundamentum fidei sit Christus, vt scriptura diserte testatur, ipsa ratio fundamenti sibi non constat, nisi sciam, quis ille sit, qui sacrificium infiniti pretii & valoris pro nobis obtulit, vt nos Deo reconciliaret. Verum eum fuisse hominem, facile quilibet intelligit, cum non alius, quam homo, eiusmodi quid praestare posset: omnium praeterea hominum, vt redemtor ipse homo esset, maximopere referret, vt diserte Paulus docet, *Ebr. II, 11. seq.* Non minus tamen inde sequitur, non alium, quam qui verus etiam Deus esset, hocce redemtoris munere potuisse fungi; conf. *Ps. XLIX, 8. 9. Ebr. VII, 26.*

VII, 26. Quod enim pro peccatorum nostrorum expiatione offerendum erat, infiniti debebat esse valoris: cuiusmodi quid ab eo, qui non est verus Deus, exspectari non potest; conf. *1. Petr. I, 18. 19.* Doctrinam de merito & satisfactione Christi huc itidem spectare, nemo non facile intelligit. Proximum enim huncce esse finem, cur Christus in mundum venerit, vt homines Deo reconciliaret, ex antea dictis constat, & scriptura sacra, *2. Cor. V, 19.* alibique, diserte testatur.

** Ad hanc classem pertinent articuli I) de *trinitate*, quoniam tres personae diuersa ratione ad salutem nostram per meritum Christi consequendam concurrunt, *Matth. XXVIII, 19. 2. Cor. XIII, 13. 1. Ioann. V, 7.* II.) de *gratia & beneuolentia Dei vniuersali.* Hanc enim qui non credit, non potest certus esse, meritum Christi ad se pertinere, *Ioan. III, 16. 1. Tim. II, 4. 2. Petr. III, 9.* III.) de *peccato.* Qui, se peccatorem ea, qua decet, ratione non agnoscit, non etiam credet expiatione peccatorum seu satisfactione se opus habere. Praeterea sine peccatorum agnitione vera, nulla est poenitentia; sine poenitentia nulla fides, sine fide satisfactio Christi nobis non prodest: IV.) de *iustificatione hominis peccatoris coram Deo*, itemque de *fide ac poenitentia.* Non alium enim in finem Christus suo sanguine nostra expiauit crimina, quam vt peccatorum remissionem consequeremur, quae vera est iustificatio; quam remissionem consequimur tantum per fidem, fides autem sine poenitentia esse nequit: V.) de *vita aeterna*, quae est finis, cuius arctissimus nexus est cum mediis.

§. XXXIV.

Articuli non fundamentales sunt, qui saluo fidei fundamento & ignorari possunt: *

sed

sed tum demum, si ratio ipsa, ob quam aliquis dogma aliquod in dubium vocat, ipsum fidei fundamentum nec directe, nec indirecte, attingat. Sedulo enim non tantum ad ipsam, quam quis fouet, sententiam, sed ad rationem etiam, ob quam eam fouet, attendendum; vt rite, num error aliquis fundamentalis sit, diiudicari queat.**

* Si modo negatio in ipsam reuelationem non sit iniuria, aut cum adfectu quodam praua, qui cum vera fide consistere nequeat, coniuncta.

** Exempli loco sit celebris quaestio de origine animae, num per traducem, an per creationem? de qua in vtramque partem a theologis disceptari solet, prudentioribus quidem ἐποχὴν hic eligentibus. Quamcumque autem aliquis defendat sententiam, si vel maxime erret, non potest tamen error dici fundamentalis. Sed si quis sententiam de traduce ideo eligeret, quod animam materialem, simulque mortalem statueret; aut alius rursus creationem defenderet, eo, quod nullum admitteret peccatum originale, de vtroque longe aliter esset censendum.

§. XXXV.

Ex fundamentalium articulorum connexione *analogia* illa *fidei* oritur, quae in ipsa quoque scripturae interpretatione, secundum apostoli effatum *Rom. XII, 6.* vtramque facit paginam, simul tamen ex ipsa scriptura, locisque eius clarissimis, praecipua salutaris doctrinae capita euidenter pandentibus, hauritur. *

* Analogiae vox, vt in mathematicorum scholis frequens est; ibique similitudinem rationum, qua

numeri, ipsaeque magnitudines inter se comparantur, significat: ita ad doctrinam sacram adplicata, capitum atque articulorum, quibus religio christiana absoluitur, praesertim fundamentalium, consensum atque harmoniam denotat.

§. XXXVI.

Vt autem religio generatim spectata non tantum vera Numinis cognitione, sed & eiusdem recto cultu absoluitur; ita vel maxime etiam religio christiana non tantum credenda praescribit, sed agenda quoque inculcat, quae & tam arcto inter se, si ipsam praxin spectas, coniuncta sunt vinculo, vt separari nequeant. Immo, eo tota est comparata, vt homines Deo reconciliati, *II. Cor. V, 19.* adeoque per fidem cum illo iterum vniti, *Ioan. XIV, 23.* illi seruiant in iustitia & sanctitate, *Luc. I, 75. 1. Petr. I, 15.* & tamquam λαὸς περιούσιος, ζηλωταὶ sint in bonis operibus, *Tit. II, 14.* ad quae etiam sunt conditi, *Ephes. II, 10.* adeoque hac ratione, praua quaeuis euitantes, in hocce mundo viuant εὐσεβῶς, σωφρόνως & δικαίως, *Tit. II, 12.* Qua quidem ratione & imago Dei, ad quam conditi erant, quamue per lapsum primorum parentum amiserant, magis magisque in illis restauratur, *Ephes. IV, 24. Col. III, 10. II. Cor. III, 18.*

§. XXXVII.

Qui inter christianos non tantum vera fide imbuti sunt, sed etiam Numinis munere eam prae reliquis adepti sunt facul-

tatem, vt sacrae doctrinae, qua christiana religio constat, capita rite proponere, explicare, & contra dissentientium insultus defendere, aliosque adeo ad veram fidem perducere, aut in ea confirmare queant, voce recepta *theologi* vocari solent. Vocem enim istam apud ethnicos valde vsitatam, recte ad sapientiae diuinae magistros atque doctores designandos, retinuerunt christiani. *

* Transiit vox haecce ab ethnicis in ecclesiam christianam: quo tamen tempore hoc factum, aut a quonam primum adhibita sit, non constat. In apocalypseos ἐπιγραφῇ equidem ipse Ioannes apostolus & euangelista *theologus* salutatur: eam vero non ipsius Ioannis esse, sed ab alio quodam profectam, dudum viri docti demonstrarunt. Verum, num post Origenem, an ante eum hicce titulus Ioanni datus sit, non satis liquet. Nec probabile, Platonicorum, Orpheo hoc nomen tribuentium, exemplo permotos ad hoc fuisse christianos. Longe rectius alii sentiunt, qui ideo Ioanni hocce nomen datum existimant, quod prae reliquis scriptoribus sacris diuinitatem seruatoris admodum luculenter adseruisset. Et fuit sane deinde hocce nomen apud veteres ecclesiae doctores longe frequentissimum, sed ita, vt non vna eademque ratione acciperetur. Subinde enim doctrinam de Deo, aut etiam de personarum trinitate, interdum vero speciatim doctrinam de diuina Christi natura denotat. Solet etiam haud raro discrimen aliquod inter θεολογίαν & οἰκονομίαν constitui, ita quidem, vt illa ad diuinam, haec ad humanam Christi naturam referatur. Qua de re legenda, quae DIONYSIVS PETAVIVS congessit, in *dogmat. theolog.*

log. prolegom. cap. I. Ceterum, licet vox θεολογία, si compositionem spectes, non tantum λόγον περὶ τοῦ θεοῦ, sed & ἀπὸ τοῦ θεοῦ & πρὸς τὸν θεὸν, significet; prima tamen significatio vt aliis eiusdem compositionis vocibus respondet, ita consuetudine, atque vsu est comprobata: licet & reliquae, si rem ipsam spectes, in censum venire queant. Ebraeis doctoribus theologia חכמה *sapientia* dicitur: alias etiam secundum scripturae sacrae ductum vocari potest γνῶσις σωτηρίας, *Luc. I, 77.* σοφία θεοῦ ἐν μυστηρίῳ, *I. Cor. II, 7.* λόγος σοφίας, *I. Cor. XII, 8.* γνῶσις τῆς δόξης τοῦ θεοῦ ἐν προσώπῳ Ἰησοῦ Χριστοῦ, *II. Cor. IV, 6.* ἐπίγνωσις τοῦ θελήματος τοῦ θεοῦ ἐν σοφίᾳ πάσῃ καὶ συνέσει πνευματικῇ, *Coloss. I, 9.* ἐπίγνωσις τοῦ θεοῦ *ib. v. 11.* εὐσέβεια *I. Timoth. III, 16.* ἐπίγνωσις τῆς ἀληθείας τῆς κατ' εὐσέβειαν, *Tit. I, 1.* conf. B. IO. GERHARDVS, in *locis theolog. proem.* §. *I.*

§. XXXVIII.

Est itaque theologia, si non tam vocem, quam rem ipsam spectes, scientia rerum diuinarum, homini peccatori ad salutem consequendam cognitu necessariarum, prout ex scriptura sacra nobis constant, cum facultate eas iterum alios docendi, confirmandi, atque defendendi coniuncta.

§. XXXIX.

Res ipsa docet, nobis non de ipsius Dei, quam de se ipso habet, cognitione, quam itidem nonnulli theologiam vocant, * sermonem esse; sed de hominum, eaque, prout hodie cum imperfectione quadam est coniuncta; non autem de ea, quae post hanc demum vitam futura est.

* Solet illa, quam de se ipso habet Deus, cognitio *archetypa* dici, eo quod imaginem quamdam aut exemplar exhibeat, ad quam hominum, quam de rebus diuinis habent, cognitio sit exigenda, quae & ideo *ectypa* adpellatur. Sed negari haud potest, minus adcurate loqui, qui istam aut Dei, aut angelorum scientiam *theologiam* vocant : certe vsum atque consuetudinem repugnare. Accedit, quod ea cognitio, quam hominibus hic tribuimus, vix vmbram eius referat, quam in Deo ipso non tam intelligimus, quam admiramur, & pia mente veneramur. Interim res ipsa fundamento non destituitur.

§. XL.

Scientiam dum eam vocamus, vocem ita accipimus, prout in scriptura sacra accipi solet, vt cognitionem denotet *veram*, *certam & viuam*, seu *efficacem*.

§. XLI.

Et de *veritate* quidem nullum est dubium, cum falsa & erronea cognitio nullo modo scientiae nomine digna sit. Testimonio insuper ipsius Dei, qui ipsa est veritas, & nulla ratione aut fallere, aut mentiri potest, *Num. XXIII, 19.* cum nitatur, non potest non longe esse verissima; conf. *Matth. XXII, 16. Ioan. XIV, 6.* Hinc & Paulo ἐπίγνωσις τῆς ἀληθείας audit, *Tit. I, 1.* De supernaturali nimirum hoc intelligendum est veritate, quam *caro & sanguis non reuelat, sed solus pater in caelis, Matth. XVI, 17.*

§. XLII.

§. XLII.

Longe quoque *certissima* est haec cognitio, idque eamdem ob caussam, ob quam pro verissima habenda. * Etsi enim, praesertim in mysteriis, desit euidentia *obiecti*, quae in rebus, rationis captum non excedentibus, efficit, vt earum longe certissima sit cognitio; adest tamen euidentia *testimonii*, & quidem diuini, cuius ea vis est & efficacia, vt nec mathematicae demonstrationes, quantumuis euidentissimae, certiores credi debeant.

* Auctoritate enim diuina, quae nulla ratione fallere potest, haecce cognitio nititur. Quod vt recte intelligatur, duo hic requiri, obseruandum est. Primo quidem, vt plane conuicti simus, scripturam sacram Deum auctorem agnoscere, & ex eius inspiratione esse profectam; tum, vt certi simus, verum & genuinum istorum locorum, quibus cognitio nostra nititur, nos tenere sensum. Accedit ipsa verbi diuini efficacia, in intimos cordis recessus penetrans, & hac ratione de veritate doctrinae, quam ex eo hausimus, plenissime nos conuincens, *Ioan. VI, 63. Ebr. IV, 12.* Atque hoc Paulus suo nos condocet exemplo, *2. Tim. I, 12.* conf. *Iob. XIX, 25.*

§. XLIII.

Viuam denique, & *efficacem* vocamus hanc scientiam, quod theologia, quanta quanta est, si finem spectes, ad praxin vitae comparata sit. * Fides enim, ad quam theologia ducit, aut quam potius simul connotat, ex fructibus dignosci debet, *Matth. VII,*

17. seq. per opera est efficax, *Gal. V, 6.* sine operibus mortua est, *Iac. II, 17.* Hinc & Christus ipse, *haec si sciatis*, inquit, *beati estis, si & faciatis, Ioan. XIII, 17.* Paulus autem eam vocat ἐπίγνωσιν ἀληθείας τῆς κατ' εὐσέβειαν, *Tit. I, 1.* conf. & *Eph. II, 10.* Hoc tamen non obstat, quo minus ratione *obiecti* theologia, prout aut circa credenda, speciatim sic dicta, aut circa agenda versatur, in *theoreticam* & *practicam* diuidi queat.

* Simul tamen ad praxin ministerii. Sunt enim haec coniungenda, non separanda, siquidem theologus, aut qui doctoris munere in ecclesia fungitur, non minus ad suam, quam ad aliorum salutem respicere debet, *1. Tim. IV, 16.* Idque etiam luculenter idem apostolus *2. Tim. III, 15. seq.* confirmat.

§. XLIV.

Non tantum itaque falsa erroneaque doctrina theologiae nomine indigna est, sed cum vnica tantum sit, & esse possit veritas, omnis *indifferentismus religionum* procul hinc exsulare debet. * Idem & de *scepticismo* est sentiendum, qui cum cognitione certa consistere nequit. Sed &, quae mortua est, & efficaciam suam, hominum quidem culpa, non exseritv, rerum diuinarum cognitio, vix meretur, vt hoc nomine veniat. **

* Varia sunt *indifferentismi*, vt loqui solent, genera, quae discernere par est, vt recte hac de re statui queat. Indifferentismus vere talis aut vniuersalis est, aut particularis. Ille omnes religiones vno eodem-

eodemque loco habet, quod aut nullam omnino, aut solam naturalem admittat. Prius si fiat, ab atheismo non differet: sin posterius, cum naturalismo consentiet. Particularis autem indifferentismus, de quo nunc nobis sermo est, reuelationem diuinam, quam scriptura sacra nobis exhibet, equidem admittit, inter christianorum autem sectas aut omnes, aut plerasque, aut quasdam, capitale aliquod intercedere discrimen, negat. Qua in re qui inter se consentiunt, ob caussam rursus, quae in hanc eos inducit sententiam, in diuersas abeunt partes: nonnullis quidem omnem Numinis cultum, praecipuamque adeo religionis vim, in Numinis amore, rectaque adeo voluntatis dispositione collocantibus, quam aliquis adipisci queat, quamcumque etiam de controuersis religionis capitibus teneat sententiam: aliis veritatem ita absconditam esse adserentibus, vt in ea inuenienda omnis frustra collocetur opera: aliis denique dissensum, qui inter partes diuersas intercedit, etsi fundamentalis sit, talem eum esse negantibus. Ab vltimis si incipiamus, res omnis eo redit, vt, quid fundamentale, quid non fundamentale, in sacrae doctrinae capitibus sit, definiatur: quod, qua ratione fieri debeat, supra iam exposuimus. Qui ad mediam classem pertinent, iisdem, quibus sceptici, pugnant armis, eademque adeo & ratione sunt refellendi, vt deinceps dicemus. De iis itaque, qui in primo ordine constituti sunt, vt aliquid dicamus, supereſt. Hi vero & se ipsos, & alios turpiter fallunt, dum fidem tantum in voluntate collocant: perperam porro sibi persuadent, ac si quis sine fide, adeoque & sine sufficiente, eaque explicita cognitione Deum amare, atque rite colere, ac virtuti, prout ab homine christiano requiritur, operam dare queat. Cum enim sine fide Deo placere ἀδύνατον sit, *Ebr. XI, 6.* collat.

cum *cap. X, 38.* praeterea homines vera fide destituti, spiritu quoque υἱοθεσίας destituantur, *Rom. VIII, 15.* eos quoque nec amare Deum, nec quidquam, quod illi gratum sit, efficere posse, longe est manifestissimum. Fides autem, licet qua vltimum gradum, seu fiduciam, ad voluntatem pertineat; qua primum tamen & secundum, seu cognitionem & adsensum, intellectus opus est. Idque vel ipsa humanae mentis, facultatumque, qua pollet, consideratio, istos homines condocere potuisset: cum quotidiana experientia constet, voluntatem non nisi praeuia, eaque sufficienti cognitione moueri. Ecquis enim credat, fieri posse, vt quis spem suam & fiduciam in homine plane ignoto, de quo, num odio aut amore se prosequuturus sit? num iuuare possit, nec ne? non constat, collocet. Quin immo, si voluntas ad eiusmodi adfectum moueri debet, necesse est, vt non tantum vtcumque alter mihi notus sit, sed vt etiam sufficienter de eius erga me voluntate, deque viribus, quibus pollet, deque impedimentis, quae remouenda sint, sim instructus. Ipsa praeterea scriptura sacra diserte hoc testatur, quando de fide ita loquitur, vt, in ipsius conceptu ac praxi cognitionem inuolui, manifeste innuat, *Es. LIII, 11. Ioan. XVII, 3.* collat. cum *Hab. II, 4. Ioan. VI, 69. II. Tim. I, 12.* Hinc & non aliter, quam per verbi diuini auditionem fides producitur, *Rom. X, 17.* quod profecto sine cognitione fieri nequit.

** Immo ψευδώνυμος potius haecce cognitio Paulo apostolo audit, *1. Tim. VI, 20.* Nec enim dubium, quin sterilem illam omnisque fructus expertem, & ab omni pietate seiunctam cognitionem simul hac voce designet. Siue enim Gnosticos, siue Nicolaitas, siue Simonianos generatim hac voce perstringat, hi omnes non tantum grauissimos, quamuis & diuersos, fouebant errores; sed & in eo fere consentie-

sentiebant, vt γνῶσιν quamdam ac cognitionem iactitantes, eaque prae reliquis se efferentes, quasi haec sola ad salutem sufficeret, effreni impetu in quoduis prauarum cupiditatum se darent genus. Spurcissimos, foedissimosque horum omnium fuisse mores, magno consensu veteres tradidere. Apostolum vero non tantum erroneam, sed & sterilem, omnique fructu destitutam, seu mortuam cognitionem hac voce innuere, vel inde constat, quod alibi idem, eam demum veri Numinis esse γνῶσιν, diserte doceat, quae se talem pietate vitaeque sanctae studio sincero demonstrat. Sic *1. Tim. VI, 3.* eam, quam omnes consectari doctrinam debent, διδασκαλίαν κατ' εὐσέβειαν vocat; & *Tit. I, 1.* ἐπίγνωσιν ἀληθείας τῆς κατ' εὐσέβειαν, ceu veri nominis cognitionem commendat.

§. XLV.

Versatur theologia circa res diuinas, prout ex reuelatione, seu scriptura sacra nobis constant. Et ipsae quidem res diuinae, seu quaecumque nobis de Dei essentia & attributis, operibus ac voluntate diuina constant, obiectum theologiae *materiale* vocari solent, quemadmodum *formale* contra in ipsa reuelatione diuina quaerendum.

§. XLVI.

Rerum istarum diuinarum notitia hic spectatur, prout homini peccatori ad salutem aeternam consequendam est necessaria. Vnde & ipsius hominis simul in censum venit consideratio, qui in ordine ad salutem, & ante conuersionem spectatus, viribus gratiae destitutus, planeque mor-

tuus, nihil ad salutem suam conferre, *Eph. II, 1. Coloss. II, 13.* per Numinis tamen gratiam atque benignum fauorem, ad fidem vitamque spiritualem, si modo mediis oblatis recte vtatur, nec spiritui sancto resistat, excitari potest. Tum vero viribus gratiae instructo, atque eadem Numinis gratia adiuto, vt ad fidei conseruationem ac incrementum aliquid conferat, denegatum non est, *I. Cor. XV, 10. Tit. II, 14. II. Petr. I, 3. 5. seq.*

§. XLVII.

Finis nimirum theologiae vltimus, isque *formalis*, quem homo peccator, ex miseria sua eluctari cupiens, sibi constitutum habet, est summa felicitas, seu beatitudo, in possessione, seu fruitione Dei, ceu summi boni, consistens, inchoanda quidem in hac vita, sed in futura perficienda, *I. Ioan. III, 2. 3.* Vnde simul constat, *finem*, quem vocant, *obiectiuum* ipsum Deum esse, quemadmodum intermedius est fides in Christum, per quam veram aeternamque salutem consequimur, *Ioan. III, 16. XX, 31.* Atque haec quidem de fine *externo* sunt intelligenda; *internus* namque in eo consistit, vt theologiae cultor aptus fiat ad suam, aliorumque salutem promouendam, *II. Tim. III, 17.*

§. XLVIII.

Nec tamen quaelibet rerum diuinarum cognitio statim theologum efficit. Quin immo

immo talis requiritur, quae cum facultate, res diuinas iterum alios docendi, atque eas confirmandi, ac contra dissentientium insultus defendendi, sit coniuncta. Vnde, quodnam inter *fidem* & *theologiam* intercedat discrimen, intelligitur. Nec enim quilibet christianus seu verae fidei particeps, statim theologus est: quemadmodum vicissim admodum ἀκύρως is theologus diceretur, qui verae fidei expers est.*

* Sunt vtique omnes vere credentes θεοδίδακτοι, *Ioan. VI, 45.* sed non omnes sunt, aut esse possunt διδάσκαλοι, *Ephes. IV, 11.* Vt enim docentis quis munere fungi possit, quod theologorum est, amplius quid requiritur. Rursus tamen omnis διδάσκαλος, si vndequaque & in omnibus partibus recte hoc munere fungi velit, debet esse θεοδίδακτος, adeoque & vera in Christum fide praeditus. Quod enim ad quemlibet vere christianum requiritur, eo multo magis theologum, seu doctorem, qui aliis viam salutis monstrare & doctrina, & exemplo debet, instructum esse oportet. Hinc vero & discrimen, quod inter theologiam & fidem intercedit, intelligitur. Fides sine ista facultate docendi, aliosque erudiendi, quae ad theologiam requiritur, esse potest: sed habitus ille docendi, & alios in rebus diuinis erudiendi, absque fide spectatus, si adcurate, & ad ductum sacrarum litterarum, loqui velis, non nisi improprie theologia vocatur. Hinc vero etiam, vti & ex reliquis, quae hactenus disseruimus, adparet, theologiam esse habitum non *naturalem*, sed *supernaturalem*, eumdem tamen simul adquisitum. Quemadmodum namque homo ψυχικὸς non cognoscit ea, quae sunt spiritus Dei, *1. Cor. II, 14.* ita nemo quo-

quoque naturae viribus *ad Christum venire*, inque eum credere *potest*, *nisi pater caelestis illum trahat*: qua demum ratione θεοδίδακτος euadit, *Ioan. VI, 44. 45.* Nemo quoque fidem sibi ipse largiri potest, *I. Thessal. III, 2.* quam potius a Deo accipimus, qui per singularem suam misericordiam nos regenerat, hoc est, fidem in nobis producit, *I. Pet. I, 3.* Vnde & *ipsius opus* dicimur, *Eph. II, 10.* Praeterea vt intellectus ad adsensum primae veritati reuelanti, & quidem fide diuina, praebendum, simulque voluntas ad obsequium flectatur, id non hominis, sed Dei ipsius esse, nemo non intelligit. Neque tamen immediate hoc Deus in nobis efficit, sed per verbum, ex cuius legitima tractatione, non excluso sacramentorum vsu, a Deo praescripto, fides in nobis accenditur, & corroboratur, *Rom. X, 14. Iac. I, 18.* Vnde simul intelligimus, quo pacto theologia, etsi habitus supernaturalis, tamen habitus sit adquisitus. Vt enim ipsa fides per media gratiae recte adhibita accenditur, & augetur, ita etiam facultas illa amplior docendi veritatem diuinam, explicandi, defendendi, etsi itidem donum Dei sit, *Iac. I, 17.* fine legitimo tamen mediorum vsu nemini obtingit. Media vero illa, quibus iste habitus comparatur, summatim beatus Lutherus noster complexus est, quando tria theologum facere dixit, *orationem*, *meditationem*, *tentationem*.

§. XLIX.

Ex dictis etiam consequitur, eum, qui iure meritoque theologus dici potest, non alium esse, quam hominem vera fide praeditum, seu regenitum. Idque vel inde constat, quod homo ψυχικὸς sibi relictus atque naturalis, non recipiat, seu adsensu vere

vere diuino amplectatur ea, quae sunt spiritus Dei, *I. Cor. II, 14.* quodue eius cognitio naturalis tantum sit, cum tamen theologia reuelata supernaturalem requirat; hinc & quod nec certa sit, adsensu quippe diuino, quem solus spiritus sanctus operatur, destituta; *II. Cor. III, 5.* multo autem minus viua & efficax, ea quidem ratione, vt actu efficacia eius sese exserat, fructuum quippe, qui vitam eius demonstrare debebant, expers; *Matth. VII, 21. seq.*

§. L.

Obseruare autem iuuabit, sermonem hic nobis esse de theologia, prout habitum homini inhaerentem denotat. Si enim vox haecce pro ipsa doctrina, ex litterarum sacrarum fontibus hausta, accipiatur, dubium nullum est, quin theologiae, si modo scripturae sacrae conformis sit, * eadem, quae scripturae ipsi, qua materiam spectatae, conveniunt, tribui queant.

* Potest namque hoc sensu & irregenitis theologia tribui. Fieri enim potest, vt eiusmodi homo ex scripturae sacrae, aliorumque librorum lectione, tales animo sibi formet notiones, quae rerum sacrarum conceptibus, prout in scriptura sacra proponuntur, respondeant. Atque tum quidem eiusmodi hominis doctrina, seu theologia, reuera, si rem ipsam spectes, est ipsius scripturae sacrae, quae in ea continetur, doctrina. Quod si vero notiones eiusmodi hominis conceptibus atque notionibus scripturae sacrae aut plane non, aut non adcurate respondeant, aliter quoque erit censendum.

§. LI.

§. LI.

Haec, quae diximus, si rite considerentur, patebit, caussam efficientem tum theologiae, tum finis, ad quem comparata est, intuitu, aliam esse non posse, quam ipsum Deum. Quemadmodum enim in spiritualibus nemo mortalium sibi ipsi quidquam absque gratiae viribus aut dare, aut tribuere; ita multo minus ea largiri potest, quae ad theologiae habitum requiruntur. Veram autem, aeternamque salutem, quae vltimus theologiae finis est, solius Dei munus esse, eo minus dubitandum, quo apertius scriptura hoc testatur, *Rom. VI, 23. Eph. II, 8.* Idemque & de fide, ceu fine intermedio censendum, *II. Thess. III, 2.* De reliquis autem salutis caussis cum suo loco dicendum sit, aliquid addere superuacaneum fuerit.

§. LII.

Cum diuersimode, quae cognitu ad salutem sunt necessaria, & diuinitus in scriptura sacra reuelata, tradi soleant; hic tamen ea tractandi theologiam ratio, qua dogmata fidei, iusto ordine disposita, & apte inter se coniuncta, exhibentur, in censum venit. Atque haec cum exquisitiori quodam studio institui queat, illis, qui ad sublimiora ducuntur, inseruitura, vel simpliciorum ingenio adcommodata, * illa quidem in systematica, quam vocant, theologia

gia maxime conſpicitur: quae, licet variis incommodis & abuſibus obnoxia ſit, ob commoda tamen non minora, euitatis ſedulo, quae eam comitari ſolent, vitiis, merito retinetur. **

* Quae ſimpliciorum, rudiorumque hominum captui eſt adcommodata, *exoterica* etiam, quae autem exquiſitiori cura, methodoque ſcholae attemperata traditur, vt ad ſublimiora tendentibus inſeruiat, *acroamatica*, vocibus ex philoſophia Ariſtotelica repetitis, vocari ſolet. Quod tamen non ita capiendum, ac ſi quoad rem ipſam diſcrimen intercedat, aut illa dignitate vel vtilitate huic cedat. Exoterica alias etiam *catechetica* vocatur, voce iam pridem non tantum in eccleſia noſtra, ſed & veteri, recepta. Immo verbum κατηχεῖν, *act. XVIII, 25.* ita accipi videtur, vt, *prima religionis chriſtianae elementa ſeu rudimenta viua voce tradere*, ſignificet. Fuiſſe autem omni tempore, etiam in veteri teſtamento, immo inter patriarchas, qui liberis ſuis atque ſeruis, aliisque hominibus ſimplicioribus, prima reuelatae religionis capita, pro captu illorum traderent, iſtorum hominum pietas nos dubitare non ſinit. Eo minus itaque dubitandum, apoſtolos, aliosque primitiuae eccleſiae doctores eodem officio functos. Certe Paulus apoſtolus diſerte hoc docet, quando *I. Cor. III, 2.* dicit: γάλα ὑμᾶς ἐπότισα, quod de catechiſatione recte explicat CLEMENS Alexandrinus, *lib. I. paedag. cap. VI.* Sed deinceps quoque non defuerunt in veteri eccleſia, qui in pueris atque ſimplicioribus inſtituendis, primisque doctrinae chriſtianae elementis iis inſtillandis, operam ſtudiumque collocauerunt.

** Quae methodo acroamatica dogmata ſacra tradit theologia, *thetica*, itemque *poſitiua* vocari ſolet:

let : quo nomine tamen hodie speciatim ea pars theologiae venit, quae circa credenda versatur, sicuti, quae agenda iusto ordine proponit, *moralis*, itemque *practica* vocari solet. Olim quidem haec coniungebantur, prout & re ipsa sunt coniunctissima. Nec tamen quidquam obstat, quo minus seorsim & credenda & agenda considerentur; modo id semper inculcetur, in ipsa fidei & vitae praxi credenda non posse sine agendis esse, nec agenda sine credendis. Solet etiam ea theologiam tractandi ratio, qua cuncta cognitu ad salutem necessaria, iusto ordine dispositа exhibentur atque apte inter se connectuntur, *systematica* vocari: ex cuius indole patet, quod veterum quorumdam ecclesiae doctorum scripta, vt IGNATII *epistola ad Magnesianos*, THEOPHILI Antiocheni *libri tres ad Autolycum*, CLEMENTIS Alexandrini *paedagogus*, GREGORII Nazianzeni *orationes quinque de theologia*, aliaque pro systematibus theologicis non habenda. Propius accessit IO. DAMASCENVS *de fide orthodoxa*. In scholasticorum *sententiarum libris* quum doctrinae sacrae omnia capita certo ordine & nexu secundum indolem philosophiae Aristotelicae exhiberentur, systematica simul theologia exorta est.

§. LIII.

In hacce, quam hactenus de religione tum generatim, tum speciatim reuelata & christiana, itemque theologia, exposuimus, doctrina, non vna ratione a recto tramite homines aberrant. Cuius rei partim in eo quaerenda caussa est, quod rationi, atque naturae viribus, plus quam decet, tribuant: partim in eo, quod falsa quadam temereque credita reuelatione, aut vera etiam vel non

non recte intellecta, vel corrupta ac mutilata, se ipsos pariter ac alios decipiant. Nec tamen defuerunt, qui recta, mediaque via incedentes, & extrema quaeuis euitantes, veritatem in hocce quoque doctrinae capite conseruarunt & inter varia fata propagarunt.

§. LIV.

Nostri denique officii est, rationis equidem lumine recte vti, sed non plus, quam decet, ei tribuere; reuelationis beneficium grato agnoscere animo; eumdemque re ipsa cumprimis fide & obsequio demonstrare: credenda & agenda non separare, sed vti coniunctissima sunt, ita ipsa vitae praxi hoc ostendere; cauere autem vel maxime, *ne veritatem detineamus in iniustitia*, *Rom. I, 18.* cumque religio christiana pariter ac theologia, quae ad eam ducit, ipsum Deum auctorem agnoscat, summa animi submissione ac reuerentia, non minus & nostrae imbecillitatis consideratione, ad eius tractationem accedere; in ipsa tamen tractatione semper cogitare, quod theologia non tantum sit ἐπίγνωσις τῆς ἀληθείας, sed & τῆς κατ' εὐσέβειαν, *Tit. I, 1.* vt cuncta ad verae pietatis praxin animo sincero referantur.

PARTIS SIVE LIBRI PRIMI CAPVT SECVNDVM DE REVELATIONE ET SCRIPTVRA SACRA.

Σύνοψις.

REuelationis specialis necessitas, §. I.

Statim post hominum lapsum initium sumsit, §. II.

Continuata deinceps, & magis illustrata fuit, per alias reuelationes, non omnibus tamen, sed certis tantum hominibus factas, §. III.

Modus reuelationis varius fuit: in nullo tamen aliquid Deo indignum deprehendebatur, §. IV.

Diuini vates non tantum conscii sibi fuerunt, quae loquebantur ex diuina reuelatione, sed longe etiam hac de re certissimi, §. V.

Certis etiam argumentis alios, se a Deo missos conuincere poterant, §. VI.

Ex iis, quae Deus olim viris sanctis reuelauit, ea maxime in censum veniunt, quae scitu credituque ad salutem sunt necessaria, §. VII.

Atque haec Deus ob caussas gratissimas litteris consignari voluit, §. VIII.

Vnde originem scripturae sacrae intelligere licet, §. IX.

in qua nihil continetur, nisi quod ex diuina inspiratione profectum; caussa itaque efficiens ipse Deus est, §. X.

Consideranda autem in ea tum materia, tum forma, §. XI.

Diuina sacrae scripturae auctoritas tum absolute, tum relatiue, seu quoad nos, considerari potest: priori modo spectata, a summa Numinis veracitate, & potestate infinita; posteriori modo, partim a diuinorum quorumdam attributorum, partim

partim a Θεοπνευστίας *notitia dependet, §. XII.*

Argumenta, quibus Θεοπνευστίας *notitia originem debet, vel diuinam fidem producunt, vel humanam, §. XIII.*

Posterioris generis sunt vel interna, vel externa: atque illa iterum vel a formali scripturae sacrae, vel a materiali desumuntur: quaenam ad priorem classem pertineant? §. XIV.

Quaenam ad posteriorem? §. XV.

Externa argumenta quaenam sint? §. XVI.

Omnibus hisce argumentis, quantumuis non contemnendis, multum praeferenda fides diuina, §. XVII.

Praeter auctoritatem diuinam, inter scripturae sacrae adfectiones referenda eius singularis efficacia, §. XVIII.

itemque perfectio, seu sufficientia, §. XIX.

et perspicuitas, §. XX.

Locis, quae in scriptura sacra occurrunt, obscurioribus, per interpretationem legitimam lux adfundenda, §. XXI.

Quae ad legitimam scripturae sacrae interpretationem requirantur, summatim indicantur, §. XXII.

Finis interpretationis est, vt verum sensum adsequamur: quid per sensum, itemque verum sensum, intelligatur? §. XXIII.

Vnius sermonis vnicum tantum posse esse sensum, §. XXIV.

Nec obstat, quod sensus scripturae plerumque in litteralem & mysticum diuidatur, §. XXV.

Veri quoque sensus obseruanda sunt criteria; inter quae primum: vt constet, librum ab eo auctore scriptum esse, a quo scriptus dicitur, §. XXVI.

alterum: verba textus nec corrupta esse, nec interpolata, §. XXVII.

reliqua iunctim indicantur, §. XXVIII.

In interpretatione scripturae porro respiciendum ad conditionem eius, qui eam interpretari cupit, §. XXIX.

Media hermeneutica quaenam sint? §. XXX.

Auctoritas scripturae canonica vnde dependeat? XXXI.

Quinam libri canonici, quinam apocryphi? §. XXXII.

Scripturam sacram genuinum esse in theologia cognoscendi principium, itemque vnicam fidei & vitae regulam, §. XXXIII

Ad quam adeo & omnes controuersiae theologicae, ceu ad vocem spiritus sancti, tamquam supremi iudicis, sunt exigendae, §. XXXIV.

Vt in omnium hominum vsum est consignata, ita ab omnibus etiam legenda, §. XXXV.

Quare & versiones scripturae sacrae non tantum vtiles, sed & necessariae sunt, §. XXXVI.

Obiectum scripturae sacrae tum primarium, tum secundarium, §. XXXVII.

Finis tum vltimus, tum intermedius, §. XXXVIII

Errores, qui in hocce sacrae doctrinae capite occurrunt, eorumque fontes, summatim indicantur, §. XXXIX.

Verae doctrinae propagatio, ac conseruatio, §. XL. & XLI.

Quae nostri hic sint officii? §. XLII.

§. I.

CUm humanae rationis tanta sit imbecillitas, vt veram & genuinam ad salutem nobis monstrare nequeat viam; benignitati Dei prorsus conueniens fuit, vt ipsemet per reuelationem quamdam specialem, suam, de aeterna salute consequenda, nobis manifestaret voluntatem.

§. II.

Atque erat ea quidem statim post hominum lapsum necessaria; cum miseri isti, qui

qui sua culpa summa felicitate exciderant, nihil omnino excogitare potuissent, quod viam illis ad vnionem cum Deo, pristinamque adeo felicitatem recuperandam, panderet. Hinc & statim cum poenae denuntiatione reuelationem, de ratione modoque consequendi salutem, coniunctam fuisse, nouimus ex *Gen. III, 15.*

§. III.

Summa haec diuinae reuelationis non tantum propagata, sed amplificata subinde, luculentiusque per alias reuelationes explicata fuit. Quae tamen reuelationes non omnibus promiscue obtigerunt, sed certis tantum hominibus, quibus Deus, ceu amicis suis, speciatim ea manifestare voluit, quae deinceps aliis hominibus iterum adnuntiare debebant.

§. IV.

Modus istius reuelationis varius fuit, atque multiplex, cum πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως Deus ad patres loquutus sit per prophetas, *Ebr. I, 1. Num. XII, 6. 8.* * In nullo tamen aliquid Deo indignum; sapientiae potius, ac benignitati diuinae hoc prorsus conueniens fuisse, vt credamus, par est. Etsi enim caussae, cur mox hocce, mox alio modo vti Deo placuerit, non satis cognitae sint atque perspectae, ob longe tamen grauissimas hoc factum esse, non est quod dubitemus.

* Varii isti modi, quibus Deus sanctis hominibus se olim reuelauit, diuersimode recenseri solent. Nobis res ita omnium optime confici posse videtur, si dicamus, hoc interdum *immediate*, nulla angeli, aut hominis cuiusdam intercedente opera, contigisse, interdum *mediate*. Prius iterum vel *simplici* quadam ratione fiebat, vel *symbolica*. *Simplex* ille reuelationis modus absque interuentu signorum, ad corpus relationem habentium, peragebatur. Neque enim dubitandum, cum Deus sit mens purissima, quin ita cum mente hominis intime agere possit, vt absque nullius signi interuentu illi statim innotescant, quae Deus ei vult manifestari. Huc referre licet quod de verbo Dei in prophetis legitur, quod scilicet τὸ ἐν αὐτοῖς πνεῦμα χριστοῦ, *spiritus Christi, qui in illis erat*, iis declarabat, seu manifestabat, *I. Petr. I, 11.* confer. etiam *II. Sam. XXIII, 2. Matth. X, 19. 20. Luc. XXI, 14. 15.* Quae autem per signa quaedam, ad corpus relationem habentia, & per corpus, siue sensus ad mentem delata fiebat reuelatio, *symbolica* vocari solet. Neque haec vnius erat generis, cum imagines istae, seu symbola, vel *sensibus externis*, vel *phantasiae*, seu *imaginationi* offerentur. Per sensus externos hoc subinde factum, sacra nos condocet historia, *Genes. III, 10. Num. VII, 89. 1. Sam. III, 21. Matth. III, 16. 17.* Ad signa externa sensibus oblata a nonnullis etiam referuntur *sortes diuinatoriae*; quarum tum in consultationibus rei obscurae, *Ios. VII, 14. I. Sam. XIV, 42.* tum in distributione haereditatum, immo ipsius terrae Canaan, & nonnumquam in electione, *actor. I, 26.* vsus fuit. Non tantum autem sensibus externis, sed, vti dictum, phantasiae quoque, seu imaginationi symbola eiusmodi, & imagines diuinitus offerebantur: idque aliquando *vigilantibus* contingebat, aliquando *dormientibus*. Nimirum, contingebat interdum, vt vigilan-

gilantes sibi iis in locis esse viderentur, vbi reuera non erant, eaque ibi cernere, quae non nisi imaginationi illorum repraesentabantur: id quod exemplo visionis *Es. VI, 1. 2.* & *Ezech. I, 3. seq.* comprobari potest. Subinde vero & *ecstasis* diuina accedebat, quando spiritus sanctus mentem, a corporis commercio singulari quadam efficacia auocatam, rerum diuinarum meditationibus ac contemplationibus occupatam tenet: idque ea ratione, vt interdum reuelationem ecstasis sequatur, *Dan. X, 8. 9.* interdum antecedat, *actor. X, 9. 10. 11.* Illustre admodum ecstaseos exemplum Paulus exhibet, *II. Cor. XII, 2. 3. 4.* Nec vigilantibus tantum, sed & dormientibus per somnia se patefacere Deo placuit, quorum exempla varia in scriptura sacra occurrunt, *Genes. XXVIII, 12. Matth. II, 12. actor. XVI, 9.* Denique & *mediate* reuelatio fiebat, idque per *angelos*, siue ipsimet hominibus indicarent, quae Deus illis innotescere volebat, siue ea, quae aut vigilantibus, aut dormientibus oblata erant, nec dum intelligebantur, iussu Numinis explicarent. Speciatim Deus subinde Gabrielis angeli opera in rebus maximi momenti vsus est, quippe qui Messiae natiuitatem, plurimaque eo spectantia, primum quidem Danieli, *Dan. IX, 21.* tum Zachariae, *Luc. I, 19.* denique & ipsi Mariae, *ibid. v. 26.* indicauit. Nec creatos modo angelos, sed & ipsum Dei filium, angelorum omnium dominum, angeli specie aliquando hominibus adparuisse, & tum ipsum, tum per aliquem angelum ministrum, arcana Dei iis patefeciisse, nonnulli contendunt. Sed plura de variis reuelationum diuinarum modis dabunt, R. MOSES MAIMONIDES, in *more neu. part. II. cap. XLV.* HERMANNVS WITSIVS, *miscell. sacr. part. I. lib. I. cap. III.* CAMPEGIVS VITRINGA, in *typo doctrinae propheticae, cap. II.*

DAVID KNIBBIVS, in *hist. prophetarum*, ex lingua belgica in germanicam translata, *cap. III. p. 55. seq.*

§. V.

Qualiscumque autem reuelationis esset modus, dubium tamen nullum est, quin diuini vates non tantum conscii sibi fuerint eorum, quae ex ista reuelatione loquebantur, * sed ex criteriis etiam quibusdam longe certissimi, reuelationem istam vere diuinam esse; vt adeo nullo modo ea in re aut errare, aut decipi potuerint.**

* Non enim solet gratia diuina, etiam quae extra ordinem hominibus obtingit, naturam prorsus immutare, aut ex hominibus bruta aut stipites facere. Certe, nullo ex scriptura sacra comprobari potest exemplo, hominem, qui ex instinctu diuino loquebatur, non fuisse conscium eorum, quae loquebatur. Idem & ex dictis, factis, sermonibus, immo disceptationibus prophetarum luculenter patet, quippe quae satis superque docent, conscios eos omnino fuisse illorum, quae ex reuelatione & instinctu diuino aut dicebant, aut faciebant.

** Varia erant momenta, quibus de reuelationis diuina origine ac veritate certi reddi poterant: intima mentis conuictio, ex lucis intus illabentis splendore, Deique aut adparentis, aut loquentis maiestate, vel alia ratione orta, accedente singulari spiritus sancti operatione: cumprimis θεοπρέπεια; quae in eo consistit, vt in reuelatione ipsa, aut eius etiam modo, nihil omnino sit, quod cum sanctitate, bonitate, iustitia, ac veracitate Numinis pugnet, aliaque.

§. VI.

Nec deerant illis argumenta, quibus alios, se a Deo missos, conuincere poterant. Certe

Certe haec si iis defuissent, quantumuis ipsi de reuelatione diuinitus sibi facta longe fuissent certissimi, ab aliis tamen, vt reuelationem illis factam pro diuina haberent, exigere non potuissent. *

* Criteria, ex quibus verus propheta poterat cognosci, sunt I.) conuenientia doctrinae cum ea doctrina, cuius veritas tum ex ratione ipsa, tum ex reuelatione primis parentibus facta, & per patriarchas propagata, per Mosen autem copiosius explicata constabat; II.) vitae sanctae & inculpatae studium: III.) futurorum contingentium praedictionum implementum, *Esa. XLI, 21 - 26. XLIII, 9. XLIV, 7. 8. Exod. III, 12. Deut. XVIII, 22. Esa. XXXIV. Ierem. XXVIII, 9.* IV.) interdum etiam miracula.

§. VII.

Erant equidem ea, quae Deus prophetis olim reuelauit, non vnius generis; hic tamen maxime illa in censum veniunt, quae scitu crediuque hominibus ad salutem aeternam consequendam erant necessaria: quorum summa erat, doctrina de hominum seruatore, qui ipsos cum Deo reconciliare debebat: quod, vti diximus, primis iam parentibus Deus reuelauerat. *

* Pertinent haec ad obiectum prophetiae, seu diuinae reuelationis: quod vtique non est vnius generis. Solebat enim Deus quaeuis arcana, praeterita, praesentia, prout vtraque occulta erant, futura, sanctis vatibus reuelare. In duas autem praecipue classes ea, quae Deus prophetis reuelabat, dispescere licet: quarum altera *mundi huius*, altera

ecclesiae fata complectitur. Prioris classis vaticinia iterum vel generatim, aut ad totius orbis, aut magnae eius partis, pluriumque adeo imperiorum mutationes, conuersiones, interitus, spectabant; vt reuelatio Noacho facta, de orbe per diluuium puniendo, *Gen. VI, 13.* item, quae de imperio Babylonico, Persico, Macedonico, & successorum Alexandri, *Dan. II, 31 -- 46. VII, 1 -- 28. XI, 1. 2. seq.* leguntur; vel speciatim, quid singulis gentibus, vt Aegyptiis, Babyloniis, Assyriis, Iudaeis, Tyriis, aut hominibus etiam, quorum opera Deus singulari quadam ratione vti decreuerat, vt Nebucadnezari, Pharaoni Necho, Cyro, Dario Codomanno, Alexandro magno, aliis, euenturum esset, indicabant. Posterioris autem classis vaticinia, Christum, regem & caput ecclesiae, tum & ecclesiam ipsam, secundum varios eius status, delineabant. Et haec quidem praecipuum diuinae reuelationis constituebant obiectum; immo, hocce caput, & velut centrum omnium reuelationum erat, vt hac ratione hominibus ille innotesceret, sine quo nemo spem vllam salutis habere poterat. Hoc inductione omnium reuelationum, Adamo, Noacho, Abrahamo, ceterisque patriarchis, Mosi, Samueli, Dauidi, reliquisqui prophetis omnibus, factarum demonstrari posset, nisi aperta sacrae scripturae testimonia nos hac de re dubitare non sinerent. Mirifice itaque in eo conspirarunt omnes diuini vates, ea quidem ratione, vt iis, quae primis parentibus Deus reuelauerat, noua semper lux accederet, donec euentu omnia haecce vaticinia euidentissime comprobarentur; *Dan. IX, 24. Matth. XI, 13. Luc. XXIV, 26. 27. actor. III, 24.*

§. VIII.

Placuit porro Deo, pro ipsius sapientia, & erga

& erga homines miseros benignitate, vt ea, quae hunc in modum reuelauerat, quaeue ad salutem consequendam omnes scire oportebat, per viros θεοπνεύστας litterarum monumentis consignarentur. Idque eo magis necessarium erat, quod extraordinarium donum propheticum in ecclesia non esset futurum perpetuum. * Accedebat praeter alia, quod doctrina reuelata, multiplicato nimis hominum genere, per oralem traditionem commode propagari non posset. Hinc & istius consignationis eo tempore factum est initium, quo oralis traditio non amplius locum inueniebat.**

* Postquam enim ea omnia, quae scitu creditu-que hominibus, etiam secundum certa oeconomiae foederis gratiae interualla, ad salutem necessaria erant, a viris θεοπνεύστοις litteris erant consignata, extraordinario illo dono prophetico non amplius opus erat. Scio equidem, acriter subinde hac de re disceptatum fuisse, num in nouo testamento, adeoque & nostra aetate reuelationes eiusmodi, quae immediate a Deo originem trahunt, hominibus obtingant? nonnullis quidem hoc adfirmantibus, aliis autem, & quidem plerisque nostrae ecclesiae theologis, hoc negantibus. Qua de re, vt paucis, quid veritati consentaneum credam, aperiam, primo obseruandum, de eo tempore quaeri, quod totius scripturae, adeoque & noui testamenti canonem clausum, sequutum est. Discrimen praeterea constituendum inter res ad fidem & vitam recte instituendam pertinentes, & ea, quae ad ecclesiae, aut rei publicae statum, aut fata etiam singulorum quorumdam hominum spectant. In hisce enim

enim Deum quandoque hodienum aliquid reuelare, nonnulli etiam ex nostrae ecclesiae doctoribus credunt. Deum vtique hoc facere non posse, nemo adseret: quod vero nec velit, nulla ratione idonea comprobari potest. Nullibi sane Deus, quod hoc amplius facere noluerit, declarauit. Quaeue, vt olim hoc faceret, eum induxere caussae, adhuc hodie, vt idem faciat, eum permouere possunt. Caute tamen & admodum circumspecte hac in re versandum. In iis vero rebus, quae ad fidem, vitamque recte instituendam pertinent, post clausum noui testamenti canonem, nullas amplius reuelationes immediate a Deo exspectandas, & recte adseritur, & firmissimis demonstrari potest rationibus. Id namque I.) apostolus ipse diserte nos condocet, quando olim πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως Deum patribus per prophetas loquutum dicit; at *vltimis temporibus*, ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν eum loquutum esse ἐν υἱῷ *in filio* seu *per filium*, *Ebr. I, 1.* II.) Probari hoc porro inde potest, quod terminus vaticiniorum, adeoque & reuelationum, quae extra ordinem hominibus obtingunt, aduentus Christi, & regni, seu nouae foederis gratiae oeconomiae, ab eo introducendae, constitutio, diserte ponatur, *Dan. IX, 24. Matth. XI, 13. Luc. XVI, 16.* Accedit III.) quod in rebus fidei, adeoque via salutis eligenda, numquam ad reuelationes eiusmodi, quae immediate hominibus obtingunt, sed ad scripturam sacram ablegemur, *Ioan. V, 39. Luc. XVI, 29. 31.* Cumprimis vero & quidem IV.) hunc in modum rationes subducere licet: si in rebus fidei nouae reuelationes admittendae sint, vel ideo id fieri oportet, quod noua doctrina in illis proponatur, vel vt doctrina, qua hactenus ecclesia personuit, insigni quadam accessione augeatur, vel vt veritas in scriptura proposita clariore luce perfundatur, vel denique, vt eadem

maiori

maiori quadam efficacia & ἐνεργείᾳ proponatur. Quod si nulla ex quatuor hisce caussis locum inueniat, sequetur, inutiles, & superuacaneas esse nouas reuelationes, easque adeo, vtpote a Deo non profectas, minime esse admittendas. Nullam vero ex iis locum inuenire, facili negotio probari potest. v.) Omni, cui nouas istas reuelationes superstruant, destituuntur fundamento. Ad experientiam prouocare nequeunt, cum, quaecumque in rebus ad fidem & vitam spectantibus, proferuntur nouarum reuelationum exempla, merito statim reiiciantur, & explodantur, cum per hactenus dicta pro diuinis haberi nequeant. Nec in scriptura, quod illis praesidio sit, inuenient. Ad locum enim, *Ioel. II, 28. 29.* quem praecipue vrgere solent, iam dudum ita responsum est, vt, quod regeri queat, supersit nihil. Si κατὰ ῥητὸν is accipiatur, impletum hocce vaticinium adcuratissime est eo tempore, cum prima nouae foederis gratiae oeconomiae fundamenta ponenda essent, praecipue quidem, cum sollemni ratione spiritus sanctus super apostolos effunderetur; tum vero & per alia dona miraculum arguentia, vsque ad clausum sacri codicis canonem; confer. *act. II, 1. 2. seq. VIII, 17. X, 44. XIX, 6.* Sin κατὰ διάνοιαν, nihil aliud innuitur, quam amplior illa, & illustrior rerum diuinarum cognitio, quae omnibus noui testamenti fidelibus quouis tempore promissa, non autem alia ratione, quam per legitimam verbi diuini, in scriptura sacra propositi, illis obtingit tractationem.

** Singularis in eo Numinis, circa veram reuelationem propagandam & conseruandam eluceſcit prouidentia, quod non tantum, quae scitu creditu-que ad salutem necessaria sunt, litteris consignari voluerit, sed & eo tempore eius rei fieri initium, quo id vel maxime necessarium videbatur. Ea enim, qua

qua Moſes vixit, aetate, magna gentium variarum per orbem facta erat diſperſio ; ſuperſtitio inſuper, ac idololatria, maxima incrementa ſumſerat: vnde religionis reuelatae, quam patriarchae per traditionem propagauerant, pauca fere hinc inde ſupererant veſtigia. Nec tanta amplius hominum, etiam ſanctorum, quam antea, longaeuitas, quae ceteroquin veritati, per traditionem propagandae, vel maxime inſeruire poterat : ipſo Moſe hancce hominum ſuae aetatis miſeriam deplorante, *Pſ. XC, 10.*

§. IX.

Atque hinc originem ſcripturae intelligere licet, quippe quae diuinam reuelationem per viros θεοπνεύστους litteris conſignatam, nobis exhibet.

§. X.

Nimirum, etſi ſcriptores ſacri non tantum quae ex reuelatione, ſed & ex ſenſuum teſtimonio, aut aliunde iis conſtabant, litteris conſignabant; nihil tamen ſine diuina ſcripſerunt inſpiratione, idque, ſiue res ipſas, ſiue verba & formulas loquendi, quibus vſi ſunt, ſpectes. * Vnde, qua ratione Deus *cauſſa efficiens principalis*, ſcriptores autem ſacri *inſtrumentalis* dicantur, intelligitur. **

* Enimuero, diuinam inſpirationem ita ſeſe habuiſſe, vt ſcriptoribus ſacris tum rerum ipſarum, tum & verborum conceptu, ſuppeditarentur, 1.) ex fine ſcripturae ſacrae quam rectiſſime demonſtratur; qui in eo conſiſtit, vt omnes homines ad ſalutem per fidem in Chriſtum obtinendam, erudiantur, adeoque certiſſimam, quaeue nulla ratione fallere poſſit,

possit, fidei atque vitae regulam habeant, *Ioan. XX, 31. II. Tim. III, 15. 16.* Hic autem finis frustra scripturae sacrae propositus esset, nisi non tantum qua res, sed & qua verba diuinitus esset inspirata. Si enim verba ab ipsis scriptoribus sacris tantum profecta essent, dubitari semper posset, an recte diuini Numinis sententiam expressserint, numue Deus id ipsum velit, quod verba illorum indicant? Deinde II.) & ipsa scriptura sacra hoc diserte testatur, & quidem Paulus, *II. Tim. III, 16.* quando πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος, *omnem*, seu *totam scripturam, quae diuinitus inspirata est, vtilem esse* dicit *ad doctrinam, ad conuictionem* &c. Dum enim ipsam *scripturam* θεόπνευστος vocat, non de rebus solum, sed verbis quoque, quibus res diuinae in scriptura exprimuntur, se loqui, aperte significat; quo sensu etiam *versu praeced.* scripturam sacram vocat ἱερὰ γράμματα. Consentit III.) & Petrus, idemque confirmat, *II. ep. I, 19. 21.* quando, sanctos Dei homines *loquutos*, dicit, φερομένους ὑπὸ πνεύματος ἁγίου, *latos a spiritu sancto.* Etenim, licet verbum φέρω de *impulsu* & *instinctu* etiam accipi queat, vt adeo ad voluntatem referatur; quia tamen hic diserte cum sermone connectitur, dum dicit: ἐλάλησαν, manifestum est, eiusmodi operationem sancti spiritus indicari, ex qua conceptus rerum pariter ac verborum fluxerint. Nec enim sine verbis scriptores sacri aut loquuti sunt, aut scripserunt. Cumprimis vero IV.) luculentum admodum est effatum Christi seruatoris, spiritum sanctum apostolis, quando coram iudicibus & magistratibus sistendi essent, promittentis: *Cum autem sistent vos*, (coram principus atque regibus) *nolite curare, quomodo & quid loquamini: suggeretur enim vobis eadem hora, quid loquamini. Non enim vos eritis, qui loquemini, sed patris vestri spiritus in vobis loquens; Matth. X, 19. 20.* confer. *Marc.*

Marc. XIII, 11. Luc. XII, 11. 12. XXI, 14. 15. Non ergo res saltem, sed verba ipsa apostolis spiritus sanctus suggerebat: *suggeretur, quid loquamini*, immo ipse spiritus sanctus in apostolis loquebatur. Neque est, quod excipias, hoc apostolis tum demum promissum, cum ad tribunal abreptis euangelii caussa agenda esset; nec inde sequi, rem ita se habuisse, cum aliquid litteris consignarent. Longe enim maioris momenti scriptio illa erat, qua, vt totius orbis doctores, non praesentem modo, sed futuram aetatem, adeoque omnes huius vniuersi homines de rebus maximi momenti, ad salutem quippe aeternam spectantibus, erudiebant. Quo dum fungebantur officio, longe magis adhuc necessarium erat, vt extra omne erroris periculum, qua res ipsas, qua verba, constituti essent, quam cum coram iudicibus aut suam, aut euangelii caussam agerent.

** Librum autem ab eo, cui tribuitur, scriptum esse, certo cognoscere licet, si I.) is, qui eius auctor fertur, eum ab se scriptum, dicat: II.) alii scriptores, qui aut eodem tempore, aut paullo post vixerunt, idem testentur: sique porro III.) nihil in isto libro, qua res ipsas, qua sermonem, modumque loquendi, occurrat, quod non auctori, aut etiam tempori, quo vixit, conueniat. Qua quidem ratione, cum cuiusuis libri γνησιότητα explorare, criticae artis magistri doceant; in scriptura sacra tamen adhuc accedit, allegatio in alio scripturae sacrae libro. Id enimuero apud eos, qui diuinam scripturae sacrae auctoritatem agnoscunt, merito tantum valet, vt vel minimum ea de re dubitare, nefas esse ducant. Quodsi singulorum sacrae scripturae librorum γνησιότητα velimus cognoscere, legi possunt praeter alios PETRVS DANIEL HVETIVS, in *demonstr. euang.* & LVDOVICVS ELIAS DV PIN, in *dissertatione praeliminari in scripturam sacram*; sed vt ex Romanae

manae ecclesiae placitis, aut nimia etiam, quam sibi indulserunt, libertate, nonnulla admiscerent, quae minime sunt probanda. Ex nostratibus itaque hic conferre iuuabit MICHAELEM WALTHERVM, in *officina biblica*, & B. IO. GERHARDVM nostrum, in *locis theolog. loc. I. p. 53. seq.* De veteris testamenti libris, & eorum scriptoribus, ex instituto etiam disputaui in *historia ecclesiastica veteris testamenti*: quod & IO. GOTTLIEB CARPZOVIVS fecit, in *introd. ad libros canon. biblior. veteris testamenti.* De noui testamenti scriptoribus speciatim conferendi IO. MILLIVS, in *prolegom.* nouo testamento graeco, a se edito, praemissis; GVIL. CAVE, in *antiquitatibus apostolicis*; IO. ALBERT. FABRICIVS, *biblioth. graecae lib. IV. cap. V. p. 122. seq.* Atque ex hisce quoque auctoribus constabit, γνησιότητα epistolarum Iacobi, posterioris Petri, secundae & tertiae Ioannis, Pauli ad Ebraeos, & denique apocalypseos, sine ratione olim in dubium vocatam: qua de re etiam legenda, quae diligenter IO. HENR. MAIVS disseruit, in *repetito examine hist. criticae textus noui testamenti Richardi Simonis, cap. XVI. seq.* &, ad epistolam ad Ebraeos quod attinet, FRID. SPANHEMIVS, de *auctore epistolae ad Ebraeos, tom. II. oper. p. 171. seq.*

§. XI.

In ipsa scriptione, tum *materia*, tum *forma*, vt in scholis loqui solent, considerauda venit. Materiam in verbis, phrasibus, periodis, seu ipsa lingua, ebraea, qua vetus, graeca, qua nouum testamentum agnoscere licet. * Formam autem in conceptibus rerum & verborum, prout scribentium menti diuinitus sunt inspirati. **

* Codicem sacrum veteris testamenti lingua ebraea conscriptum esse, constat inter omnes, nec est, qui hac de re dubitet. Pauca quaedam excipienda sunt chaldaice scripta, vt in *Daniele cap. II. a versu 4. ad finem*; item *cap. III, IV, V, VI, & VII.* tota: in libro *Esrae a versu 8. cap. IV. vsque ad versum 18. cap. V.* & rursus *a versu 12. cap. VII. vsque ad versum 26.* eiusdem capitis; in Ieremia denique vnica pericope *cap. X, 11.* qua concepta verba praescribuntur Israelitis, quae Chaldaeis, ad idololatriam eos sollicitantibus, regerere debebant. Chaldaicis hisce commercia, quae Iudaeis eo tempore cum Chaldaeis intercedebant, occasionem praebuisse, nemo non intelligit. Nec caussa procul arcessenda, cur scriptores veteris testamenti lingua ebraea vsi sint. Erant ipsimet Ebraei, in gente ebraea viuebant, & in Ebraeorum praecipue gratiam, si finem proximum spectes, scribebant. Ad nouum testamentum quod attinet, illud graece scriptum esse, constat, quod & speciatim de Matthaei ac Marci euangelio & epistola ad Ebraeos facile probari potest.

** Eodem itaque res redit, quando alii formam, seu formale, scripturae sensum esse, dicunt. Est enim *sensus* nihil aliud, quam id, quod scriptores sacri ex inspiratione diuina in mente habuerunt, & per verba ceu signa aliis indicarunt. Sunt &, qui formam scripturae in ipsa θεοπνευστία constituunt: quod admitti potest, si non tam ipse actus inspirationis in se spectatus, quam prout cum conceptibus rerum ac verborum, per inspirationem diuinam suppeditatis, coniunctus fuit, hac voce intelligatur.

§. XII.

A Deo itaque ipso cum scriptura sacra sit profecta, diuina quoque eius inde sequitur

quitur auctoritas, quae, si absolute consideretur, a summa eius veracitate, & potestate infinita dependet; * sin relatiue & quoad nos, partim a notitia diuinorum attributorum, praesertim antea memoratorum, partim a notitia θεοπνευστίας. **

* Diuina haecce scripturae auctoritas, quae & αὐθεντία, ab aliis ἀξιοπιστία, itemque ἀυτοπιστία dicitur, in eo consistit, quod intellectum humanum ad adsensum dictis eius, voluntatem autem ad obsequium, mandatis eius praebendum, moueat. Intellectus autem ad adsensum dictis eius praebendum non potest non per summam Dei veracitatem moueri. Cum enim hominibus etiam, quorum & circumspectio, & integritas satis superque nobis cognita est, fidem denegare stolidum sit; multo magis & iniquum, & absonum esset, eam illi non adhibere, qui vt omniscius, ita & veracissimus est, ita quidem, vt longe facilius sit, vt omnes demonstrationes mathematicae fallant, quam vt vel minimum verbum proferat, cui veritas non constet; conf. *num. XXIII. ip.* Voluntas porro, vt ad obsequium moueatur, id a potestate, seu imperio, quod alter in nos habet, prouenit. Deum autem imperium in omnes homines, seu potestatem, obsequium ab iis exigendi, habere, inter primas, quas ratio ipsa omnes docet, notiones merito refertur.

** Vt enim scriptura sacra effectum istum in nobis producere, hoc est, intellectum ad adsensum, voluntatem ad obsequium mouere queat, necesse est, primum quidem, vt sciamus, Deum & veracem esse, & merito obsequium a nobis exigere: deinde, scripturam sacram eum auctorem agnoscere. Etenim, si quis alterutrum, aut vtrumque vel ignoraret, vel negaret, is ad adsensum & obsequium diuinis litte-

ris praebendum, adduci non posset. Quemadmodum autem prius, Deum & veracissimum esse, & potestatem habere, obsequium ab omnibus exigendi, ratio ipsa euidentissime nos condocet; ita, quo pacto nobis posterius innotescat, nunc porro demonstrabitur.

§. XIII.

Argumenta, quae notitiam θεοπνευστίας apud nos producunt, non sunt vnius generis. Quaedam enim fidem diuinam producunt,* quaedam autem humanam equidem, sed, si recte capiantur, adeo certam, vt demonstrationi fere aequipolleat.**

* Per *fidem diuinam* cognitionem intelligimus, simpliciter certam, & omnem oppositi formidinem excludentem, quae per internum spiritus sancti testimonium, quod in legitima verbi diuini tractatione sese exserit, producitur, vt deinceps ad §. *XVII.* vlterius exponemus.

** Per *fidem humanam* eiusmodi hic intelligitur cognitio, quae aut testimonio mere humano, aut alia quadam ratione probabili nititur: adeoque non simpliciter certa, sed verosimilis est. Quemadmodum autem diuersi dantur verosimilitudinis gradus, ita fieri potest, vt eo vsque interdum exsurgat, vt scientiae, seu cognitioni plane certae aequipolleat: adeoque de iis, quae per eiusmodi argumenta probabilia cognoscuntur, non magis dubitare liceat, quam quae per demonstrationem euidentissimam constant. Atque ita se habere fidem, quae vocatur, humanam, qua diuinam scripturae sacrae inspirationem credimus, non dubitabit, qui paullo adcuratius argumenta, quibus nititur, considerauerit, cnmprimis autem ad verum probandi neruum recte attenderit.

§. XIV.

§. XIV.

Quae fidem humanam producunt, vel *interna* sunt, vel *externa*. Interna sunt, quae ex ipsa indole, atque natura scripturae sacrae desumuntur: & quidem tum a formali eius, seu stili simplicitate, cum summa maiestate coniuncta; * tum a materiali, seu ipsius doctrinae sacrae adfectionibus, diuinam eius originem arguentibus.

* Nimirum, quod ad stilum scripturae sacrae attinet, primo constat, quod nihil in eo occurrat, quod diuina indignum sit maiestate. Quin potius secundo, simplicitas cum summa grauitate coniuncta vbique conspicitur. Simplicitatem autem dum voco, eam sermonis virtutem intelligo, quae, fucum omnem, adfectatum artificium, aut quidquid ad iactantiam & ostentationem facit, ab eo procul abesse, demonstrat. Hinc nec diuersitas stili, quae in scriptoribus sacris conspicitur, eius obstat simplicitati. Quantumuis enim sublimius dicendi genus in vno, planius, & facilius in alio conspiciatur, in nullo tamen fucati aliquid, aut adfectati, aut quod naturale non sit, deprehenditur. Haec vero simplicitas, quae numquam non animi & ingenui, & a minutiis abhorrentis, magna contra atque seria consectantis, character est, cum singulari coniuncta est grauitate: vt nihil, quod puerile, aut leue, aut parum decorum sit, lectorem offendat. Cumque idem iste stili character, simplicitas scilicet, cum grauitate coniuncta, in diuersis adeo scriptoribus, temporum pariter ac locorum interuallis ab se inuicem seiunctis, se ostendat; argumento id est, vno eodemque omnes impulsos spiritu ad scribendum accessisse. Accedit porro, quod cuncta, credenda pariter ac agen-

da, ita proponantur, vt vim quamdam superiorem, & auctoritatem imperantis facile agnoscas. Immo, haec ipsa formula, *sic dicit dominus*, qua diuini subinde vtuntur vates, vt diuinam sermonis originem demonstrat, ita maiestatem singularem, vimque, animos hominum percellendi, sermoni ipsi conciliat; praesertim si conditio, notaque & perspecta virtus & integritas eius, qui ea vtitur, respondeat.

§. XV.

Adfectiones doctrinae, in scriptura sacra exhibitae, quae diuinam eius arguunt originem, sunt veritas, * sanctitas, ** & sufficientia. ***

* Vt, quod a *veritate* doctrinae, in scriptura sacra propositae, desumitur argumentum, rite capiatur, euincendum prius, in scriptura sacra occurrere nihil, quod non sit verissimum. Hoc vero, licet pro certo adsumi queat, donec vel vnico exemplo, quod responsionem non admittat, euincatur contrarium: potest tamen etiam hunc in modum demonstrari: quaecumque in scriptura sacra continentur, ad duas rerum classes referri possunt; namque aut *facta* sunt, aut *dogmata*.

Ad *facta* quod attinet, ea aut extraneorum quoque scriptorum consensu confirmari possunt, aut solo domesticorum testimonio nituntur. Prioris generis plurima in veteri pariter, ac nouo testamento continentur. Quodsi etiam directe & exserte scriptores profani eorum, quae scriptura sacra meminit, mentionem non faciant: cum tamen de statu & fatis aliarum gentium, e. g. Aegyptiorum, Chaldaeorum, Persarum, Graecorum, ea tradant, quae plane cum iis, quae scriptura sacra de Iudaeorum cum hisce gentibus commerciis commemorat, consentiunt,

unt, mirifice inde quoque sacrae historiae veritas confirmatur. Quodsi autem vel maxime inter scriptores sacros & profanos dissensus aliquis, & quidem de rebus aut Iudaeorum aut christianorum, intercedat; aequitas vtique naturalis postulat, vt scriptoribus domesticis, de rebus sibi cognitis atque perspectis scribentibus, potius fides adhibeatur, quam extraneis, de rebus parum sibi exploratis verba facientibus, subinde & aperte falsa tradentibus: quod exemplo scriptorum gentilium, res iudaicas attingentium, alibi demonstratum est. Quodsi nunc porro accedat, scriptores domesticos ea esse conditione, eamque integritatis obtinere laudem, vt ne minima quidem suspicio sit, data opera eos mentiri, & falsa tradere voluisse; stolidum prorsus, atque ineptum foret, eorum narrationibus credere nolle. Certe nullus hac ratione esset historicus, cuius non pronum esset labefactare fidem, adeoque facta quaeuis, etsi longe certissima, in dubium vocare.

Iam, quod ad *dogmata* attinet, quae in scriptura sacra continentur, ea iterum vel *agenda* sunt, vel *credenda*. Si ea, quae Deus hominibus agenda in sacra scriptura praescripsit, consideremus, nihil in iis, quod rationi repugnet, deprehendemus, eorumque adeo veritas ex ipso cum recta ratione consensu euinci quam validissime potest. Ad rationis autem dum prouocamus consensum, *rectam rationem* intelligimus, quae nec Aristotelis, nec Platonis, aut Stoicorum decretis, vel placitis sectae cuidam propriis, sed euidentissimis principiis, ex humanae naturae consideratione fluentibus, nititur. Haec si in consilium adhibeamus, statim videbimus, quae scriptura de Deo super omnia, hominibus vero aliis, sicut nos ipsos diligendis, de temperantiae, castitatis, aliarumque virtutum studio, deque aduersis fortiter & patienti animo ferendis, docet, ea ipsam rationem suo

non posse non comprobare calculo. Immo & quae de inimicorum dilectione, deque abnegatione sui scriptura sacra docet, ita comparata sunt, vt ratio ipsa facile intelligat, naturae humanae esse haec consentanea, cum & inimici nostri aeque homines sint, ac nos ipsi; & abdicatio rerum omnium, quae virtutis studium sufflaminare, aut impedire possunt, non possit non magna in laude poni. Non minus tamen in *credendis* scripturae sacrae sibi constat veritas. Namque & haec iterum duplicis sunt generis. Quaedam enim ex rationis etiam lumine innotescunt; vt, Deum esse vnum, eumdemque summe bonum, sapientem, potentem, totumque hocce vniuersum prouida sua cura dirigere, ac gubernare: alia autem tantum ex reuelatione constant, adeoque, licet non sint contra rationem, eius tamen vim superant, atque excedunt, & idcirco *mysteriorum* nomine venire solent: quorsum pertinent, quae de Deo in essentia vno, trino in personis, de incarnatione Christi, & reliquis eiusdem generis, scriptura sacra tradit. Haec vero eo ipso, quod mysteria sunt, & rationis vim atque captum superant, falsitatis cuiusdam argui nequeunt. Vt enim dogma aliquod vel verum, vel falsum pronuntietur, necesse est, vt euidenter cognoscatur. De rebus obscuris, quarumue claras & distinctas ideas non habemus, nihil omnino ratio pronuntiat, aut pronuntiare potest. Atque hinc etiam patet, non posse adseri, quod mysteria sint contra rationem, seu, quod pugna quaedam sit inter rationem atque reuelationem. De iis namque, quae non euidenter percipio, non possum adserere, quod aut inter se, aut cum aliis pugnent.

Atque haec cum ita se habeant, superest, vt ostendamus, quo pacto ex veritate, diuina scripturae sacrae auctoritas probari queat. Id vero facile intelliget, qui considerauerit, 1) nullum vmquam, etiam

iam a sapientissimo mortalium, elaboratum esse scriptum, quod non (nisi ex ipsa scriptura desumtum sit) erroribus quibusdam, falsisque opinionibus sit obnoxium, praesertim in iis, quae ad Deum, reique diuinas, pertinent. Quis ergo non videt, vim humana longe maiorem, hoc est, diuinam ad hoc requiri, vt scriptum aliquod proferatur, quod nullius erroris, nulliusque falsitatis, in rebus tanti momenti possit argui? Accedit, II.) vimque nostrae probationis mirifice auget, consensus atque harmonia tot scriptorum, qui libros sacri codicis ex instinctu spiritus sancti composuerunt. III.) Vaticinia eorumque complementa, veritati dogmatum atque factorum addita, diuinam scripturae auctoritatem euidenter euincunt, praesertim si nexum omnium vaticiniorum, & concatenatas velut praedictiones, consideres, quibus euentus singuli, ad totius regni gratiae oeconomiam spectantes, pridem antea, quam contigerunt, fuerunt significati; adeo quidem, vt nonnullis non difficile fuerit, *systemata* quaedam *theologiae propheticae*, ad ductum scripturae sacrae condere. IV.) Plurimi ex scriptoribus sacris simul vaticinia ediderunt, euentu deinceps comprobata, vt Esaias, Ieremias, aliique prophetae, quorum in codice sacro exstant scripta, itemque rex sanctissimus Dauid in psalmis, immo & ipse Moses, quippe qui non tantum aliorum vaticinia refert, vt Iacobi, *Gen. XLIX.* & Bileami, *Num. XXIV.* sed & ipse quoque nonnulla praedixit, vt vel ex *Deut. XXXIII.* liquet. Eos enim, qui hac ratione se veros prophetas demonstrarunt, etiam alia ex impulsu & inspiratione diuina scripsisse, non, est, quod dubitemus, praesertim, si & reliqua diuinae inspirationis criteria conspirent. V.) Scriptura sacra de rebus plurimis scitu necessariis nos informat, quas, sine ea si essemus, plane ignoraremus: quo ipso & plurima soluit dubia, & rationem, in rebus

maximi momenti, certam scientiam consequendi, nobis suppeditat. Quod, cum nullum scriptum humanum efficiat, aut efficere queat, diuina eius iterum inde eluceſcit auctoritas. Exemplo esse possunt, quae de mundi rerumque omnium, speciatim hominum origine, deque origine mali, de inuentione & propagatione artium, de linguarum diuersitate, & reliquis eiusdem generis, item de ratione aeternam salutem consequendi, tradit.

** *Sanctitas* quando scripturae sacrae tribuitur, partim id de *dogmatibus* ipsis, partim de *sermone*, partim denique de *animo* scriptorum sacrorum, luculentissime in scriptura sacra se prodente, intelligi potest. *Dogma* aliquod sanctum vocari potest, si ita comparatum sit, vt nihil contineat, quod non legi, atque voluntati Dei, qui est sanctissimus, sit conueniens. Scripturae autem sacrae dogmata, speciatim & ea, quae de agendis praecipiunt, sancta hoc pacto esse, nemo dubitauerit, nisi qui ea prorsus ignorat. Cuncta enim, quae de fide & vita praecipit, eo tendunt, vt a peccatorum sordibus purgati, *Deo seruiamus in sanctitate & iustitia*, *Epheſ. IV, 24.* Nec dogmata scripturae tantum sancta sunt, sed eo quoque *sermonis* genere proponuntur, in quo summa grauitas pariter, ac sanctitas eluceſcit. Nihil, quod leue, aut turpe, vel obscoenum sit, vel speciem quamdam vitii animis lectorum obiicere queat, in scriptura sacra deprehenditur. Sed *ipsorum* quoque *scriptorum* sanctitas, eminensque virtutis studium, in scriptura sacra satis eluceſcit: cum earum imbecillitatum, quas in aliis scriptoribus deprehendimus, eos immunes esse, obseruare liceat.

*** *Sufficientia* in eo consistit, quod scriptura sacra omnia, quae creditu atque factu ad salutem sunt necessaria, pleniſſime exhibet. Quae enim ratio de Deo, rebusque diuinis, de lege naturali, de peccato, de

de peccatorum poenis, de recte factorum praemiis cognoscit; ea imperfecte tantum cognoscit, & ad salutem consequendam minime sufficiunt. Reconciliationem hominis peccatoris cum Deo, &, qua ratione haec fieri queat, plane ignorat. Scriptura autem sacra haec omnia ita tradit, vt nihil plane eorum, quae ad hunc finem comparata sunt, sit praetermissum; immo ita tradit, vt quilibet mortalium, si modo vsu rationis polleat, & diligentiam debitam adhibere velit, omnia, quae ad salutem consequendam pertinent, facili negotio inde haurire queat. Cumque bonitati & sapientiae diuinae sit conueniens, vt eiusmodi medium ad salutem perueniendi, ea quidem ratione, vt finis commode obtineri possit, exstet; scriptura autem sacra illud ita, vt par est, omnibus exhibeat; hanc a Deo ipso profectam, non sine ratione inde colligimus.

§. XVI.

Externa argumenta cum iis fere conueniunt, quibus christianae religionis veritas probatur, atque a doctrinae, in scriptura sacra propositae, antiquitate, a conditione scriptorum sacrorum, a miraculis, a testimonio ecclesiae, speciatim martyrum, & denique a doctrinae christianae conseruatione, ac mirabili propagatione, peti solent.

§. XVII.

Quantumuis autem haec argumenta magni ponderis sint, atque eiusmodi probationem suppeditent, quae a demonstratione prope absit: longe tamen certior adhuc est

est fides diuina, quae ex interno spiritus sancti testimonio, in legitimo verbi diuini vsu sese exserente, nec ab illo vlla ratione seiungendo, oritur. *

* Producitur *fides diuina* per spiritus sancti operationem, qua intellectum lumine diuino perfundit, vt de veritate rerum, quae in scriptura sacra proponuntur, intime conuincatur, simulque voluntas valide ad obsequium flectatur. Nec tamen hoc ita intelligendum, ac si spiritus sanctus immediate istud in nobis efficiat. Quinimmo per ipsum verbum, si rite tractetur, nec homines ipsi repugnent, talia in nobis operatur, vt adeo coniungendum sit cum ipsa operatione spiritus sancti verbum diuinum, minime separandum. Est equidem Christus ipse *lux vera, illuminans omnem hominem venientem in hunccc mundum*, *Ioan. I, 9.* Ad non immediate hoc facit, sed per verbum, quod ideo hominibus adnuntiatum est; conf. *I. Thessal. II, 13. I. Cor. II, 4, 5. Rom. I, 16. XV, 18.*

§. XVIII.

Ex eo nimirum, quod scriptura sacra a Deo ipso est profecta, praeter auctoritatem, qua pollet, efficacia quoque eius singularis, non naturalis, sed supernaturalis, planeque diuina, fluit; quae in hominum illuminatione, conuersione, regeneratione, aliisque effectibus spiritualibus producendis, quam luculentissime sese exserit. * *Ephes. I. 17. Rom. I. 16. X. 17.* conf. & *Ps. XXIX. 3. seq.*

* Verbum diuinum vim hanc & efficaciam etiam extra vsum habet, si scilicet de actu primo sermo est.

Vt

Vt enim actu secundo vim hancce demonstret, seu, vt potentia illa sese exserat, necesse est, vt vsus, & quidem legitimus, accedat, nec homines ipsi impedimentum aliquod adferant. Atque hoc ipsa testatur scriptura, quando verbum diuinum cum semine comparat, quod numquam non vi quadam, atque potentia, in fructus erumpendi, pollet, eamque vim & potentiam actu secundo demonstrat, nisi terrae aut agri, in quem proiectum est, conditio obstet, aut alia quaedam impedimenta accedant: id quod fusius ipse seruator explicat, *Luc. VIII, 4. seq.* conf. etiam *I. Petr. I, 23. Iacob. I, 18.* Eumdem in modum & *Es. LV, 10, 11.* verbum diuinum cum niue ac pluuia comparatur, quae semper actu primo habet vim, terram irrigandi & foecundandi; quem tamen actu secundo tum demum demonstrat, quando in terram cadit, terraque ita comparata est, vt foecundari queat: in petris enim & lapidibus nullam foecunditatem efficiet. Quemadmodum autem verbum diuinum, in vsu legitimo spectatum, si nulla adferantur impedimenta, numquam non vim suam atque potentiam in illuminandis, conuertendis, & regenerandis hominibus, exserit atque demonstrat; ita, vt impedimenta ista remoueantur, & corda mortalium ad vim hancce percipiendam & admittendam rite disponantur, & velut praeparentur, in eorum neutiquam positum est viribus, vt Pelagiani perperam censebant, sed diuini spiritus hoc quoque opus est. Hinc Deus ipse *cor Lydiae aperuisse* dicitur, *vt ad Pauli orationem attenderet; actor. XVI, 14.* Precibusque a Deo hancce spiritus sancti gratiam efflagitare apostoli solebant; idque vt & nos faceremus, nos condocuere; *actor. IV, 29. Rom. XV, 30, 31. Ephes. VI, 19.* Vsuque receptum, vt in conuentibus publicis verbi diuini explicationi preces praemittantur, quibus a Deo spiritum sanctum, qui & docenti adsit,

adsit, & audientium animos rite disponat, ac aperiat, petimus: quemadmodum priuatim quilibet sui hocce credit esse officii, preces verbi diuini iungere tractationi, vt fructum, quem sperat, inde percipiat. Neque tamen haec ita accipienda, ac si operatio ista spiritus sancti seiuncta sit a verbo diuino, aut, ac si immediate, absque interuentu verbi, in animis hominum operetur: sed, quod cum ipsa verbi tractatione operatio haecce spiritus sancti sit coniuncta; dumque verbum illud recte audimus, aut legimus, nec spiritui sancto resistimus, simul ille in animis nostris id efficit, vt & attendamus diligenter, &, quae intelleximus, recipiamus: vnde fides producitur, aliique effectus spirituales exsistunt.

§. XIX.

Praeterea perfectione etiam, seu sufficientia, scriptura sacra gaudet; tum *intuitu partium*, quia nulla, ne minima quidem eius pars, temporum iniuria, aut alia ratione intercidit; * tum *intuitu doctrinae*, quia plene ea omnia exhibet, quae homini scitu crediuque ad salutem consequendam sunt necessaria, *Ioan. XX, 31. II. Tim. III, 16. 17.*

* Hoc ita intelligendum, quod ex libris canonicis, seu diuinitus inspiratis, nullus, immo ne minima quidem pars eiusmodi libri, interciderit. Certe, qui prouidam Numinis curam, circa ea, quae ad hominum salutem pertinent, vel maxime sollicitam; qui summam rei necessitatem, vt libri omnes a Deo inspirati conseruarentur; qui singularem Iudaeorum, in libris sacris conseruandis & custodiendis diligentiam, recte considerauerit; non temere sibi persuadebit, fieri potuisse, vt eiusmodi liber aut temporum

rum iniuria, aut aliam ob caussam, deperderetur. Putant quidem nonnulli, non omnia scripta diuina ad nos peruenisse; sed ad exempla, quae sententiae istius patroni proferunt, facile responderi potest, modo obseruetur, nonnullos libros pro deperditis haberi, qui numquam exstitere; vti sunt *liber Henochi, ep. Iud. v. 14. liber bellorum domini; Num. XXI, 14.* alios autem deperditos equidem esse, sed eos canonicos aut θεοπνεύστους fuisse, probari non posse, e. g. *librum recti*, siue *librum iustorum, Ios. X, 13. II. Sam. I, 18.*

§. XX.

Perspicuitate denique scriptura sacra se commendat, ea quidem ratione, vt quilibet, modo rationis vsu polleat, debitamque secum adferat attentionem, ea inde haurire queat, quae, vt salutis aeternae compos fiat, eum scire oportet.* *II. Tim. III, 15. I. Cor. XV, 1. 2. Psalm XIX, 9. CXIX, 105. II. Petr. I, 19.*

*Vt & hoc eo rectius intelligatur, obseruare iuuat, aliam esse perspicuitatem seu euidentiam *rerum*, aliam *verborum*. De rerum perspicuitate iterum non vna eademque ratione censendum, cum quaedam ita comparatae sint, vt haud difficulter a quolibet, rationis vsu pollente, queant intelligi; vt narrationes historicae, & dogmata quaelibet, quae ex rationis lumine naturali innotescunt: quaedam aut rationis vim multum superent, aut ab illis, qui a spiritu sancto luce diuina collustrati non sunt, non ita, vt decet, agnosci possint; ut Christus ipse testatur, *Matth. XI, 25.* & Paulus apostolus, *I. Cor. II, 14.* Licet autem in iis, quae ratio capere nequit, desit euidentia, quam vocant, *obiecti*, sufficit tamen euidentia

dentia *testimonii*, siue quod clare & euidenter in scriptura sacra contineantur. Hic autem de *euidentia*, seu *perspicuitate verborum* praecipue nobis sermo est: quae vt recte scripturae sacrae adseratur, & ad *subiectum*, & ad *obiectum*, & denique ad *modum*, vt in scholis loqui amant, attendendum est. Ad *subiectum* quod attinet, necesse est, vt & vsu rationis polleat, & debitam secum adferat attentionem, qui scripturam sacram & legere, & intelligere cupit. *Obiecti*, quod vocant, ita habenda est ratio, vt discrimen inter ea, quae ad fidem, adeoque ad salutem sunt necessaria, aut minus necessaria, probe obseruetur. Perspicuam euidentemque dum scripturam sacram adserimus, de iis hoc intelligimus doctrinae capitibus, quae scitu crediuque ad salutem sunt necessaria; quaeue ita in ea proponuntur, vt a quolibet homine, rationis vsu non destituto, & debitam secum adferente attentionem, facili intelligi queant negotio. Etenim, si vel maxime in vno loco paullo obscurius proposita nobis videantur, sunt rursus & alia, in quibus idem dogma perspicue & sine omni obscuritate explicatur: vnde recte moneri solet, loca obscuriora ex minus obscuris interpretanda esse: qua de re deinceps. Praeterea vero & alia in scriptura sacra exstant, quae sua quidem vtilitate non carent, & ob methodum, qua scriptores sacri vsi sunt, argumentique, quod tractant, specialis rationem abesse non potuerunt, nec tamen scitu ad salutem sunt necessaria: quorsum & historica, & chronologica, & id genus alia, referre licet. Et in hisce quaedam subinde occurrere, quae etiam viris eruditis aliquid negotii facessere queant, non abnuimus. De *modo* denique nostrae cognitionis obseruandum, eam hic in censum venire, quae simplicis adprehensionis vocari solet, non excluso prorsus eo adsensu, qui rationibus naturalibus nititur.

Ad

Ad adsensum enim, qui ex spiritus sancti, per verbum diuinum intime nos conuincentis, oritur testimonio, generatimque eam cognitionem, quae salutaris est, quod attinet, eam in hominis sibi relicti, soliusque naturae ductum sequentis, minime posse tam esse viribus, nemo negauerit. Haec itaque perspicuitas per experientiam quidem percipi potest; demonstranda tamen quoque est eum ex fine, tum ex effectu scripturae sacrae.

§. XXI.

Iis autem scripturae locis, quae aut obscuriora sunt, aut talia nobis videntur, lux adfundi potest per interpretationem, si rite, & secundum regulas hermeneuticas instituatur. Haec enim eo comparata est, vt verus & genuinus vbique, praecipue tamen in locis difficilioribus, eruatur sensus.

§. XXII.

Vt, quae de scripturae sacrae interpretatione dici possunt, summatim complectamur, primo quidem ad *finem*, tum ad *conditionem* eius, qui eam interpretari cupit, denique ad *media hermeneutica* est respiciendum.

§. XXIII.

Finis proximus, & immediate talis, alius esse nequit, quam vt verum & genuinum sensum, in locis praesertim obscurioribus, adsequamur. Per *sensum* autem conceptus rerum intelligimus, qui per verba scribentis aut loquentis, in animis legentium aut audientium producuntur.

Qui conceptus si plane conformes sint conceptibus loquentium aut scribentium, tum quidem sensus verus & genuinus inde oritur.

§. XXIV.

Si alterius sensum adsequi cupimus, necesse est, vt in signis, seu vocum ac phrasium significatione, conueniamus, vtque certo constet, signa, quibus loquens aut scribens vtitur, hoc, nec aliud quid, significare. Vnde sua sponte sequitur, vnius sermonis vnicum tantum posse sensum esse. Certe, qui ita loquitur, & scribit, vt intelligi velit, vnicum tantum sensum intendat, necesse est: quem si adsequamur, tum verum & genuinum sensum tenemus.

§. XXV.

Solet equidem subinde contingere, vt non tantum verba, sed & res ipsae, verbis expressae, aliarum rerum signa seu symbola sint. Vnde & sensus scripturae in *litteralem*, & *allegoricum* seu *mysticum* diuidi solet. Quod &, si recte intelligatur, admitti potest: quamquam non desint, qui litteralem tantum pro sensu proprie & stricte sic dicto habeant.

§. XXVI.

Neue vlla ratione in interpretatione fallamur, & pro Iunone, quod aiunt, nubem amplectamur, veri & genuini sensus obser-

obseruare iuuat criteria. Quae inter primum merito locum tenet, vt nobis constet, librum ab eo auctore scriptum esse, a quo scriptus esse dicitur. *

* Hoc enim nisi certo constet, cuiusuis potius, quam eius, cuius mentem percipere cupis, sensum obtinebis. Atque in libris profanis hoc vel maxime in censum venire, tanta scriptorum spuriorum & supposititiorum multitudo nos minime dubitare sinit. Ad scripturam sacram autem quod attinet, licet tandem perinde nobis esse queat, quis libri cuiusdam sit auctor secundarius, de omnibus etiam sacri codicis libris hoc certo adseri nequeat; non exigui tamen momenti quandoque esse, si & de eo certi simus, patet ex iis, quae ad §. X. haec de re disputauimus: vbi & criticorum, de auctoribus genuinis inuestigandis, enarrauimus regulas. Notitia praeterea auctoris secundarii, cum libri cuiusdam historiam haud raro suppeditet, ad verum & genuinum eius sensum eo rectius adsequendum plurimum confert.

§. XXVII.

Alterum est, verba nec corrupta, nec interpolata esse, sed ita, vt leguntur, ab eo auctore, a quo profecta esse dicuntur, etiam reuera profecta esse. Vnde sequitur, eos, qui, fontes scripturae sacrae, seu linguas originales, quibus consignata est, corruptas, adserunt, nullo modo, nullaue ratione de vero & genuino scripturae sacrae sensu certos esse posse. Ex verbis enim corruptis & interpolatis, aut nullum, aut non eum, quem scriptor intendit, haurire sen-

sum licet. Quodsi quis autem, se ipsius scriptoris sacri, aut spiritus sancti tenere sensum, certus esse nequit, frustra scripturam sacram legit, aut in ea veram salutem consequendi rationem quaerit: quinimmo latissima hoc ipso ad pyrrhonismum panditur via. *

* Rationes grauissimae adsunt, quibus contra vniuersalem corruptionem, quae proprie loquendo corruptio est, pugnatur. Certe, prouidentiae diuinae in sacri codicis conseruatione haud obscura hinc inde sese offerunt vestigia. Nec credibile, cum, summa bonitate sua ac misericordia Deus ductus, scripturam sacram hominibus tradiderit, in qua sola viam salutis & quaererent, & inuenire possent, *Ioan. V, 39. Luc. XVI, 29.* eumdem permissurum fuisse, vt, ea corrupta ac deprauata, finem huncce frustra, aut certe non sine magno erroris ac seductionis periculo, inde sperarent. Atque idem ipse seruator confirmat, cum, *citius periturum caelum & terram*, ait, *quam aut ἰῶτα ἓν aut μία κεραία ex lege pereat, Matth. V, 18.* Etsi enim praecipue de legis, qua promissiones, qua praecepta, impletione loquatur, quod ex *Luc. XVI, 17. & XXI, 33.* liquet; per legitimam tamen consequentiam inde fluit, integram semper, & non corruptam scripturam sacram fore: cum ea sola legis, qua promissiones, qua praecepta, eorumque, quae Christus ipse docuit, de quibus Lucas, *cap. XXI, 33.* loquitur, notitiam suppeditet.

§. XXVIII.

Reliqua autem veri sensus criteria, partim in ipsa significatione verborum & phrasium, partim in conditione, statu, indole, &

& adfectu loquentis, vel scribentis, quaerenda sunt. Atque haec quidem, vt nec in scriptis mere humanis contemnenda sunt, ita in diuinis, seu scriptura sacra, momentum longe maximum trahunt.

§. XXIX.

Ad conditionem eius, qui scripturam rite interpretari cupit, quod attinet, non tantum iis ingenii, quae ad hoc requiruntur, dotibus eum instructum esse oportet, sed linguarum quoque originalium, reliquarumque artium & scientiarum, quae aliquid lucis scripturae sacrae dare possunt, notitia imbutum, praeiudicatarum praeterea opinionum, quae caliginem menti obfundunt, expertem, cumprimis autem ea voluntatis dispositione praeditum, ne, prauis adfectibus occaecatus, a vera & genuina spiritus sancti mente quam longissime aberret.

§. XXX.

Media hermeneutica * non vnius sunt generis. Quaedam enim ex natura & indole sermonis fluunt; quaedam autem ex coniecturis sumuntur. Nec tamen haec separanda, sed potius coniungenda sunt, aut, si coniungi nequeant, ex circumstantiis omnibus prudenter iudicandum, quodnam prae reliquis obtinere debeat. Cumprimis opera nauanda, vt ad genuinum scripturae sacrae scopum, tum generalem,

ralem, tum specialem, cuncta referantur, & diiudicentur.

* Hocce nomine ipsum simul principium, seu fundamentum interpretationis comprehendimus, quod hic vel maxime in censum venit. Enimuero cum in variis scripturae sacrae locis, praesertim difficilioribus, in diuersas saepe sententias interpretes abeant, quisque etiam haud raro rationes quasdam, quibus suam sententiam confirmet, adferat; principio quodam generali hic opus est, quod ceu normam ac cynosuram sequamur, omnesque aliorum expositiones ad illud, ceu ad lapidem Lydium, exigamus. Non aliud autem interpretandi scripturam principium constitui potest, quam quod ipse Paulus apostolus nobis commendat, *analogiam* scilicet *fidei*, *Rom. XII, 7.* Hocce vero nomine consensum quemdam atque harmoniam dogmatum, scitu credituque ad salutem necessariorum, quibus vera religio absoluitur, intelligi, constat. Ipsa nimirum ratio omnes condocet, non temere praesumendum esse, scriptorem aliquem contra doctrinae istius systema, quod amplexus est, aliquid proferre: siquidem hoc fieri nequit, nisi aut secum ipse pugnet, aut nesciat plane, quid loquatur, quidue scribat, aut data opera veritatem supprimere velit. Quare, si quis scriptorem, qui Platonicae philosophiae addictus est, interpretari velit, recte principii loco ponit, nihil illum, quod systemati Platonicae doctrinae aduersum sit, docere, adeoque, si locus occurrat, qui eidem aduersetur, hunc ita explicandum, vt ista repugnantia euanescat. Atque hoc cum in profanis scriptoribus ita se habeat, multo magis in sacris procedit. Illi namque, cum homines sint, a contradictionibus non sunt immunes, nec semper sibi constant: hi autem, cum impulsu & ex inspiratione spiritus sancti scripserint, numquam

quam eiusmodi quid scribere potuerunt, quod harmoniae & consensui diuinarum veritatum repugnaret. Quodsi quis dubitet, an eiusmodi harmonia atque systema diuinarum veritatum detur, illi cogitandum, vno eodemque spiritu concitatos scriptores sacros ad scribendum accessisse; vnum, praeterea eumdemque omni tempore fuisse modum, perueniendi ad salutem, vt diserte Petrus testatur, *actor. XV, 11*, adeoque & vnam veritatis doctrinam: sed omnia etiam doctrinae huius capita tam indissolubili vinculo inter se coniuncta esse, vt, qui vnum recte intellectum admittit, non possit non admittere reliqua, & qui vnum repudiat, non possit non & reliqua repudiare. Consensus autem iste, atque harmonia diuinarum veritatum, quam *analogiam fidei* vocamus, non aliunde, quam ex ipsa scriptura est hauriendus. Quod vt rite fiat, in scripturae sacrae lectione diligenter ad ea attendendum, quae ad fidem, viamque adeo ad salutem perueniendi, pertinent. De quibus cum hinc inde luculentissima planissimaque oracula exstent, quae nulla aut obscuritate, aut difficultate laborant; his ita inhaerendum, vt, quae salutaris doctrinae summa sit, & quibus absoluatur partibus, adcurate mente comprehendamus. Qua in re eo magis quilibet confirmabitur, quo diligentius scripturam legerit, & quo adcuratius clarissima illa oracula, quae fidei doctrinam sine inuolucris exhibent, considerauerit. Non itaque est, vt, in circulum rem omnem abire, quis existimet, quando, scripturam secundum analogiam fidei interpretandam, censemus, &, analogiam fidei rursus ex scriptura hauriendam, contendimus. Posterius enim dum adserimus, loca scripturae clara & euidentia, nullaque laborantia obscuritate, intelligimus. Prius autem tum demum admittimus, quando sensus loci cuiusdam

dubius aut obscurus eiusmodi quid postulat. Praeterea circa adplicationem huius principii obseruandum, per remotionem quidem rem recte procedere, si ita inferamus: hicce sensus analogiae fidei repugnat, ergo verus non est. At per adfirmationem non aeque procedit: non enim statim concludere licet: hicce sensus analogiae fidei est conformis, ergo est verus; potest enim & alius sensus analogiae fidei conformis esse. Adhibenda itaque & reliqua veri sensus criteria sunt, antea exposita: & tum demum tuto inferre licet, huncce sensum, qui ex mediis hermeneuticis rite adhibitis resultat, & fidei insuper analogiae conformis est, verum & genuinum sensum esse. Si quis autem opiniones, quas animo concepit, praeiudicatas, analogiae fidei nomine designet, & tum secundum eam, scripturam sacram interpretari velit; eum in errore versari grauissimo, turpiterque falli, lubentes fatemur. Plura hac de re dixi in *praefatione*, B. SAL. GLASSII *philologiae sacrae* praemissa.

§. XXXI.

Ex auctoritate, qua scriptura sacra pollet, diuina, fluit etiam auctoritas eius canonica, seu normalis: * quae itidem in se spectata, partim a veracitate diuina, partim ab ipsa rerum atque vocum inspiratione; relatiue autem, & quoad nos considerata, ab interno spiritus sancti testimonio, per ipsam scripturam sacram in nobis producto, accedente primitiuae ecclesiae testimonio, ** dependet.

* Vt eo rectius, quae de auctoritate canonica scripturae sacrae dicenda sunt, intelligantur, de voce κανων, cuius frequens hic vsus est, obseruandum, eam ab architectonicae, aliarumque artium mecha-

nica-

nicarum magistris, desumtam, regulam seu normam denotare, ad quam cuncta adcurate exigi solent, vt v. g. aedificium, iusta partium omnium symmetria conspicuum, inde exsurgat; vel agri inter illos, qui eorum possessionem sibi vindicant, rite diuidantur. Inde ad alias artes scientiasque translata, de legibus etiam quibuslibet, deque ordine militari, & aliis, quae regulae cuiusdam ac normae rationem habent, subinde vsurpatur. Nec in scriptura sacra infrequens eius vsus est. Certam muneris apostolici partem, velut mensura sibi tributam, ea designat Paulus, *II. Cor. X, 13, 15, 16.* Atque eodem sensu veteres epistolas apostolicas, quae nobis *catholicarum* nomine notae sunt, dixere καθολικὰς, tamquam missas ad omnes ecclesias, quae ad scriptoris sacri canonem pertinebant. Apud eumdem tamen apostolum vox κανὼν ita quoque vsurpatur, vt *regulam doctrinae* denotet, ad quam fides & vita hominum exigenda, *Gal. VI, 16. Philipp. III, 16.* Atque haec etiam apud scriptores ecclesiasticos frequens admodum est significatio, quibus interdum ipsa apostolorum doctrina, subinde vero & libri diuinitus inspirati, adeoque veram & genuinam fidei & vitae regulam continentes, *canonis* nomine veniunt. Adhuc aliae sunt vocis huius significationes, ex quibus ista heic in censum venit, quae denotat certam fidei ac vitae regulam.

** Loquimur de *fide diuina*, qua canonicam scripturae sacrae auctoritatem credimus, & quae non aliunde, quam ex spiritus sancti interno testimonio, per ipsam scripturam sacram in nobis producto, oriri potest. Id vero vt eo rectius capiatur, simulque intelligatur, quid ecclesiae veteris huc conferat testimonium; obseruandum, ex scriptura sacra constare, eam eo ipso idiomate, quo a sacris scriptoribus litteris consignata est, diuinitus quoque fuisse

inspiratam. Iam, si quaeratur, quonam itaque idiomate a scriptoribus θεοπνεύστοις litteris consignata sit, & vnde hoc nobis constet? recte respondetur, veteris testamenti libros idiomate ebraeo, prout id hodie in codicibus ebraeis exstat, & noui testamenti, idiomate graeco, prout illud itidem in noui testamenti codicibus hodie conspicitur, conscriptos esse, idque ex veteris ecclesiae nobis constare testimonio. Quodsi in iustae ratiocinationis formam hoc redigatur, maiorem quidem propositionem, vtpote scripturae sacrae testimoniis superstructam, ita comparatam esse, vt fidem diuinam progignere queat, nemo temere dubitauerit. Adsumtio equidem, cum ecclesiae testimonio nitatur, humanam producere potest fidem. Sed cum tantum secundum philosophorum, qui ratiocinandi leges tradunt, scita, conclusio in maiori propositione contineatur, idque per minorem demonstretur; nullum plane est dubium, quin conclusio eiusdem plane cum maiori propositione sit indolis. Ceterum, per ecclesiae testimonium non aliud, quam eius, quae eo tempore, quo scriptores sacri vixerunt, exstitit, intelligitur. Et iudaica quidem ecclesia, quae a Mosis aetate vsque ad Malachiam fuit, cum Mosis, ceterorumque scriptorum θεοπνεύστων autographa viderit, immo, studiosissime conseruauerit, ad quae apographa varia magna cura & exquisita diligentia fuerunt expressa; ecquis dubitet, eam testimonium de libris hisce, eorumque lingua originali, fide dignum perhibere potuisse? Accedit, quod non omni prorsus fundamento eorum destituatur sententia, qui ex EPIPHANII testimonio, quod in libro *de ponderibus & mensuris, cap. IV.* exstat, colligunt, libros, quos ecclesia iudaica pro canonicis, adeoque genuinis habuit, in arca foederis fuisse repositos, reliquos inde excluſos. Legenda, quae hac de re erudite

dite disputat IO. HENR. MAIVS, in *dissert. de libris canonicis, in arca foederis reconditis*, quae inter *selectiores* eius *de scriptura sacra* secunda est, *p. 51. seq.* Nec est, quod dubitemus, Esram cum aliis viris, pietatis ac sanctitatis laude conspicuis, post captiuitatem babylonicam, omnem operam nauasse, vt libri sacri, hinc inde forte dispersi, in vnum colligerentur corpus, simulque adeo genuinos a spuriis discreuisse, & hac ratione velut canonem quemdam scripturae sacrae constituisse. Etsi enim non omnia, quae Iudaeorum magistri de Esra, & viris synagogae magnae tradunt, admittenda censeamus; non omnia tamen etiam promiscue sunt reiicienda. Cumque Esra nihil eorum intermiserit, quae ad ecclesiam restituendam & conseruandam, immo & ad populum erudiendum spectabant; quis credat, eum de canone quodam, seu collectione librorum sacrorum, qui pro genuinis agnoscendi erant, non fuisse sollicitum? Hoc pacto ergo cum constet, veteri ecclesiae iudaicae ignotum non fuisse, quo quisque liber idiomate scriptus sit, & quo pacto testimonium hac de re perhibuerit, & perhibere potuerit; facile etiam intelligitur, qua ratione ad nos hocce testimonium peruenerit. Qui enim post Esrae, & vltimorum prophetarum aetatem viuebant, vt a maioribus suis hoc acceperunt, ita non minori cura ac diligentia ad posteros illud propagabant. Vnde rectissime Paulus dicere potuit, Iudaeis quod concredita fuerint τὰ λόγια τοῦ θεοῦ, *Rom. III, 2.* Quique stupendam & incredibilem masoretharum, in sacri codicis integritate conseruanda, diligentiam considerauerit, non dubitabit, non minorem gentis huius fuisse curam, in traditione maiorum de libris ipsis, quinam genuini sint, & quonam idiomate sint scripti, conseruanda ac propaganda. Hinc & de ipso canone, seu, quinam libri ceu genuini ad

illum

illum pertineant, eosque omnes eo, quo hodie eos habemus, scriptos esse idiomate, inter ipsos Iudaeos nullum est dubium. Immo & in ipsa ecclesia christiana canonem veteris testamenti, prout apud Iudaeos exstat, in tribus prioribus saeculis ad quartum vsque fine vlla additione receptum fuisse, vel MELITONIS testimonio constat, apud EVSEBIVM, *hist. eccles. lib. IV. cap. XXVI.* itemque ex ORIGENE, in *Psalm. I. commentarior.* eius a PETRO DANIELE HVETIO editorum, *tom. I. p. 41.*

Ad nouum testamentum quod attinet, cum ipsa iam apostolorum aetate haud exiguus fuerit eorum numerus, qui fidem christianam profiterentur, plurima quoque librorum ab iis conscriptorum conficerentur apographa; qui ea aetate vixerunt, christiano gaudentes nomine, idoneum itidem de libris istis, ad auctores pariter & idioma quod attinet, perhibere testimonium potuisse, non est, quod dubitemus. Et, licet inter tot turbas ac vexationes, quibus christiani eo tempore obnoxii fuerunt, facile fieri potuerit, vt autographa quaedam amitterentur; quaedam tamen diu satis superfuisse, vel ex TERTVLLIANI, ad ea prouocantis, testimonio condiscimus, *de praescript. haeret. tom. I. op. p. 245.* Patet inde simul, quanta in scriptis apostolorum conseruandis fuerit diligentia: quantumque istius aetatis ecclesiae de libris sacris tribuendum sit testimonio; quod & non minori cura ac studio ad sequentem aetatem propagatum fuisse, vt credamus, par est: quae vt itidem hac ratione de auctoribus pariter, ac idiomate librorum noui testamenti, certa esse poterat, ita mox exstiterunt, qui ecclesiae istius sententiam litteris consignatam ad nostram aetatem transmiserunt. Exstant sane patrum, qui proximis post apostolos saeculis floruerunt, adeoque longe certissimi hac de re esse potuerunt, luculenta testimonia.

Et

Et ad quatuor quidem euangelia quod attinet, IRENAEVS singulis non tantum, quibus debentur, auctoribus ea tribuit, sed tempus quoque, quo quodlibet scriptum sit, designat, *lib. III. adu. haeres. cap. I. p. m. 198.* ex edit. GRABII, vbi & eleganter ea *fundamentum & columnam fidei nostrae* vocat. IRENAEO autem addimus TERTVLLIANVM, qui *ex apostolis*, inquit, *Ioannes & Matthaeus, ex apostolicis, Lucas & Marcus fidem nobis instaurant, lib. IV. contra Marcion. cap. II. p. m. 503.* Graeco autem idiomate scriptores noui testamenti libros suos scripsisse, in libro *de monogamia, p. m. 684.* testatur; dum, *sciamus*, inquit, *plane sic non esse in graeco authentico.* Exstitisse porro iam antiquissimis temporibus librorum noui testamenti collectionem quamdam, non temere negandum existimo: nec ratione destituuntur, qui, primum euangelia, deinde & epistolas Pauli ac reliquorum apostolorum in vnum corpus coacta, contendunt, id quod luculentis patrum testimoniis probari potest.

§. XXXII.

Diiudicare itaque hinc licet, quinam libri sint canonici; a quibus apocryphi distingui solent: qui, licet pro diuinitus inspiratis habendi non sint, aliquam tamen in ecclesia obtinuerunt auctoritatem; quare & canonicis subinde subiungi solent. *

* Nihil sollemnius, quam vt scripta quaedam ἀπόκρυφα dicantur, etsi de vocis istius origine viri docti inter se non consentiant. Paullo longius petitum, quod nonnulli autumant, libros quosdam *apocryphos* vocatos, quod in κρύπτῃ *arcula*, siue armario iudaico non fuerint repositi; etsi res ipsa, cuius EPIPHANIVS mentionem facit, de *ponder. & mens-*

mensuris, *cap. IV.* non plane reiicienda videatur. Nihil planius, quam vt a verbo ἀποκρύπτειν, *occulere*, *abscondere*, libri quidam *apocryphi* dicantur, quia sint *occulti*, *absconditi*, hoc est, non ea polleant auctoritate, nec in tam clara luce positi sint, quam alii, qui iis opponuntur. Et hinc facile intelligitur, cur libri quidam, quorum in ecclesia christiana olim vsus aliquis fuit, quiue a canonicis distinguuntur, dicantur *apocryphi*. Falluntur enim, qui, ideo tantum id factum, existimant, quod auctores eorum essent incerti. Namque & inter canonicos, omnium consensu receptos, nonnulli referuntur, de quorum auctoribus certi nihil constat. Ad rem ipsam quod attinet, si vetus testamentum spectes, non alios pro canonicis agnoscimus libros, quam quos ecclesia iudaica olim pro genuinis habuit, quiue in canone Ebraeorum existant; reliquos autem omnes, qui his addi solent, vt, librum Iudithae, sapientiae, Tobiae, Sirachidae, Baruchi, primum & secundum Maccabaeorum, item fragmenta quaedam Estherae & Danielis, hymnum trium puerorum, orationem Asariae & Manassis, multo magis tertium & quartum Esrae, & tertium Maccabaeorum, pro apocryphis, hoc est, non canonicis, habemus. Idque eam praecipue ob rationem, quod in hisce libris plurima occurrant, quae cum veritate, aliisque diuinae inspirationis criteriis, aperte pugnant; vide IO. RAYNOLDVM in *censura librorum apocryphor. veteris testamenti.*

§. XXXIII.

Ex eadem etiam auctoritate scripturae sacrae diuina, ceterisque adfectionibus, antea commemoratis, sequitur, scripturam sacram genuinum in theologia esse principium cognoscendi, simulque vnicam fidei

&

& vitae nostrae regulam atque normam. Si quid enim omnibus hisce requisitis non gaudet, id nec pro cognoscendi principio, nec pro genuina fidei & vitae regula haberi potest. Vnde maximopere falluntur, qui aliud cognoscendi principium, praeter scripturam sacram, quae sola merito hocce sibi vindicat, commiiscuntur.*

* Quod per *cognoscendi principium* nihil aliud, quam vltimam cognitionis nostrae; in rebus ad salutem spectantibus, intelligamus caussam, nemini obscurum esse potest. Manifestum quoque est, quod eiusmodi principium debeat esse certum, euidens, per se notum, atque sufficiens ad ea omnia demonstranda, quae inde deduci debent. Quodsi ex hisce principii requisitis vel vnicum desit, non amplius principii promerebitur nomen; cum, quae certo ad salutem consequendam cognoscere debeamus, inde deduci nequeant. Vt ergo quae diximus, rite confirmemus, duo paucis demonstranda sunt: scripturam sacram in rebus ad salutem spectantibus omnibus hisce gaudere requisitis; praeter scripturam sacram autem nihil omnino nominari posse, cui ista principii requisita conueniant. Atque scripturam quidem sacram non tantum veram esse, seu ea vbique tradere, quae veritati sunt consentanea; sed & certam, seu ea id facere ratione, vt nefas, immo stolidum plane sit, vel minimam de iis, quae tradit, animo fouere dubitationem; ex ipsa eius diuina inspiratione, quam antea adstruximus, fluit. Non minus antea euictum, eam in iis, quae ad vitam & fidem pertinent, claram esse atque perspicuam. Potest etiam per se nota dici, dum fides diuina, qua diuina eius auctoritas creditur, ex spiritus sancti testimonio per ipsam scripturam, legitimam-

timamque eius tractationem, in nobis producitur: inter argumenta etiam, quae fidem humanam progignunt, praecipua & pleraque, ex ipsa scripturae sacrae, qua res ipsas in ea propositas, qua stilum atque loquendi modum, natura ac indole depromuntur. Eam denique sufficientem esse, seu omnia ea, quae cognitu ad salutem consequendam sunt necessaria, continere, itidem ex iis, quae copiose supra hac de re disputauimus, abunde liquet. Hinc & in ipsa scriptura sacra ad eam ablegamur, quoties de vera ad vitam atque salutem via quaestio est, *Ioan. V, 39. XIV, 6. II. Tim. III, 15. Es. VIII, 20. II. Cor. IV, 6. II. Petr. I, 19.* Res vero ipsa docet, quod errent, qui *rationem*, vt Sociniani aliique, *lumen quoddam internum*, vt fanatici, ac *traditiones*, vt pontificii, principii loco nobis obtrudunt, quibus huiusmodi principii requisita haud conueniunt.

§. XXXIV.

Sequitur hinc etiam, vt ad hanccc normam ac regulam controuersiae fidei exigi ac diiudicari debeant. Supremus nimirum eiusmodi controuersiarum iudex est ipse spiritus sanctus, qui per scripturam sacram nos verum a falso discernere condocet. * Adplicatio autem sententiae a iudice hoc pronuntiatae ad quaestionem specialem, ab omnibus quidem christianis, praecipue tamen ab ecclesiae doctoribus fieri potest, ac debet. **

* Spiritus enim sanctus est, qui per scripturam sacram loquitur, dum ipsemet eam inspirauit; quiue adeo, accedente legitima adplicatione, homines de veritate conuincit, reluctantes autem per internum con-

conſcientiae teſtimonium redarguit, etſi plurimi eius vim impediant, efficiantque ipſimet, ne illud ſentiant. Hic nimirum eſt, qui ἐλέγχει τὸν κόσμον περὶ ἁμαρτίας, *Ioan. XVI, 8.* quiue *nos ducit in omnem veritatem, v. 13.* Vnde & apoſtoli, in concilio Hieroſolymitano congregati, dicunt: *viſum eſt ſpiritui ſancto & nobis, actor. XV, 28.* Iisdem itaque rationibus, & ſcripturae dictis, quibus antea probauimus, ſcripturam ſacram vnicum eſſe cognoſcendi principium, demonſtrari etiam poteſt, ſolum ſpiritum ſanctum ſupremum eſſe in controuerſiis theologicis iudicem. Luculenta cumprimis ſunt verba Eſaiae vatis, *cap. VIII, 19. 20.* Intelligendum autem hoc de rebus ad fidem ac vitam ſpectantibus. De verborum enim ſignificationibus, & aliis rebus friuolis ac inanibus, quoties theologi diſceptant, quod haud adeo infrequens eſt, iudicium ſpiritus ſancti exſpectare velle, abſonum non minus, quam impium eſt; aut ſi omnino exſpectare velint, iampridem a Paulo apoſtolo ſententiam pronuntiatam ſciant, *I. Tim. VI, 3, 4.* De re vero, momentum aliquod trahente, & ad vitam recte inſtituendam, fidemque pertinente, ſi dubium aliquod ſuboriatur, tolli illud omnino poteſt, ſi modo adplicatio ſcripturae recte inſtituatur.

** Cum quilibet *iuſtus ſua fide viuat, Habac. II, 4. Rom. I, 17.* certus etiam eſſe debet, vtrum veritatem teneat, ne pro Iunone nubem, pro theſauro carbones, amplectatur. At, qui certus eſſe poteſt ſine examine, ſine exploratione? praeſertim ſi quaeſtiones in vtramque agitentur partem. Hinc & ad omnes homines, ſalutis ſuae cupidos, ſpectat illud apoſtoli: πάντα δοκιμάζετε, *I. Theſſal. V, 21.* & illud Ioannis: *ne cuiuis ſpiritui credite, ſed ſpiritus explorate, an ex Deo ſint? I. epiſt. IV, 1.* immo illud ſeruatoris: *cauete falſos prophetas, Matth. VII, 15.*

§. XXXV.

In omnium enim hominum vsum, citra ſtatus aut conditionis diſcrimen, Deus veram ad ſalutem viam primum reuelauit, & deinceps litteris etiam conſignari voluit. Ab omnibus itaque etiam ſcripturam ſacram, ſi modo queant, legi voluit, quilibet inde, quae ſibi vſui eſſent, vt capere poſſet. Hinc &, ſi terminis in ſchola receptis vti velis, *finem cui* ſcripturae ſacrae, omnes homines eſſe, recte dicitur. *

* Omnibus itaque hominibus, citra ſtatus eccleſiaſtici aut ſaecularis diſcrimen, conceſſa eſt ſcripturae ſacrae lectio, immo, ſi poſſint, iniuncta. Etſi enim etiam viua voce inſtrui queant, de via perueniendi ad ſalutem, & illi praeſertim, qui litteras legere nequeunt, ita inſtruendi ſint; longe tamen rectius ſibi conſulunt, qui ipſum fontem adeunt, ex quo doctrina ſalutis, quam doctores proponunt, hauritur. Praeterquam vero, quod nulla ratio adferri queat, cur nonnulli homines ab hocce fonte arcendi ſint; (quas enim Romanenſes comminiſcuntur, plane friuolae ſunt) ipſe finis ſcripturae, quem *cuius* in ſcholis vocant, vt omnes admittantur, poſtulat. Is namque cum ſit, vt homines per fidem in Chriſtum aeternam ſalutem conſequantur, *Ioan. XX, 31.* ſequitur, omnes ſine diſcrimine ad ſcripturae lectionem admittendos, cum Deus neminem ab illo fine arceat, ſed potius velit, *vt omnes homines ſalui fiant, & ad agnitionem veritatis perueniant, I. Tim. II, 4.* Vt ergo abſonum foret, ſi quis contenderet, ſolis eccleſiaſtici ſtatus hominibus ſalutem a Deo deſtinatam; ita non minus abſurdum eſt, adſerere,

iis solis scripturae aut concessam aut demandatam esse lectionem. Accedit, quod apostoli integris ecclesiis, omnibusque earum membris, scripserint; *Rom. I, 7. Gal. II, 2. Ephes. I, 1. Phil. I, 1. I. Petr. I, 1. II. Petr. I, 1.* facta quoque episcoporum ac diaconorum peculiari mentione, *Phil. I, 1.* Nec ab iis tantum ecclesiis, quibus scripserunt, sed ab aliis etiam, quae scripserunt, legi voluerunt; *I. Cor. I, 2. II. Cor. I, 1. I. Thessal. V, 27. Col. IV, 16.* Quod, quin eadem ratione de reliquis quoque libris sacris intelligendum sit, eos scilicet in vsum totius ecclesiae scriptos, nullum plane est dubium, & vel ex *Rom. XV, 4.* recte colligitur. Praeterea Deus ipse non ecclesiae tantum ministris, aut doctoribus, sed omnibus hominibus passim scripturae lectionem commendat, immo praecipit. Sic Israelitae omnes, verba legis diligenter secum voluere ac considerare, filiis tradere, ac memoriae caussa scribere iubentur, *Deut. VI, 7. 8.* quod sine ipsa legis lectione fieri commode non poterat, & perinde sane erat, ac si ipsam legem, seu scripturam legere iuberentur. Debebat etiam certis temporibus lex mosaica coram toto populo israelitico recitari, *Deut. V, 11.* Perinde autem iterum est, siue quis verba scripturae ab alio recitata audiat, siue ipsemet ea legat. Pari ratione & sanctissimus rex Dauid adsiduam verbi diuini meditationem, adeoque & lectionem, omnibus commendat, *psalm. I, 2.* conf. & *Esaiae XXXIV, 16.* Ad omnes quoque homines, sine status ac ordinis discrimine, illud seruatoris: ἐρευνᾶτε τὰς γραφάς, *Ioan. V, 39.* spectat. Non Pharisaeos enim solum, aut Iudaeorum principes, vel sacerdotes eum adloquutum, ex *vers. 10, 15, 16, 18.* liquet, vbi generatim Iudaeorum iniicitur mentio. Caussa quoque huius effati, caecitas scilicet, in rebus ad salutem aeternam

spectantibus, fideique defectus, ad omnes promiscue Iudaeos, qui Christo repugnabant, pertinebat, *vers. 37,40. seq.* Vnde & ad eosdem mandatum de scrutanda scriptura attinebat. Quodsi etiam vel maxime verbum ἐρευνᾶτε in *indicandi modo*, vt nonnulli volunt, accipias, nostrae tamen hoc non obstat sententiae. Adprobat enim simul seruator hocce scripturae scrutinium, dum dicit, eam de se testari, adeoque viam ad salutem monstrare, quam omnes in ea quaerere debeant. Interim rectius, ni fallor, sentiunt, qui verbum hocce in *imperandi modo* capiunt, cum verbo sequenti δοκεῖτε, in indicandi modo posito, pronomen ὑμεῖς praemittatur, haud dubie, vt significetur, in alio modo praecedens ἐρευνᾶτε capiendum esse. Ceterum, quo pacto, quod Christus Iudaeis dixit, apostoli etiam christianis inculcauerint, vel ex *Ephes. VI, 17. Coloss. III, 16.* itemque *II. Petr. I. 19.* liquet. Nostra vero inde vlterius confirmari sententia potest, quod quorumuis christianorum sit, explorare, & rite diiudicare doctrinam quamlibet, quae proponitur, vti iam ad *thesin praecedentem* dictum, & ex *Matth. VII, 15. 16. I. Thess. V, 21. & I. Ioan. IV, 1.* demonstratum est. Hoc autem sine scripturae fieri nequit scrutinio. Quo nomine & Beroenses laudantur, *act. XVII, 11.* quod sermonem a Paulo adnuntiatum omni alacritate recipientes, an, quae apostolus dixerat, ita se haberent, quotidie scrutati fuerint scripturas. Quo ipso & necessitas eiusmodi examinis & diiudicationis, ac modus etiam, quod ad scripturam sacram, ceu vnicam fidei ac vitae regulam, institui debeat, indicatur.

§. XXXVI.

Vtile itaque non tantum, sed & prorsus necessarium est, exstare versiones scripturae

rae sacrae, vt illi, qui linguarum originalium rudes sunt, inde haurire queant, quae ad fidem vitamque, ex supremi Numinis praescripto instituendam, conducunt. * Nec enim quidquam obstat, quo minus versio quaedam conficiatur, quae saltem in iis, quae ad salutem scitu credituque sunt necessaria, textui originali adcurate respondeat. **

* Sequitur hoc sua sponte ex iis, quae ad §. *praeced.* monuimus. Si enim scripturae sacrae lectio omnibus salutis suae cupidis non tantum concessa, sed omnino iniuncta & demandata est; pauciſſimi autem linguarum originalium sint periti; nihil aliud supereſt, quam vt in linguam cuique genti vernaculam, transferatur. Finem namque qui serio cupit, eum quoque media velle, manifestum est. Praeterea, cum prophetae & apostoli, immo seruator ipse, ea lingua, quam omnes intelligebant, dum viua voce verbum diuinum proposuerunt, vsi sint; aequum sane est, vt, cum idem verbum litteris consignatum aliis quoque gentibus proponendum est, ea id fiat lingua, quae cuilibet genti propria est, quamue omnes intelligant. Et quis hac de re dubitet, cum ipse gentium doctor Paulus ex instituto doceat, vtendum esse in sacris lingua vernacula, cum ex lingua, quam non intelligunt, nullum auditores capere queant fructum. Quod cur aliter in verbo diuino, prout in scriptura sacra exstat, se habere debeat, nullam profecto rationem video. Non minus enim, prout litteris sacris comprehensum est, & in iis legitur, quam prout ex iis desumtum, viua voce aliis adnuntiatur, ad omnes omnino pertinere homines, antea iam demonstrauimus. Idem etiam ex dono linguarum, apostolis diuinitus concesso,

actor. II, 3, 4. liquet. Non enim alium id in finem factum, quam vt quaelibet gens in lingua sibi propria verbum diuinum audire & intelligere posset; si vero audire, cur non & legere? Patet porro hoc & inde, quod scriptores noui testamenti, etsi ipsimet Ebraei, lingua tamen graeca, & in euangeliis condendis, & in epistolis, vsi sunt, eo, quod isto tempore haec longe communior, & non in Graecia modo, sed & alibi vsitata esset. Licet enim forte apud quasdam ecclesias, ad quas epistolas suas scripserunt, alia quaedam lingua, quam graeca, vernacula esset; graeca tamen nihilosecius vsi sunt, & quod ibidem locorum haec non minus quam vernacula intelligeretur, & ceteroquin communior esset. Rem omnem denique conficiunt versiones scripturae sacrae, iam olim factae; cumprimis graeca illa veteris testamenti, quam vulgo LXX interpretum vocare solent. Tantum enim abest, vt apostoli hocce institutum improbauerint, vt potius ipsimet subinde hacce vsi sint versione, palam hoc ipso profitentes, non esse nefas, versiones conficere in illorum gratiam, qui linguas originales non intelligunt. Plura hac de re dabit, qui ex instituto & erudite hocce argumentum pertractauit, beatus CHRISTIANVS KORTHOLTVS, *de lectione bibliorum in linguis vulgo cognitis, deque sacris publicis, idiomate populari peragendis.*

** Vt versio quaedam conficiatur, quae textui originali adcurate vbique respondeat, & non tantum significationem ac sensum, sed vim etiam exprimat, ea quidem ratione, vt vernaculae quoque linguae proprietas & elegantia seruetur, simulque plana cuncta sint, atque perspicua, non tam facile est, ac forte plurimi sibi persuadent. Ipsa enim inter alia obstat linguarum diuersitas, cum haud raro lingua vocibus quibusdam, aut loquendi formulis gau-

gaudeat, quibus quae exacte prorsus respondeant, in aliis linguis non inueniuntur. Nihil tamen obstat, quo minus versio quaedam conficiatur, quae saltem in iis, quae scitu crediuque ad salutem sunt necessaria, sensum scripturae sacrae exprimat. Hoc, exemplo variarum, quae exstant, versionum ad oculum demonstrari posset. Speciatim & de versione germanica beati LVTHERI nostri quaedam moneri possent: sed sunt haec alterius loci. Legenda, quae, praeter alios quam plurimos, beatus IO. HENR. MAIVS hac de re docet, in *vindiciis versionis D. Lutheri ab iniqua censura Richardi Simonis*, quae inter *dissertationes* eius *selectiores de scriptura sacra* quarta est, *p. 105. seq.*

§. XXXVII.

Si, quae in scriptura sacra quaerenda sint, scire cupias, primo quidem ponenda loco erunt omnia ea, quae scitu & creditu ad salutem sunt necessaria, tum vero & reliqua omnia, in quorum commemoratione scriptura sacra versatur. Atque hinc quidem, quodnam *obiectum* scripturae tum *primarium*, tum *secundarium* sit, intelligere licet. *

* *Obiectum* nimirum *primarium* sunt omnia, quae ad fidem ac vitam recte instituendam, adeoque ad aeternam salutem consequendam, scitu crediuque sunt necessaria. Perinde est, quod alii dicunt, obiectum primarium esse *credenda* & *agenda*; modo haec a se inuicem non separentur, sed rite coniungantur. Reliqua omnia, in quorum commemoratione scriptura sacra versatur, *obiectum secundarium* constituunt; quorsum & plurimae circumstantiae historicae pertinent. Neque hoc ita capiendum,

dum, ac si ista, quae ad secundarium obiectum spectant, omni prorsus destituantur vsu. Licet enim directe ad credenda aut agenda referri nequeant, semper tamen aliquid continent, quod indirecte eo spectet, vtilitatemque simul praebeat longe maximam. Nec sine singulari Numinis consilio factum, vt hinc inde circumstantiae quaedam historicae commemorentur, quae hominibus imperitis, & humanae sapientiae persuasione turgidis, non magni momenti videntur; aut indignae etiam, quae in scriptura sacra legantur. Saepissime enim inde condiscimus, quae fidei, vitaeque sanctae in actibus externis, & iis, ad quos ceteroquin homines vix attendunt, sit ratio, aut, quo pacto in rebus minimis, loci etiam ac temporis, aliisque circumstantiis, maxima diuinae prouidentiae, sapientiaeque deprehendere liceat documenta. Solet alio intuitu obiectum scripturae in *legem & euangelium* dispesci: qua de re suo loco ex instituto agetur.

§. XXXVIII.

Finem autem scripturae sacrae, quem vocare solent, *cuius*, eumque *vltimum*, esse aeternam salutem; *intermedium* autem, fidem in Christum, non temere quis dubitauerit. *

* Diserte hoc testatur Ioannes: *haec scripta sunt, vt credatis, Iesum esse Christum, filium Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius, cap. XX, 31.* Quibus verbis & vltimum finem, vitam aeternam scilicet, & intermedium, fidem in Christum, indicat. Finem autem huncce vtrumque, & vltimum, & intermedium, recte dixeris *primarium*; cui & *secundarium*, intuitu illorum, qui doctorum in ecclesia munere funguntur, aut eodem fungi cupiunt, recte adiunxe-

iunxeris. Hi enim per legitimam ac diligentem scripturae tractationem id consequuntur, vt illo munere rite aliquando fungi, adeoque *& se ipsos, & auditores seruare* queant, *I. Tim. IV, 16.* Ideoque & idem gentium doctor omnem scripturam θεόπνευστον *vtilem* esse dicit *ad doctrinam, ad reprehensionem, ad correctionem, ad iustitiae disciplinam*, vt ἄνθρωπος θεοῦ *homo Dei*, Deo speciali quadam ratione consecratus, ἄρτιος *perfectus sit*, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν *ad omne opus bonum comparatus; II. Tim. III, 17.* vbi quin per ἔργον ἀγαθὸν, ea opera intelligat, quae speciatim ab ecclesiae ministris requiruntur, non videtur dubitandum, etsi neutiquam excludenda sint, quae ecclesiae ministris cum quibusuis christianis sunt communia; conf. & *Rom. XV, 4.* Hic ergo cum scripturae finis sit, ne alium quoque in eius lectione ac tractatione nobis constitutum habeamus, res ipsa postulat.

§. XXXIX.

Diuersimode equidem & haecce, quam hactenus proposuimus, de scriptura sacra doctrina, omni tempore impugnata fuit. Ne quid enim de illis dicam, qui omnes reuelationes diuinas, adeoque & scripturam sacram, plane reiiciunt, aut, rationem non minus, quam scripturam sacram, viam ad salutem monstrare, credunt; fuerunt quam plurimi, qui reuelationes quasdam diuinas perperam iactitarent, scripturae auctoritati tantum detrahentes, quantum illis, vana specie delusi, in rebus fidei quoque tribuebant. Alii rursus aut rationis imperio, aut ecclesiae auctoritati scriptu-

ram sacram subiiciendo, traditionesque ei adiungendo, quosdam homines ab eius lectione arcendo, hinc & perfectionem eius, ac sufficientiam in dubium vocando, eamdem reuera loco suo mouent. Quorum quidem errorum fontes, in intima humanae mentis corruptione inuenire, haud difficile fuerit.

§. XL.

Nec tamen hisce erroribus ita inundatus orbis christianus fuit, vt non essent, qui iisdem se opponerent, & rectiora sequerentur. Vt enim eos taceam, qui generatim reuelationis diuinae, hinc & scripturae sacrae ad salutem necessitatem adseruerunt; numquam non exstiterunt, qui solam scripturam pro vnica fidei ac vitae regula, vnicoque adeo cognoscendi principio, haberent; quemadmodum & in ipsis conciliis non alia decidendi controuersias norma, quam scriptura sacra, obseruata fuit: vnde simul, quae veteris ecclesiae de iudice controuersiarum fuerit sententia, patet. Diuinam porro scripturae sacrae auctoritatem, ex inspiratione Dei profectam, vetus ecclesia nobiscum agnouit, nec vmquam facultatem, eamdem libro cuidam dandi, sibi vindicauit: immo, & non alios, quam nos recipimus, libros, pro canonicis habuit. Traditiones alias, quam quae in scriptura exstant, nec admisit, nec aliter,

aliter, quam par erat, ipsis vsa est: omnibus quoque, sine status ecclesiastici, aut saecularis discrimine, aditum ad scripturae sacrae lectionem concessit: quem in finem & iam tum in alias linguas translata est, vt ab illis etiam, qui originalium linguarum rudes erant, legi posset. Denique etiam, quod & ex dictis fluit, tum perspicuitatem, tum sufficientiam scripturae sacrae nobiscum agnouit.

§. XLI.

Nec defuerunt, qui operam nauarent, vt codex sacer integer ac intemeratus ad nos perueniret, illorumque se opponerent ausibus, qui eumdem corrumpere ac interpolare, vel scripta spuria pro genuinis nobis obtrudere, sibi religioni non ducebant. Qua in re, vt prouidam simul Numinis curam pia mente veneremur, par est. Interpretatio equidem scripturae non vna semper eademque ratione fuit comparata, cum initio sensus litteralis nulla fere haberetur ratio, plerisque ad allegorias prolapsis, adeo, vt tenebras potius scripturae obfundere, quam lucem adferre viderentur. Diuini tamen Numinis munere contigit, vt tandem vera & genuina illam interpretandi ratio felici successu restitueretur, etsi non omnes eamdem, vt decet, sequantur.

§. XLII.

Ex dictis, quae nostri hic sint officii, intelligere licet: insigne scilicet Dei, quod per scripturam sacram nobis exhibuit, vt grato agnoscamus animo beneficium; eadem etiam vt rite vtamur, summo studio illam perscrutando, *Ioan. V, 39.* immo maximam vitae huius felicitatem in eius meditatione ponendo; *psalm. I, 2.* eamdem porro re ipsa & in quotidiana fidei ac vitae praxi, ceu vnicam fidei ac vitae normam sequamur, *psalm. CXIX, 105.* ea, qua decet, veneratione suscipiamus; *I. Thessal. II, 13.* nec cognitione solum contenti simus, sed ad vitam recte instituendam cuncta referamus, verboque veritatis morem gerere adnitamur, *Rom. VI, 17. Iac. I, 25. Luc. VIII, 15.* Impedimenta denique, quae obstant, quo minus eius fructum percipiamus, sedulo remoueamus, *Luc. XIV, 17.*

INSTI-

INSTITVTIONVM THEOLOGIAE DOGMATICAE LIBER SECVNDVS, DOCTRINAM DE DEO, ET RELIQVA, QVAE AD FINEM THEOLOGIAE SPECTANT, EXHIBENS.

LIBRI SECVNDI
CAPVT PRIMVM
DE
DEO
TVM QVA ESSENTIAM ET ATTRIBVTA
TVM QVA PERSONAS SPECTATO.

Σύνοψις.

SVmmum illud hominum bonum, quod eos beatos reddere potest, est Deus ipse, §. I.

Hac voce quid denotetur, §. II.

Nomina, quibus in scriptura sacra Deus designatur, & quidem ebraica, §. III.

item graeca, §. IV.

Deum existere, probat non tantum reuelatio, sed & ratio: quinimmo omnium animis a Deo ipso hoc est insitum, §. V.

Argumentis etiam variis demonstrari potest, §. VI.

Quid fides hic rationi superaddat? §. VII.

Quid Deus sit, non quidem plene & perfecte, aliqua tamen ratione cognoscere possumus, §. VIII.

Summatim describitur, §. IX.

De attributis diuinis generatim quaedam monentur, §. X.

In certas classes distribuuntur, §. XI.

Prima eorum est, quae Deo cum rebus quibusuis, quae existunt, speciatim spiritibus, sunt communia, §. XII.

Quo pertinent, vnitas, §. XIII.

bonitas, §. XIV.

veritas, §. XV.

Quae cum spiritibus Deo communia sunt, vel physica sunt, vel moralia, §. XVI.

Ad priorem ordinem refertur

fertur simplicitas, §. XVII.
immutabilitas ac immortalitas, §. XVIII.
vita, §. XIX.
operationes vitales, speciatim intellectus, cui propria est scientia, §. XX.
Obiectum scientiae diuinae tam late patet, vt recte dicatur omniscientia, §. XXI.
Pertinent huc etiam futura contingentia, speciatim ea, quae, posita certa conditione, futura sunt, §. XXII.
Modus scientiae diuinae quinam sit? §. XXIII.
Monita quaedam hic obseruanda; & quo pacto cuncta ad vsum vitae referenda? §. XXIV.
Ad intellectum etiam pertinet sapientia diuina, §. XXV.
Voluntas quoque Deo recte tribuitur, §. XXVI.
Libertas voluntatis diuinae adseritur, §. XXVII.
Quo pacto haecce libertas sese exserat? §. XXVIII.
Pro obiectorum diuersitate voluntas diuina diuersas fortitur denominationes, §. XXIX.
Deus, quae vult, etiam efficere potest; vnde omnipotentia, §. XXX.
Actus voluntatis diuinae, quibus aliquid futurum secum constituit, vocantur decreta; de quibus generatim quaedam monentur, §. XXXI.
Motus voluntatis, affectus vocantur: qui, an recte, & quo sensu, Deo tribuantur? §. XXXII.
An, & quo sensu Deo virtutes, seu attributa moralia tribui queant? §. XXXIII.
Summa omnium virtutum, quae Deo tribuuntur, amor est, §. XXXIV.
scilicet, quo se ipsum, & res a se creatas, iusto ordine amat, §. XXXV.
Ex amore, quo se ipsum Deus amat, fluit eius sanctitas, §. XXXVI.
ex sanctitate, iustitia, §. XXXVII.
itemque veracitas, §. XXXVIII.
Amoris, quo res a se creatas, speciatim homines prosequitur, excellentia, vim intellectus humani superat; diuersimode etiam, pro diuersa ad hominum

statum

ſtatum relatione, vocatur, §. XXXIX.

Altera claſſis attributorum eſt, quibus a rebus creatis diſtinguitur omnibus, quaeue ex independentia fluunt: quorſum ſpectat infinitas, §. XL.

immenſitas, & omnipraeſentia, §. XLI.

itemque aeternitas? §. XLII.

Ex attributis diuinis iunctim ſumtis ſumma Dei reſultat beatitudo atque gloria, §. XLIII.

Ex ſcriptura praeterea conſtat, verum Deum eſſe patrem, filium, & ſpiritum ſanctum; id quod ratio ignorat, §. XLIV.

Quod myſterium nec in veteri teſtamento ignotum fuit, §. XLV.

Euidentius adhuc in nouo propoſitum, vt ex dictis patet, quae diſerte patris, filii, & ſpiritus ſancti, ceu vnius Dei, mentionem faciunt, §. XLVI.

Ad ſpecialem demonſtrationem rite inſtituendam, tria proponuntur capita, §. XLVII.

Patrem a filio, filium a patre, ab vtroque ſpiritum ſanctum, realiter differre, probatur, §. XLVIII.

Non tantum patrem, ſed & filium, itemque ſpiritum ſanctum, verum aeternumque eſſe Deum, §. XLIX.

Nec tamen tres eſſe Deos, ſed vnum Deum, §. L.

Ad myſterium hocce rite & adcurate exprimendum, recte adhibentur & retinentur termini in eccleſia recepti, eſſentia, ac perſona, §. LI.

Ad diſcrimen, quod inter perſonas diuinas intercedit, explicandum, obſeruare iuuat, actus, proprietates, & notiones perſonales, §. LII.

Errorum, qui in hocce capite, qua doctrinam de Numinis exiſtentia, eſſentia, & attributis, occurrunt, fontes, §. LIII.

item, qua doctrinam de trinitate perſonarum, §. LIV.

Verae doctrinae in hocce capite conſeruatio & propagatio, §. LV.

Officiorum noſtrorum quae hic ſit ratio, §. LVI.

§. I.

§. I.

VT a fine theologiae * ordiamur, Deus ipse, qua essentiam & attributa, qua personas, ** nobis considerandus venit. Cum enim is solus summum hominis bonum sit, *** cuius possessio, seu fruitio, vti loqui solent, aliquem beatum reddere potest; eum vt cognitum prius habeamus, par est, quam de felicitate, a communione cum eo speranda, certi fieri queamus.

* Finem huncce *obiectiuum* vocare solent, quemadmodum ipsa beatitudo *formalis finis* nomine venit.

** Haec enim ad plenam Dei cognitionem requiruntur, de quibus adeo in hocce capite exponetur. Cum vero Deus semetipsum etiam in operibus naturae manifestauerit, de hisce capite sequenti dicetur.

*** Hoc ipsa ratio omnes, si modo recte mentem aduertere velint, condocet. Si quis enim, quid *bonum*, praesertim relate spectatum, sit? consideret, omniumque bonorum, quae illi se offerunt, instituta comparatione, quid ad summum bonum requiratur, rite colligat; statim deprehendet, nihil esse in hocce vniuerso, in quod summi boni notio quadret, quodue reuera illum beatum reddere queat, praeter solum Deum. Scriptura vero id quam luculentissime confirmat. Non aliam enim ob caussam Deum *ex toto corde, toto animo, tota mente diligere iubemur, Deut. VI, 5. Matth. XXII. 37.* quam, quoniam is summum hominum bonum est. Summum namque bonum summum requirit amorem. Diserte idem profitetur vir sanctissimus Asaphus *ps. LXXIII, 25, 26.* pari ratione Ieremias *Thren. III, 24, 25.* Conf. & *Gen. XV, 1.* & *psal. XVIII, 2.*

§. II.

Deum autem quando dicimus, intelligimus eo nomine ens infinite perfectum, quod ceterorum omnium, extra se, auctor, & dominus sit. Haec enim communis illa notio est, quam omnes homines, quisque sua lingua, exprimunt, quotiescumque de Deo loquuntur. Vnde sua sponte sequitur, Dei nomine, si proprie accipiatur, non tam dignitatem, aut potentiam, quam ipsam eius naturam ac essentiam significari.

§. III.

Nomina, quibus in scriptura sacra Deus designatur, vel graeca sunt, vel ebraica: atque haec quidem, cum iterum varia sint, * duo tamen cumprimis eminent, & prae reliquis obseruatu digna sunt, יהוה & אלהים; quorum illud, essentiam independentem denotans, Deo ita proprium est, vt nulli rei creatae in scriptura sacra tribuatur, aut tribui queat; ** hoc vero ob pluralis numeri terminationem, personarum quoque in vna essentia pluralitatem indicat. ***

* Scilicet אל, אלהים, & in singulari אלה יהוה, יה, אהיה, ארון siue ארני, & denique שדי, ex quibus nominibus diuinis quaedam ab essentia diuina, quaedam ab effectu, & attributis, desumta esse, res ipsa docet, & pluribus exponit IO. BVXTORFIVS, in *dissert. de nominibus Dei ebraicis*, quae inter *dissertationes* eius *philologico-theologicas* quinta est, *p. 247. seq.*

** Id

** Idque positum extra controuersiam, magno quoque consensu idem fatentibus Iudaeorum pariter ac christianorum doctoribus, nomen hoc deriuandum a verbo הוה, quod plane cum verbo היה conuenit, atque *esse* significat. Vt adeo יהוה eum denotet, qui est ὁ ὤν *ens*, scilicet a se ipso; seu qui suam essentiam ac exsistentiam alii non debeat, quin potius vtramque per se necessario habeat, simulque adeo caussa eorum omnium sit, quae sunt siue exsistunt. Ex qua nominis huius significatione haud difficulter intelligitur, illud Deo ita proprium esse, vt nulli rei creatae tribui queat. Deo autem quando proprium aliquod nomen tribuimus, non ita hoc est intelligendum, ac si eo modo Deo conueniat, quo hominibus, quorum vnus ab alio ita distinguitur. Eiusmodi enim nomen intelligitur, quo essentia eius, a rebus creatis omnibus distincta, significatur. Vnde simul patet, id Deo ita proprium esse, vt nulli rei creatae tribui queat. Rem enim increatam dicere, quae nec necessario exsistat, nec essentiam aut exsistentiam per se, sed ab alio habeat, apertam inuoluit contradictionem. Nec vlli rei creatae in scriptura sacra vmquam hoc tribuitur, sed tantum soli, veroque Deo. Angelus enim ille, in cuius medio illud nomen Dei est, *Exod. XXIII, 21.* quiue subinde in scriptura sacra יהוה vocatur, non creatus aliquis, sed increatus ille est, qui patribus saepe adparuit; ipse Dei aeternus filius. Aliis autem rebus cum tribui videtur, vt arae, *Exod. XVII, 15.* aut vrbi Hierosolymae, *Ezech. XLVIII, 35.* non hicce sensus est, quod ara aut vrbs Hierosolyma sit ipse Iehouah, sed quod arae nomen datum, quo Israelitae profitebantur, Iehouam esse vexillum suum, itemque, Iehouam habitare Hierosolymis, seu vrbi huic singulari gratiae suae praesentia adesse.

Hinc & Deus ipse ita hoc sibi tribuit, vt diserte neget, hoc vlli rei creatae conuenire. *Ego*, inquit, *sum* יהוה, *illud est nomen meum; gloriam meam alteri non dabo, Esa. XLII, 8.* conf. & *Hos. XII, 6.* it. *ps. LXXXIII, 19.* Quod idem nomen omnibus etiam notis ac characteribus nominis proprii gaudeat, grammatici doctores obseruare solent.

*** De origine ac deriuatione vocis אלהים adeo inter se dissentiunt viri eruditi, vt nonnulli, in ea inuenienda omnem frustra collocari operam, existiment. Hodie tamen plurimis, iisque praestantissimis viris, illorum maxime se probat sententia, qui a radice, in lingua arabica superstite אלה, quae *colere, seruire, adorare* significat, nomen hocce deriuandum censent: conf. ED. POCOCKIVS, in *notis miscellaneis ad portam Mosis, cap. III. p. 34.* & IO. HENR. HOTTINGERVS, in *historiae creationis examine theologico-philolog. quaest. X. p. 19.* Nec obiici huic sententiae potest, quod hac ratione vocis huius origo ex lingua arabica deriuetur, quod nonnulli parum conueniens esse existimant: cum solum ex verbi huius apud Arabes vsu colligatur, apud Ebraeos id itidem olim in vsu fuisse, eamdemque habuisse significationem. Nec reiicienda tamen temere sententia R. ABEN-ESRAE, vocem אלהים pro primitiua habentis: certe, eam non improbandam, B. SEB. SCHMIDIVS censuit, in *dissert. de antiquissima fide Mosaica circa mysterium trinitatis*, quae in *fasciculo disputationum* eius *theologico-philologicarum* prima est, *p. 16.* Ceterum Ebraeorum, ipsius etiam, quem antea laudauimus, ABEN-ESRAE est sententia, nomen אלהים proprie *iudices* significare; hinc vero per metaphoram transferri ad Deum & angelos, quam tamen ipsemet R. ISAAC ABARBANEL, *comment. in genes. fol. 5. col. 3. seq.* gra-

grauissimis rationibus refellit; quarum nonnullas in compendio refert IO. BVXTORFIVS, in *diss. de nominibus Dei ebraicis, §. XL.* Neque tamen firmiora sunt, quae ipsemet ABARBANEL adfert, vt euincat, vocem אלהים praecipue & proprie significare *auctorem effectoremque rerum omnipotentem.* Nec etiam, cum vox אלהים siue אלוה a verbo apud Arabes superstite, quod idem est ac *colere, seruire, adorare*, deriuatur, quoduis σέβασμα denotat, vti perperam nonnulli sibi persuadent; sed illud ipsum, quod κατ' ἐξοχήν, & praecipua quadam ratione cultu atque adoratione dignum est, quod de solo Deo dici potest; *Deut. VI, 4. Matth. IV, 10. Marc. XII, 29.* Proprie itaque & πρώτως vox אלהים soli Deo conuenit, de rebus autem creatis non nisi improprie & δευτέρως vsurpatur. Moses certe, in primo decalogi praecepto dicere non potuisset: *Non erit tibi* אלהים, *Deus alius coram me*, si quisquam praeter Iehouam esset, qui proprie אלהים vocaretur. Sensus namque est, solus Iehouah est vnus Deus, proprie scilicet & κατ' ἐξοχήν sic dictus. Hinc & *Deut. IV, 35.* dicitur: יהוה הוא האלהים, *Iehouah est ille elohim, non est alius praeter eum.* Ipsum etiam ex Iudaeis hoc agnoscere ISAACVM ABARBANELEM, aliis iam obseruatum est: conf. IO. HENR. HOTTINGERVS, in *histor. creat. exam. qu. XI. p. 20.* & IO. HENR. MAIVS, in *dissertationibus sacris, loc. II. §. XXVIII. p. 135.* Praecipuum autem, quod de voce hacce adhuc obseruandum, hoc est, quod plerumque in plurali numero adhibeatur, rarius in singulari, quo neutiquam destituitur. Id vero quamnam ob caussam fiat, acriter inter se disceptare viri docti solent. Sunt enim, qui personarum in essentia diuina pluralitatem isto multitudinis numero haud obscure significari existimant; idque eo magis,

quod nulla ceteroquin probabilis adferri ratio queat, cur vox haecce tam constanter in multitudinis numero adhibeatur. Quam tamen sententiam non Iudaei modo, ac Socini adsectae, sed alii quoque, qui ceteroquin personarum in vna essentia trinitatem admittunt, acriter impugnant: sed sine ratione. Pluralitatem enim quamdam in essentia diuina hac voce significari, nimis manifestum est; quam vero aliam, quam personarum? Singulari nimirum numero non destituitur: cum a voce אלוה, quae, vti diximus, itidem subinde in scriptura sacra occurrit, rite deriuetur. Quae autem in multitudinis numero adhibentur voces, nec singulari destituuntur, non possunt non pluralitatem quamdam, nisi forte enallage numeri subsit, significare. Nec aliter, siue statum regiminis, siue suffixa ei addita spectes, quam reliqua pluralis numeri nomina adhiberi solet. Accedit, quod verba pariter atque adiectiua pluralis numeri voci huic in scriptura sacra passim adiiciantur: vt *Gen. I, 26. XX, 13. XXXV, 7. II. Sam. VII, 23. Ios. XXIV, 19. Ierem. X, 10.* Vt adeo plane fallantur, qui terminatione quidem, non autem significatione nomen hocce plurale esse contendunt. Licet enim alia pluralis numeri nomina, quae singularia sunt significatione, occurrant; vt בתולים *virginitas*, זקונים *senectus*, נעורים *pueritia* &c. eorum tamen longe alia, quam vocis אלהים est ratio, cum & singulari numero destituantur, nec eadem ratione cum aliis vocibus coniungantur. Nec illud nobis obstat, quod vox אלהים frequentius cum singulari numero construatur. Inde enim, quod singularis quoque numeri habeat significationem, inferre non licet, cum alia eius rei ratio praesto sit. Personarum nimirum non minus pluralitas, quam essentiae diuinae vnitas efficit, vt mox cum singulari,

lari, mox cum plurali numero construatur. Non equidem adsero, solum nominis huius numerum pluralem, ad personarum diuinarum pluralitatem euincendam sufficere; multo minus, trinitatem personarum ex eo confici posse; sed, cum aliunde etiam hocce mysterium constet, magnum inde ad pluralitatem personarum adserendam accedere robur, contendo: praesertim, cum nulla alia istius rei adferri ratio queat. Nec est, quod voces בעלים & אדונים nos morentur, quae cum verbo singulari itidem de vno vsurpantur, *Exod. XXI, 4, 6, 8, 36.* ac si vox אלהים non minus, ac istae, honoris tantum & dignitatis ergo, multitudinis numero efferatur. Numquam enim istae voces cum aliis ita coniunguntur, vt aut verbum, aut adiectiuum, aut adfixum pluralis numeri illis respondeat. Praeterea, si vel maxime voces אדונים & בעלים honoris caussa in plurali numero adhibeantur, non tamen de voce אלהים idem dici potest, quippe quae *dominii* aut *imperii* significatione non gaudet, eodemque adeo loco, cum vocibus eiusmodi quid innuentibus, haberi nequit. Quamquam nec istud, quod adseritur, voces אדונים & בעלים honoris caussa in plurali numero adhiberi, positum sit extra controuersiam. Recte namque B. SEBAST. SCHMIDIO nostro obseruatum, eamdem vocum istarum esse rationem, ac nominis אלהים, vt de vno homine dicantur per tropum, a diuinis nominibus formatum, adeoque Deo vni quondam propter personarum pluralitatem in plurali attributae, perque metaphoram ad homines, qui Dei vices gerunt, translatae, suum retineant pluralem numerum, quem in diuinis habeant; in *dissert.* antea laudata, *p. 20.* & in *collegio biblico vet. testam. loc. III. p. 113. seq.* Quodsi autem vox אלהים honoris caussa in plurali nume-

ro vsurparetur, par vtique fuisset, vt semper ita adhiberetur. Cum vero etiam subinde in singulari numero vox אלוה occurrat, longe aliam subesse caussam, necesse est, cur mox in singulari, mox in plurali, & quidem saepius, adhibeatur.

§. IV.

Graeca nomina Dei sunt θεὸς & κύριος, quorum illud non tam ex origine, quam vsu aestimatum, itidem naturae, non dignitatis, nomen est, proprieque acceptum, ipsam Dei essentiam denotat: * hoc autem auctoritatem equidem & potentiam, quae dominorum ac imperantium est, significat; a septuaginta tamen interpretibus, & horum exemplo, scriptoribus noui testamenti, ad nomen ebraeum יהוה exprimendum, adhibetur.

* Antiquissimorum Graecorum animis notionem quamdam de ente aliquo supremo, rerum omnium, quae in hocce mundo continentur, caussa, haesisse, ecquis est, qui dubitet? Vocem ergo aliquam iis etiam fuisse, necesse est, qua hancce notionem expressérint: quae haud dubie alia non fuit, quam nomen θεὸς. Quantumuis namque deinceps, cum superstitio & idololatria incrementum cepisset, in adplicatione valde aberrauerint; ex perpetuo tamen huius vocis vsu patet, simul eos aliquid, quod soli vero Deo conuenit, indicare voluisse. Vt enim ipsa vnius, summique Dei idea, ita & nominis, quo ea innuitur, significatio, nulla ratione prorsus ex animis mortalium euelli potuit. Non itaque abnuo, voce θεὸς deinceps veteres generatim id, quod praestat, aut eximium est, aut naturam humana praestantiorem,

tiorem, indicare voluisse: quod vt probet, valde operosus est IO. CLERICVS, *tom. I. part. II. sect. I. cap. III. artis criticae, p. 257. seq.* Sed hanc ipsam significationem secundariam a primaria, quae & genuina, propriaque est, descendere, non est, quod dubitemus. Cum enim ens summum, adeoque omnium praestantissimum, primum ea denotarent, eamdem deinceps ad alia, quae cum ente hocce praestantissimo perfectissimoque conuenientiam habere illis videbantur, transtulerunt. Primariae autem istius propriaeque significationis, qua ens supremum, quod rerum omnium caussa est, denotat, vestigia apud philosophos, Platonicos maxime, remanserunt, qui ea voce non aliter fere, quam christiani, a mysterio trinitatis, quod his solis perspectum est, quodque, de vero Deo loquentes, simul connotare solent, si discedas, vsi sunt: vt vel ex iis, quae MAXIMVS TYRIVS, *dissert. I. quid sit Deus secundum Platonem p. 3. seq.* prorsus egregie disserit, patet. Nec est, quod originem, seu deriuationem, vocis θεὸς nobis opponas. Praeterquam enim, quod in ea auctores non consentiant, dum alii eam ἀπὸ τοῦ θέειν, a *currendo*, eo quod Deus omnia penetret, foueat, conseruet; alii ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι, a *spectando*, quod omnia intueatur; alii ἀπὸ τοῦ θεῖναι, a *ponendo*, quod omnia ordinet & disponat, deriuant; alii autem, & forte omnium rectissime, nomen hocce primitiuum esse, contendunt; constat, genuinam vocum significationem non tam ex origine ac deriuatione, quam ex vsu aestimandam esse.

§. V.

Credenti autem in Deum ante omnia necessarium est, certa animi persuasione tenere, ens eiusmodi perfectissimum, quod Deum vocamus, exsistere: πιστεῦσαι γὰρ δεῖ

προσερχόμενον τῷ θεῷ ὅτι ἐστί, *Ebr. XI, 6.* Idque ipsa quidem natura omnes euidentissime docet, reuelatio autem, siue scriptura, vlterius confirmat. Et ad naturam quidem quod attinet, hanc exsistentiae suae cognitionem creator rerum omnium humanae menti tam alte infixit, vt, qui data velut opera sibi ipsi vim non inferunt, non possint non veritati huic, quam primum eam intelligunt, adsensum praebere. * Quod & quilibet ex eorum, quae in se ipso experitur, facilique negotio deprehendere potest, consideratione cognoscit; ** quamuis & mirabilis ille gentium omnium, in veritate haece admittenda, consensus idem comprobet.*** Suffragatur & scriptura sacra, notitiam hancce omnium hominum cordibus inscriptam, docens, *Rom. II, 15.*

* Hancce Dei notitiam, *innatam*, seu *ingenitam*, vel etiam *insitam* vocare solent; quod tamen non ita capiendum, ac si actu omnium hominum animis haecce notio inesset. Sequeretur enim, neminem mortalium reperiri, aut repertum vmquam esse, qui Deum esse ignoraret: immo, sequeretur, ipsis infantibus hanc notitiam actu inesse: quod tamen experientiae repugnat, & scripturae, testanti, *ipsos non nosse discrimen inter dextram & sinistram suam, Ion. IV, 11.* Negari etiam nequit, insitam hanc notitiam per institutionis defectum, aut alias ob caussas, ita impediri posse, ne se exserat, aut si se exserat, per malitiam supprimi posse, & quodammodo suffocari, renitente tamen semper, & reluctante animo, vt atheorum exemplo constat. Haec itaque

que cum secum perpenderent praestantissimi nostrae ecclesiae theologi, notitiam hancce insitam in *potentia propinqua*, propositionibus, quibus, Deum esse, eumque esse ens omnium perfectissimum, rerum quoque omnium caussam, colendum porro, summoque honore prosequendum, adseritur, adsentiendi, consistere docuere. Ita & B. IO. MVSAEVS noster, *introd. in theologiam cap. II. §. XIX.* Et sane, cum notitia aut de actu, aut de potentia saltem intelligi queat, & vero omnes inter se consentiant, eam actu in omnium hominum animis non exsistere; relinquitur, de potentia, non tamen qualicumque, aut remota, sed propinqua, hoc capiendum esse. Nec reuera dissentiunt, sed idem potius dicunt, qui, eam notitiam in *dispositione quadam, aut habitu analogice sic dicto*, consistere, adserunt: vt eidem, quem laudauimus, B. IO. MVSAEO recte obseruatum, *l. c. §. XI. num. V. p. 54.* Ne quis autem potentiam illam propinquam nimis tenuiter interpretaretur, amplius aliquid addendum censui, coniunctam scilicet eam esse cum inclinatione quadam & propensione validissima, efficacissimaque, quae statim sese exserit, ac homines eiusmodi propositiones audiunt, intelligunt, & secum recte expendunt; in *thesib. de atheismo & superstit. cap. V.* ad §. *I. p. 361.* Idque etiam est, quod Paulus apostolus nos condocet, quando ethnicos, legem scriptam non habentes, φύσει, *natura*, quae legis sunt, facere, dicit, *Rom. II, 14.* Quae enim per modum potentiae, itemque propensionis atque inclinationis nobis insunt, recte natura inesse dicuntur. Idque & sibi vult, quando opus legis in cordibus gentilium γραπτὸν, *scriptum*, hoc est, insitum, vt potentiae omnes & inclinationes naturales merito insitae & congenitae dicuntur, adserit, *v. 15.* Ex *Rom. I, 19. 20.* nihil contra hanc sententiam colligi potest, cum apostolus ibi non

non de insita, sed de adquisita Dei notitia loquatur.

** Euidentissima haecce est ratio, qua quisque de notitia Dei insita certus fieri potest. Nec amplius quid requiritur, quam vt aliquis sincere & serio ad se attendat, & quae in se ipso deprehendit, animaduertat. Quae enim tum ipsemet in se sentit, & experitur, ita illum conuincere possunt, vt nullus dubitationi amplius relinquatur locus. Res autem ipsa docet, & ex antea dictis etiam constat, nos non de illis loqui, qui rationis vsu destituuntur, sed de hominibus, qui eo pollent, & adeo ad hocce mentis suae examen rite instituendum idonei sunt: itemque de illis, qui veritati non resistunt, aut huncce naturae instinctum data opera non suffocant, aut supprimunt. Id enim interdum contingere, atheorum exempla docent. Ad quos quidem compescendos ac coërcendos tum aliis argumentis opus erit. Frustra quippe hominem ad notitiam Dei insitam ablegaueris, qui eam data opera supprimit, idque vnice agit, vt eius vim impediat. Eo namque hoc maxime comparatum est argumentum, vt quilibet in se ipso, si modo sincere serioque secum agere velit, quam certissime euidentissimeque de hacce veritate conuinci queat. Quantumuis autem profani homines reluctentur, & sibi ipsi velut vim inferant, numquam tamen impedient, vt non vel inuiti conscientiae, sententiam contra ipsos pronuntiantis, dictamen sentiant. Ex insita enim hacce Dei notitia, accedente etiam adquisita, conscientiae hocce dictamen oritur, quo homines legem diuinam migrantes, se ipsos mox accusant, aut omnino damnant, mox autem, quae innocentiae προφασιν praebere possunt, conquirentes, excusare iterum, vel absoluere adnituntur, teste ipsomet apostolo, *Rom. II, 15.* conf. & quae supra *cap. I. §. XIV.* diximus.

***

*** Nullam namque fuisse vmquam gentem tam barbaram atque immanem, quae non Numen aliquod admiserit, illudque colendum censuerit, etiam ethnici scriptores agnouerunt. Solent quidem tum a veteribus, tum a recentioribus exempla gentium athearum proferri, sed sine firmo satis hoc fieri fundamento, a IO. LVDOVICO FABRICIO, theologo Heidelbergensi, in *apologetico pro genere humano, contra calumniam atheismi*, aliisque demonstratum est, quos iam laudaui in *thesibus de atheismo & superstitione*, ad *cap. V. §. I. p. 364.* Sumamus itaque, quod frustra negatum hactenus, & nulla ratione negari potest, nullam omnino exstitisse vmquam, aut exstare gentem, quae non Deum, etsi subinde sub conceptu valde erroneo, admiserit, atque coluerit: sua sponte tum inde sequetur, a Deo ipso hanc notitiam illis insitam, atque omnium cordibus inscriptam fuisse. Cum enim moribus, institutis, legibus, ritibus, maximopere gentes a se inuicem differant, in eo tamen, quod Numen aliquod sit, idque cultu debito prosequendum esse, omnes conueniant; non alia profecto eius rei caussa adferri, aut excogitari potest. Ab educatione enim, aut alio quodam instituto humano, hicce consensus deriuari nequit. Experientia siquidem constat, educationem non obstare, quo minus liberi in plurimis rebus diuersas admodum a parentum placitis opiniones sectentur, & hae opiniones, aeque ac mores & vitae instituta varia, ita tandem inualescant, vt integrae gentes a maiorum suorum placitis, moribusque, & institutis, toto, quod aiunt, differant caelo. Non magis dici potest, a regibus principibusque, aut qui imperantium functi sunt munere, opinionem hanece de Deo, eiusque cultu, introductam primum, ac deinceps conseruatam ac propagatam fuisse, vt populum in obsequio continerent.

rent. Nullo enim exemplo comprobari potest, tum demum religionem, generatim spectatam, introductam fuisse, cum res publica quaedam conderetur. Quandocumque enim homines ad ciuitatem quamdam constituendam coiuerunt, semper opinionem de Deo, eiusque cultu, secum attulerunt. Non abnuo, rerum dominos religione, ad imperium sibi firmandum, abusos: inde autem colligere non licet, eos primum religionem aut inuenisse, aut introduxisse.

§. VI.

Accedunt & alia argumenta, Dei exsistentiam extra omnem ponentia dubitationem, * quorum nonnulla quidem a conceptibus rerum omnium communibus & vniuersalibus; ** alia ab ordine, amplitudine, structura, pulchritudine huius vniuersi, rerumque omnium, quae in eo conspiciuntur, cumprimis autem a partium omnium, quibus singulae res huius vniuersi constant, ad certum finem directione; hominum itidem, qua totum genus humanum, qua singula indiuidua spectatorum, origine; *** alia denique a rerum publicarum, immo ipsarum gentium ac populorum; scientiarum porro ac artium ortu, * desumi possunt. Methodum vero hancce, ex rerum creatarum consideratione cognoscendi creatorem, scriptura sacra itidem calculo suo comprobat, *Iob. XII, 7. 8. 9. psalm XIX, 2. 3. 4. 5. Rom. I, 20.*

* Loquimur nunc de notitia Dei, quam *adquisitam*

tam vocare solent; quae, cum vel *rudior* sit, a parentum scilicet, aut praeceptorum institutione, vel traditione profecta, vel *exquisitior*, per iustas ratiocinationes comparata; hanc, non illam, hic in censum venire, nemo non intelligit.

** Prima est haecce classis argumentorum, quibus Numinis exsistentia demonstrari solet, quaeue *metaphysica* vocari possunt. Pertinent huc ea, quae a motus origine, & dependentia rerum a suis caussis, itemque a rerum creatarum contingentia, desumuntur, & quae alia sunt eiusdem generis. Hinc enim, primum aliquem motorem, primamque caussam, a qua reliqua omnia dependeant, & ens aliquod necessario exsistens, hoc est, Deum dari, luculentissime euincitur.

*** Altera haecce classis est argumentorum, quibus Numinis exsistentia demonstratur, quaeue recte *physica* dicuntur. In ea primo loco se offert conspectus totius huius vniuersi, siue ipsum mundi systema; cuius si spectemus & *amplitudinem*, & in innumerabili corporum numero, *ordinem*, aptissimamque *dispositionem*, omnium praeterea ac singulorum ad certos vsus finesque *directionem*; non possumus non statim conuinci, ab eo haec omnia profecta esse, cuius summa & infinita non minus potentia est, quam sapientia. Idemque etiam intelligetur, si quis speciatim solem, lunam ceteraque corpora caelestia, eorumdemque motum, & in motu ordinem, constantiam, harmoniam, omniumque ad certos fines & effectus conspirationem, attentiori perlustrare animo operae pretium duxerit. Non minus vero & telluris nostrae consideratio euidentissime sapientiam, potentiamque creatoris demonstrat. Ita enim in omnibus eam adaptatam instructamque esse, deprehendimus, vt commodius pro tot hominibus & animantibus, quae alere &

sus-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1724821938/phys_0135
DFG

sustentare debebat, habitaculum nullo modo excogitari queat; &, ne quid incolarum eius, hominum praecipue, necessitati deesset, ingentibus abundat thesauris, quos quotidie, non sine stupore illorum, qui cuncta iusta lance ponderant, profert. Ipsa praeterea animantia, vt multitudine innumera sunt, ita corpora, qua omnes singulasque partes, aptissime instructa habent, prout loci, in quo degere debebant, alimenti, quo nutrienda erant, conseruationisque, qua integram speciem, qua singula indiuidua, ratio postulabat. Cumprimis vero ipsa hominis consideratio argumenta nobis luculentissima suppeditat, quibus & potentia & sapientia creatoris quam euidentissime demonstretur. Corporis enim, singulorumque membrorum eam structuram, dispositionem, proportionem deprehendimus, vt nihil aptius, nihil concinnius, nihil aut ad vsum, quem quodlibet membrum praestare debet, aut ad finem, ob quem hominem conditum ex naturae eius contemplatione facile condiscimus, adcommodatius cogitari queat. Idem vero etiam vel maxime ex animae humanae, viriumque, quibus pollet, plane stupendarum contemplatione intelligitur. Ea vero, cum omnis insuper materiae expers sit, intelligendique & volendi facultate praedita, magnisque adeo prae reliquis rebus creatis perfectionibus gaudeat; haec omnia Deo, cui, quidquid habet, tamquam rerum omnium causae, acceptum refert, modo longe eminentissimo conuenire, recte colligitur. Nec hominum hic praetermittenda origo; tum ipsius humani generis, tum singulorum indiuiduorum intuitu spectata. Vtraque enim ita comparata est, vt nisi creatoris rerum omnium potentia, sapientiaque admittatur, de neutra dici aliquid possit, quod non absonum sit, & plane ineptissimum. Atque haec quidem, si iunctim sumantur, argumenta, euidentissime

tissime nos condocent 1) fieri plane non potuisse, vt haec omnia casu fortuito exsisterent: casus enim fortuitus cum ordine constantissimo, summaeque sapientiae effectibus, consistere nequit: II) dari itaque necessario ens aliquod summa potentia pariter ac sapientia praeditum, quod haec omnia ita constituerit, ordinauerit, disposuerit: III) summa ista autem & potentia, & sapientia, cum summam perfectionem arguat, non posse non hocce ens intellectu, voluntate, summaque adeo agendi libertate esse praeditum; quod IV) vel inde etiam eluceſcat, quod ipsimet homines in mente sua praeter intellectum, & voluntatem, agendi quoque libertatem deprehendant: quae omnia in eo, qui rerum omnium caussa est, vt iam antea dictum, modo quodam longe eminentissimo exsistere, necesse est. Vnde tandem V) sequitur, ens hocce longe perfectissimum, liberrimumque, non posse ipsum mundum, infinitis quippe imperfectionibus, praesertim si materiam spectes, laborantem, sed ab eo plane diuersum esse.

* Tertia haecce classis est, eorum scilicet argumentorum, quae *historica* dici possunt. Ex monumentis enim historicorum longe certissimis, regnorum, rerumque publicarum, ipsarum itidem gentium atque populorum, artium praeterea & scientiarum, eorum denique omnium, quae ad vitae huius vsum aut commoda inuenta sunt, & excogitata, origines atque incrementa constant; ita quidem, vt, quae ethnici scriptores de hisce omnibus litteris consignata reliquerunt, si summam rei spectes, prorsus consentiant iis, quae memoriae prodidit diuinus scriptor Moses. Sua sponte autem hinc sequitur, non tantum initium habuisse huncce mundum, nec vllo modo aeternum dici posse, sed eo etiam circiter tempore, eadem ratione, initium habuisse, qua Moses hoc nos condocuit.

§. VII.

Quae natura & ratio de exsistentia Dei docet, ea fides ceu certissima, & extra omnem dubitationem posita, adsumit, simulque efficit, vt adcuratiori studio ad ea attendamus, iuxta illud apostoli: πίστει νοῦμεν, *Ebr. XI, 3.* * Nititur tamen insuper Dei ipsius, se ipsum per verbum, hinc & per gratiae diuinae opera varia, quae reuera percipiunt, in animis credentium efficacissime manifestantis, testimonio. **Ne dicam, quod ex lumine reuelationis longe clarius, *** quam ex lumine rationis, quid Deus sit, innotescat.

* Ad naturalem enim notitiam quin aliquid ex fide accedat, dubitari nulla ratione potest. Huc autem primo loco illud pertinet, quod, cum naturalis illa notitia vt plurimum frigeat, langueatque, per fidem ea magis excitetur. Homines enim sibi relicti, non nisi fere inuiti, & reluctante animo de Deo cogitant, cum ab eo sibi metuant potius, quam vt bona quaedam polliceantur, nisi forte saltem sciendi & cuncta perscrutandi studio eo perueniant. Lumen vero reuelationis cum longe alia ratione Deum exhibeat, non possunt quoque non alio animo in consideratione Dei versari, qui vera fide illud amplectuntur.

** Primo itaque ipsum scripturae testimonium hic in censum venit. Qui enim intime persuasus est, scripturam a Deo ipso esse profectam, is nulla ratione, quin Deus exsistat, dubitare potest. Ipsum enim Deum in scriptura loquentem audit, eiusque vocem, vt filius vocem patris, agnoscit. Deinde secum

secum expendens, quae in conuersione, (loquimur namque de homine vera fide praedito) illuminatione, voluntatis ad quaeuis bona flexione, expertus est, & in quotidiana renouatione reuera experitur; non potest non ex ista gratiae diuinae intima perceptione ita persuaderi, vt stolidissimus mortalium esset, si vel minimae dubitationi locum relinquere vellet. Et hac ratione opera diuina in regno gratiae non minus luculenter Numinis exsistentiam confirmant, quam opera Dei in regno naturae: licet illa non aeque ab omnibus percipiantur ac agnoscantur, quam haec. Certe, quae ipsi experimur, & sentimus, omnem dubitationem prorsus excludunt.

*** Immo & rectius. Non dicam, quod plerique gentilium, etiam philosophorum, conceptus plane peruersos, quin & ineptos, & impios de Deo sibi formauerint, cum hoc ipsi rationis lumini tribui nequeat. Hoc enim si recte vti voluissent, istos facile euitare potuissent errores. Quodsi quis itaque rectae rationis ductum sequatur, Deum equidem cognoscet, prout eum lumen rationis sistit, hoc est, vt ens summe perfectum, adeoque vnicum. Lumen vero reuelationis docet, Deum ita vnum esse in essentia, vt trinus simul sit in personis: quod adeo ad genuinum Dei conceptum requiritur. Id vero est, quod ratio ignorat.

§. VIII.

Etsi porro Deus lucem inhabitet inaccessam, *I. Tim. VI, 16.* nemoque τὰ βάθη τοῦ θεοῦ scrutari queat, quam spiritus Dei; *I. Cor. II, 10. 11.* hinc & nemo mortalium, quid Deus sit, mente sua perspicue & plene comprehendere valeat; * cum tamen ex operibus τὰ ἀόρατα illius, hoc est, diuinae

uinae perfectiones, eluceſcant, *Rom. I, 20.* quas & luculentius lumen reuelationis pandit; ex harum conſideratione vtcumque imaginem quamdam entis iſtius perfectiſſimi, noſtraeque vim mentis infinitum in modum ſuperantis, efformare nobis licet.**

* Hoc eſt, quod vulgo dici ſolet, Deum eſſe incomprehenſibilem. Quod non ita intelligendum, ac ſi Deus nullo plane modo cognoſci poſſit, ſed quod ipſam eius eſſentiam perſpectam minime habeamus: quidquid autem de attributis & perfectionibus eius cognoſcimus, id itidem valde imperfectum ſit, cum intellectus finitus, quod infinitum eſt, perfecte & plene comprehendere nequeat.

** Quidquid enim de Deo cognoſcimus, ſi ab operibus eius diſcedas, illud in eo conſiſtit, vt aut, quidquid perfectionis in rebus creatis deprehendimus, illi modo quodam eminentiſſimo conuenire, intelligamus, aut quidquid imperfectionem inuoluit, ab eo remoueamus. Adeoque cuncta eo redeunt, vt ex attributorum eius conſideratione, eum vt ens longe perfectiſſimum, cuius tamen perfectiones plene mens noſtra adſequi nequeat, nobis ſiſtamus.

§. IX.

Summatim ergo ſi complecti velimus, quae perfectionum ſeu attributorum diuinorum conſideratio nobis ſuppeditat, dici poteſt, quod Deus ſit *ſpiritus independens.* Ea enim, quae cum rebus creatis, ſpeciatim ſpiritibus, ceu praeſtantiſſimis rerum creatarum omnium, ei ſunt communia, ſed ita, vt modo longe eminentiori ei conueniant, voce *ſpiritus*; reliqua autem, quae eum

eum infinitis modis rebus creatis superiorem demonstrant, voce *independens* comprehenduntur. *

* Cum Deus *independens* dicitur, sensus est, quod nullam sui caussam agnoscat. Idem ergo est, ac quod alii dicunt, eum *esse a se*; quod non *positiue*, sed *negatiue* intelligendum esse, monere superuacaneum foret, nisi essent, qui nodum in scirpo quandoque quaerunt. Atque hoc & scriptura, modo loquendi simplicissimo, innuit, quando Deum κατ' ἐξοχὴν *primum* vocat; *Es. XLI, 4. XLIV, 6. XLVIII, 12.* Qui enim omnium rerum primus est, non potest sui quamdam habere caussam: cum omnis caussa prior sit effectu. Idem vero ex ipso nomine יהוה, quo ens per se & independenter exsistens denotatur, fluit: quorsum ea pertinent, quae supra hac de re disputauimus. Ceterum, quando Deus *a se* esse adseritur, id quidem eo, quo diximus, sensu de omnibus trinitatis personis est intelligendum: longe alio autem modo filius a patre per aeternam generationem, & a patre ac filio per processionem, spiritus sanctus esse dicitur.

§. X.

Vt ergo, quae diximus, eo rectius intelligantur, ipsarum perfectionum, seu attributorum diuinorum euolutio necessaria est. Quae vt recte procedat, obseruandum, quod & res ipsa docet, attributa haecce non re ipsa, sed nostro solum concipiendi modo, tum ab se inuicem, tum ab ipsa essentia diuina differre. Secus enim qui sentit, Deum quemdam compositum, multisque adeo imperfectionibus obnoxi-

um, sibi finget. Obseruandum quoque, in eorum consideratione ita versandum, ne, quae ratio capere nequit, negemus, aut vocemus in dubium, falsasque adeo animo concipiamus notiones: quin potius scripturam cum ratione rite coniungamus, &, vtriusque ductum sequentes, ad harmoniam omnium attributorum rite attendamus; cuncta denique ad fidei ac vitae praxin referamus, ne in otiosam ac inutilem speculationem tota haec abeat tractatio.

§. XI.

Solent vulgo attributa Dei in *negatiua* & *positiua* diuidi. * Cum vero negatiua non sint vnius generis, siquidem quaedam conuenientiam quamdam cum rebus creatis inferant, & imperfectionem tantum remoueant, ** alia contra eiusmodi quid connotent, quo plane a rebus creatis Deus distinguatur; *** rectius nos incedemus, si & ea, quae positiua vocantur, * & negatiua prioris ordinis, ex conceptu *spiritus*, negatiua autem posterioris ordinis, ex conceptu *independentiae* deriuemus. **

* Ad negatiua referuntur, *vnitas*, *simplicitas*, *immutabilitas*, *infinitas*, *immensitas*. Non tantum enim quae vi vocis, sed &, quae vi significationis negatiua sunt, intelliguntur. Ad positiua autem: *vita*, *scientia*, *sapientia*, *sanctitas*, *iustitia*, *veracitas &c.* Sed longe adcuratius attributorum diuinorum institui partitionem posse, ex dicendis patebit.

**

** e. g. *vnitas*, *simplicitas*, *immutabilitas &c.*
*** e. g. *infinitas*, *immensitas*, *aeternitas &c.*
* e. g. *vita*, *scientia*, *sapientia &c.*

** Duas ergo attributorum diuinorum constituimus classes: quarum vna ea, quae ex notione *spiritus*; altera ea, quae ex notione *independentiae* fluunt, continet. Quae ad primam classem pertinent, itidem non sunt vnius generis. Quaedam enim Deo cum rebus quibusuis, quae exsistunt, sunt communia, quaedam tantum cum spiritibus. Prioris ordinis sunt *vnitas*, *bonitas*, *veritas*; quae autem posterioris sunt, in duo iterum genera abeunt; quorum alterum *physica*, alterum *moralia* continet. Physica sunt: *simplicitas*, *immutabilitas*, ac *immortalitas*, itemque *vita*, quae per intellectum ac voluntatem, ceu operationes vitales, se maxime prodit. Moralium autem nomine omnes virtutes veniunt, quae Deo ἀνθρωποπαθῶς tribui solent, quaeue summatim in amore continentur. Ad secundam denique classem, eorum scilicet, quae ex notione independentiae fluunt, merito referentur, *infinitas*, *immensitas*, ac *omnipraesentia*, itemque *aeternitas*. Atque huncce in sequentibus obseruabimus ordinem.

§. XII.

Nimirum, cum quaedam attributa non tantum spiritibus, sed & rebus omnibus, quae exsistunt, sint communia; & ea Deo eminentissima quadam ratione, cum remotione omnium imperfectionum conuenire, non est, quod dubitemus. Vt ergo de quouis ente dici solet, quod sit *vnum*, *verum* & *bonum*; (ne quid de ipsa exsistentia dicam) ita multo magis de Deo haec o-

mnia κατ' ἐξοχήν dicenda esse, nemo non intelligit.

§. XIII.

Eminet inter huius ordinis attributa *vnitas*. Cum enim quodlibet ens vnum sit, eo quidem sensu, quod in plura alia eiusdem naturae entia diuidi nequeat; Deus insuper ita vnus, vel potius vnicus est, vt plures nullo modo esse queant. Neque *specifice* solum, sed *numerice*, vti loqui solent, vnus est, cum nihil aliud in hocce vniuerso, cui nomen hoc tribui queat, reperiatur. Idque vel ipsum Dei nomen nos condocet; cum, qui plures vno Deo statuit, reuera perinde agat, ac si nullum admittat. Idem & scriptura confirmat, *Deut. VI, 4. Es. XLIV, 6. I. Cor. VIII, 6. Ephes. IV, 6. I. Timoth. II, 5.* Quae quidem eo nos adducere debent, vt πολυθεότητα, adeoque &, quae numquam fere non cum ea coniuncta est, idololatriam, tum crassam, tum subtiliorem, immo subtilissimam, fugiamus.

§. XIV.

Pari quoque ratione Deus modo eminentissimo *bonus* est, idque tum *absolute*, & in se, dum omnia ea, quae enti perfectissimo conueniunt, in eo deprehendere licet; *Luc. XVIII, 19.* tum *relatiue*, & quoad nos, dum in eo, ceu summo nostro bono, omnia, quae nos beatos reddere possunt, inuenimus,

mus, *psalm. LXXIII, 25. 26.* ne quid nunc de eo dicam, quod ab eo, ceu cauſſa efficiente, omnia, quae bona ſunt, proficiſcantur, *Gen. I, 31. Iac. I, 17. I. Cor. IV, 7. act. XVII, 25. ſeq.* Quae quidem omnia, vt Deum ſummo amore & veneratione proſequamur, nos commouere debent.

§. XV.

Et ita quoque Deus *verus* eſt, ὁ ἀληθινὸς, *I. Ioan. V, 20.* eſſentia Deo debita gaudens: ſubinde in ſcriptura ſacra *diis falſis*, τοῖς λεγομένοις θεοῖς, *I. Cor. VIII, 5.* opponendus. Quo ipſo & nos admonemur, vt tales reuera ſimus, quales videri cupimus, omnemque fucum & fictionem ſedulo fugiamus, cum & in Chriſto ſit ἀλήθεια, *Epheſ. IV, 21.* conf. & *apocal. XXII, 15.*

§. XVI.

Quae ſpeciatim cum ſpiritibus Deo communia ſunt, in duas iterum claſſes recte diuiſeris: quarum altera quae continet, *phyſica*, altera *moralia*, dici poſſunt. Ad priorem, ſimplicitatem ac immutabilitatem, &, quae hinc ſequitur, immortalitatem, immo vitam ipſam, intellectumque adeo & voluntatem referre licet.

§. XVII.

Spiritibus ſcilicet, vtpote omnis materiae expertibus, recte *ſimplicitas* quaedam tribuitur; ſed longe eminentiori modo

Deo ipsi, quippe in quem nulla compositionis species, quocumque etiam nomine veniat, cadit. Summa hoc Numinis perfectio omnes condocet, cum nulla omnino sine imperfectione cogitari compositio queat. Idque etiam scriptura confirmat, dum eum ita nobis sistit, vt aliter, quam de ente purissimo, & ab omni compositione remoto, de eo vel cogitare nefas sit; conf. *Exod. III, 14.* Idque & nobis documento esse debet, vt, quidquid vitae morumque simplicitati repugnat, sedulo fugiamus, *II. Cor. I, 12. I. Cor. V, 8.*

§. XVIII.

Sed nec mutationi, si ipsam essentiam spectes, obnoxius est spiritus; multo autem minus Deus, quippe cuius summae perfectioni omnis, etiam qua accidentia, qua locum; qua voluntatem atque propositum, mutatio repugnat. Idque & scriptura confirmat, *Rom. I, 23. I. Timoth. I, 17. VI, 16.* item *Iac. I, 17. Ierem. XXIII, 24. Num. XXIII, 19.* Eo autem hoc pertinet, vt mundi huius, eorumque omnium, quae extra Deum sunt, vanitatem, instabilitatemque serio nobiscum perpendamus, *I. Corinth. VII, 31.* De immortalitate Dei vt speciatim dicamus, necesse non est: sequitur enim haec sua sponte ex immutabilitate. Cumque & spiritibus recte tribuatur, longe eminentiori modo

do Deo eam conuenire, dubitari nequit; qui & ideo *solus habere immortalitatem* dicitur, *I. Timoth. VI, 16.*

§. XIX.

Vita variis equidem rebus, cumprimis & spiritibus, sed diuersa admodum ratione, tribuitur. Generatim autem considerata, vel principium operationum vitalium, vel operationes vitales ipsas denotat. Vtroque modo de Deo recte dicitur, sed ita, vt operationes vitales de ipso principio testentur; idque iterum eminentissima quadam ratione, cum ipse fons sit omnis vitae, res autem creatae vitam non a se ipsis, sed tantum a Deo habeant; conf. *Ioan. V, 26.* Hinc & passim in scriptura sacra Deo vita tribuitur; *Gen. XVI, 14. Ios. III, 10. psalm. XLII, 3. LXXXIV, 3. Es. XXXVII, 4. actor. XIV, 15.* Hoc vero tum demum nobis proderit, si Deum reuera vt viuum agnoscamus, ab eoque solo, ceu fonte, omnem vitam, naturalem pariter ac spiritualem, exspectemus; *act. XVII, 28. ps. XXXVI, 10. Ioan. I, 4.*

§. XX.

Operationes vitales spirituum ex *intellectu* illorum atque *voluntate* maxime agnoscuntur. Atque intellectui quidem propria est *cognitio* siue *scientia*, * quae adeo & Deo recte tribui potest, & in scriptura sacra saepissime tribuitur. Caueamus autem

tem, ne, diuinum intellectum ex noſtro modulo aeſtimantes, ea de illo cogitemus, quae cum ſumma eius perfectione e diametro pugnant. ** Maximum namque inter hominis & Dei ſcientiam, qua obiectum, qua modum, intercedit diſcrimen.

* Intellectus nimirum per modum *actus primi*, ſcientia autem per modum *actus ſecundi*, vti in ſcholis loquuntur, concipi ſolet.

** Hoc ſi omnes diligenter obſeruarent, multae quaeſtiones, quae tantis animorum motibus agitantur, ſua ſponte ceſſarent.

§. XXI.

Et ad obiectum quidem quod attinet, tam late illud patet, vt nullis circumſcribi limitibus queat; hinc & recte *omniſcientia* dicitur. Nimirum Deus ab omni aeternitate non tantum ſe ipſum, ſed res quoque omnes extra ſe, omnesque actiones, & ſuas, & alienas adcurate, ſecundum cuiusque rei aut actionis naturam, & indolem cognoſcit: hinc & non tantum quae exſiſtunt, aut exſtitura ſunt, quaeue adeo decreuit; * ſed & quae eſſe poſſunt, ** eadem ratione cognoſcit. Nec enim ſumma diuinae ſcientiae perfectio permittit, vt eidem quidquam, quantumuis exiguum videatur, detrahamus: qua in re rationi itidem ſuffragatur ſcriptura; conf. *Iob. XXVIII, 24. XLII, 2. pſalm. CXXXIX, 1. ſeq. prouerb. XV, 3. actor. XV, 18. I. Ioan. III, 20.*

* Solet

* Solet haec scientia Dei vocari *libera*, quia liberum aliquod Dei decretum circa res istas producendas, aut permittendas, supponit. Nihil enim vmquam exsistit, aut exstitit, aut reuera exstiturum est, sine Numinis voluntate, adeoque & quodam eius decreto. Cumque tam clare & distincte ea omnia cognoscat, ac cognoscere solemus, quae coram intuemur, ac oculis nostris videmus; hinc & *scientia visionis* dicitur.

** Ea scientia Dei, qua res quasuis possibiles, vt tales, cognoscit, vocatur *naturalis* seu *necessaria*. Vt enim id, quod possibile est, non potest non tale esse, ita & Deus non potest non res possibiles, vt tales cognoscere: quamuis & se ipsum eadem ratione cognoscat. Vocatur etiam scientia *simplicis intelligentiae*, quia nullum decretum diuinae voluntatis antecedit.

§. XXII.

Speciatim & futura quaeuis Deus certo nouit: non tantum, quae a necessario causarum nexu pendent, sed &, quae a libere agentium voluntate, se ipsam determinatura, originem ducunt, quaeue *contingentia* vocari solent. * Haec namque si non cognosceret, scientia eius non posset dici perfecta. ** Idque insuper tot praedictiones rerum futurarum, earumque contingentium, quibus & adcurate euentus respondit, testantur. Accedunt & aperta scripturae testimonia; *Genes. XVIII, 17 - 19. Deut. XXXI, 16. 20. psalm. CXXXIX, 2. 4.* Immo & hocce maxime charactere Deus a diis falsis, gentiumque idolis, distingui voluit;

luit; *Es. XLI, 22. 23. XLII, 9. XLIII, 12.* *** Omnes itaque hominum angelorumque non tantum actiones, sed cogitationes quoque atque decreta, in illis vmquam exstitura, cum intime cognoscat; sequitur, ignotum illi esse non posse, quid homines, angelique, posita certa quadam conditione, facturi fuissent; quam scientiam de *futuro conditionato*, itemque *mediam* vocare solent; quae & scripturae itidem nititur testimoniis; * conf. *I. Sam. XXIII, 11. seq. Matth. XI, 21.*

* Istud vero, cum nec de homine, nec de spiritu vllo dici queat, hinc soli Deo est proprium. Haec autem rerum futurarum, maxime contingentium, cognitio, speciatim *praescientia* vocari solet.

** Esset enim aliquid, quod non cognosceret: ergo non omnia cognosceret, nec posset dici *omniscius*. Accedit, si futura contingentia non cognosceret, antequam fiunt, cum autem facta sunt, ea cognosceret, quod nemo negabit, tum Dei scientiam incrementum capere posse; siquidem, cum aliquod contingens euenit, aliquid cognosceret, quod antea non cognouerit. Quod, vt manifestae imperfectionis documentum esset, ita etiam sequeretur, scientiam diuinam mutationi esse obnoxiam.

*** Futurorum contingentium praescientia Deo ea ratione vindicanda est, vt humanae quoque voluntati sua maneat libertas. Ex decretis enim diuinis cuncta deriuare velle, plane absonum est. Etenim, vel ex humanae naturae consideratione discimus, intellectum decreta, ceu actus voluntatis, praecedere, non sequi debere. Dubito enim, an sapientis viri elogium promereatur, qui primum aliquid

aliquid se facturum decernit, & tum demum, postquam decreuit, cuiusmodi illud futurum sit, considerat. Eadem porro sententia in Deum non minus, quam homines, iniuria est. In Deum quidem, quod eum mali omnis , omniumque peccatorum causſam atque auctorem facit. Si enim omnia, quaecumque fiunt, ex decreto quodam absoluto Dei fiunt, etiam eamdem ob causſam mala quaeuis fieri, necesse est. In homines non minus iniuria est, quod omni eos libertate , in externis quoque atque ciuilibus, priuet; qua sublata, nec legibus, nec praemiis, poenisque, amplius locus erit. Ad quae accedit, quod omni scripturae destituatur suffragio. Non minus tamen etiam certum est, secundum ea, quae antea iam disputauimus, contingentia quaelibet, quaeue libere ab hominibus fiunt, a Deo cognosci, adeoque praescIri, hinc & praedici posse. Nobis vtique, fateor, non constat, quo pacto hoc fieri queat: sed iniquum plane esset, ex nostri intellectus modulo, infinitam diuini intellectus perfectionem aestimare velle. Hoc nobis sufficiat, quod praeuisio, seu praescientia, rebus ipsis nullam inferat necessitatem, cum vel humanae cognitionis exemplo constet, posse aliquid praescIri , vt tamen inter praescientiam & effectum nullus intercedat nexus causſalis. Sunt equidem, qui contradictionem quamdam hic se inuenisse sibi videntur. Quod enim certo non est futurum, hoc etiam certo sciri non posse, contendunt. Certo autem si futurum est, non erit contingens. Sed iamdudum obseruatum est ab aliis, id, quod ratione causſae, prout libere agere , vel non agere potest, contingens, adeoque incertum & indeterminatum est, posita hac vel illa causſae actione , ceu certum & determinatum spectari, & eo modo ab intellectu infinito certo cognosci posse. Nihil itaque obstat, quo minus aliquid certo modo contingens , certo

modo

modo necessarium sit, si hypothetice, posita certa caussae actione, spectetur. Nec adeo a praescientia diuina, quod id, quod contingens est, vt certum spectari potest, oritur, sed a conditione ista, qua, posita certa caussae actione, non potest non certus quoque effectus sequi.

* *Media* vocatur haec praescientia, quod medium velut locum inter *scientiam* Dei *naturalem* seu *simplicis intelligentiae*, & *liberam* seu *visionis*, teneat. Quae enim obiectum huius praescientiae constituunt, nec vt mere possibilia, nec, vt absolute futura, considerantur. Alias & *conditionata* vocari solet, rectius tamen *conditionatorum*, seu de *futuro conditionato* dicitur, quia conditio ista non in intellectu diuino, sed potius in obiecto huius praescientiae quaerenda.

§. XXIII.

A modo scientiae diuinae si omnem remoueamus imperfectionem, fieri aliter nequit, quam vt vno, eodemque simplicissimo actu, omnia intueatur. Cum enim homines per ideas aliquid cognoscunt, id quidem necesse est, quoniam nulla alia ratio est, obiecta quam plurima, quae mens ipsa non attingit, illi vt praesentia sistendi: quibus adeo Deus, vtpote cui omnia intime praesentia sunt, non indiget. Successio porro idearum, vim mentis suis limitibus circumscriptam, arguit, Deoque adeo plane est indigna: quod multo magis de idearum, tum in iudiciis, tum ratiociniis, comparatione dicendum. Patet vero hinc etiam, quando Deo cogitationes tribuuntur, illud improprie fieri, *psalm. CXXXIX*, 17.

17. *Es. LV, 8.* plane autem ἀκύρως loqui, qui Deum per ſubſtantiam cogitantem deſcribunt.

§. XXIV.

Quodſi ſedulo perpendamus, quid Deum deceat, nihilque tam auguſtum eſſe, quod illi non conueniat, plura autem ipſimet ſcire non cupiamus, quam mentis noſtrae anguſtia patitur: facile ſcopulos, in quos incidunt, qui curioſe nimis de ſcientia Dei diſputant, euitabimus. Maximum contra commodum percipiemus, ſi ſedulo expendamus, omnia non modo dicta & facta, ſed & cogitata noſtra, praeterita, praeſentia, & futura Deo cognita & perſpecta eſſe; *pſalm. CXXXIX, 2. Ebr. IV, 13.* ſimulque inquiramus, an ita comparata ſint, vt illi placere queant.

§. XXV.

Ad intellectum porro & *ſapientia* referri ſolet, quamuis ſine voluntatis ſanctitate recte ſibi non conſtet. Vt autem ſapientiae eſt, bonum a malo diſcernere, illudque eligere & amplecti; ita & eminentiſſima quadam ratione Deo tribuitur, quoniam is ſemper, quod optimum eſt, eligit, idque adprobat, & vt eueniat, cuncta, modo quodam hominibus quidem non ſemper perſcrutabili, ſummae tamen eius perfectioni conuenienti, dirigit; *Rom. XI, 33.* conf. & *Iob. XII, 13.* Hinc & *Rom. XVI, 27.* item

I. Tim. I, 17. Deus μόνος σοφὸς *solus sapiens*, dicitur. * Hanc vero sapientiam qui pie veneratur, diligenter scrutatur, eiusque imaginem, ad quam & ipse conformetur, animo concipit, is & ipse felix pariter ac sapiens dicendus est.

* Duplici ratione vox *sapientiae*, quando Deo tribuitur, in scriptura sacra sumitur; primo ὑποσατικῶς, pro persona quadam diuina; deinde & pro attributo quodam Dei. Priori modo accepta, ipsum Dei filium, qui eiusdem cum patre est essentiae, denotat, qui per eminentiam quamdam hocce nomine venit, quia per eum sapientia Dei in opere creationis pariter ac redemtionis vel maxime sese manifestauit; tum &, quod omnis sapientiae, quae in hominibus est, fons ipse est, atque prima scaturigo; conf. *prouerb. VIII, 12. seq. sapient. VII, 25. 26.* collat. cum *Ebr. I, 3. Matth. XI, 19. Luc. XI, 49. I. Cor. I, 24. 30.* Nec de alia quadam ὑποστάσει, quae hunc in modum de sapientia dicuntur, quam de filio Dei, intelligi possunt; praesertim cum, tres tantum in essentia diuina ὑποστάσεις esse, scriptura sacra doceat: quibus tamen quartam addunt, qui vocem sapientiae ὑποσατικῶς accipiunt, & nihilo secius eam tum a filio, tum a reliquis diuinitatis personis diuersam faciunt. Altera autem vocis huius significatio, qua attributum aliquod diuinum denotat, ea est, quae hic in censum venit; & cuius exactam, ni fallor, & luculentam notionem tradidimus.

§. XXVI.

Altera operatio, qua vita spirituum se demonstrat, facultas illa est, qua bonum aliquod adpetunt, malumque auersantur; quae cum & Deo tribuitur, id omne, quod qua-

quacumque ratione imperfectionem quamdam inuoluit, sedulo est remouendum. Etenim haecce facultas, seu voluntas, in actu primo spectata, ipsa Dei essentia est. Actus autem secundus in effectu, seu re volita, conspicitur, vt in Deo ipso nulla omnino mutatio, immo, ne minima quidem eius vmbra, concipienda sit. Id enim summae illius perfectioni prorsus repugnaret.

§. XXVII.

In hominum angelorumque voluntate primum se offert libertas: quae vt agentium, ratione praeditorum, vel maxime propria est, ita ad dignitatem illorum, atque ἐξοχὴν prae reliquis rebus creatis, praecipua quadam ratione pertinet. Eo magis itaque, Deum ipsum, omni perfectionum genere gaudentem, longe esse liberrimum, patet: quod & eo minus a quoquam negari debet, quo planior ad ipsum atheismum via est, si Deus libertate sua spolietur, & cum materia, omnium imperfectionum sede, in vnum eumdemque redigatur ordinem. Quod cum ratio euidentissime doceat, * scriptura itidem confirmat, Deum, ceu liberrime agentem, vbique nobis sistens,** idque etiam diserte adserens, *psalm. CXXXV, 6. Dan. IV, 32. Matth. XI, 25. 26. Rom. IX, 18. Iac. I, 18.*

* Cum antea iam obseruatum sit, quae intellectu praedita sunt, ea non posse non voluntatis gaudere libertate; sequitur, summam Dei esse libertatem, cum intellectu perfectissimo, idque modo longe eminentissimo, gaudeat. Et sane, si voluntatis libertate destitueretur, & interna quadam necessitate ad vnicum agendi modum determinatus esset, intellectus illi parum prodesset, nulla quoque illi tribui posset sapientia, cum, qui necessario agit, quidquid agit, bonum frustra a malo discernit, vt illud eligat, hoc fugiat; quinimmo, nulla Dei prae lapide aut bruto esset praerogatiua, adeoque reuera nullus esset Deus. Omnia itaque argumenta, quae, Deum esse, probant, si rem recte aestimaueris, aut nihil probant, aut id simul probant, eum esse agens longe liberrimum. Luculentissime autem ex ipsa hominis consideratione idem euincitur. Cum enim quilibet intime sibi conscius sit, si modo rite ad se ipsum attendat, se libertate quadam gaudere, nec ad vnicum tantum agendi modum determinatum esse; sequitur, eo magis eam Deo tribuendam, quo praestantior eius, excellentiorque, prae rebus omnibus, est natura.

** Describitur enim Deus in scriptura sacra, vt rex atque supremus legislator, *qui possit seruare & perdere*, *Iac. IV, 12.* quiue adeo hominibus leges dederit, quas qui seruauerit, praemiis sit adficiendus, vti puniendus contra, qui eas migrauerit; qui porro, cum hominum genus per primorum parentum lapsum in eum statum venisset, vt legem seruare non posset, aliam salutis viam, per Christum seruatorem, iis ostenderit, ea quidem ratione, vt ad salutem elegerit, qui in fide in Christum ad finem vsque perseueraturi sint, reliquos autem aeternis cruciatibus addixerit. Nonne vero haec omnia ridicula forent, si Deus libertate voluntatis destitueretur?

§. XXVIII.

§. XXVIII.

In iis equidem, quae ad Deum ipsum spectant, non potest non ea velle, quae ipsius summae perfectioni conueniunt: secus enim si res se haberet, non esset perfectissimus. * In reliquis autem, libertatis huius ea vis est, & efficacia, vt diuina voluntas se ipsam determinare queat, num agere hoc, an intermittere velit, vt vel ex ipsa mundi creatione patet. ** Nec obstat, quod Deus cuncta certo quodam ordine agat. Vti enim huncce ordinem agendi sapienter quidem, sed tamen liberrime, sibi ipsi constituit, ita eidem neutiquam se prorsus adligauit, vt numquam ab eodem discedere queat; id quod in regno naturae vel ex miraculis constat. ***

* Nihil itaque etiam, quod eius sapientiae, aut sanctitati, aut iustitiae repugnet, agere potest. Neque haec impotentia est, sed summa potius perfectio. In hisce enim, similibusque loquutionibus, τὸ *non posse*, non libertatis defectum arguit, sed aliquid tantum, quod cum summa perfectione consistere nequit, remouetur. Eodemque sensu Paulus, ἀδύνατον esse, dicit, ψεύσασθαι θεὸν, *Ebr. VI, 18.*

** Nulla enim prorsus necessitate ad mundi creationem est adductus: adeoque & eum non creare potuit. Postquam autem creauit eum, simulque substantias ratione praeditas, libereque agentes, ei inesse voluit, non potest non erga eas ita se gerere, prout bonitati eius, sapientiae, ac iustitiae hoc est conueniens.

*** Per miracula enim ordo naturae tollitur.

Qudsi autem Deus ordinem naturae tollere potest, sequitur, vt eidem non sit adligatus, adeoque non necessitate quadam, sed liberrime eum constituerit.

§. XXIX.

Vnico porro, eoque simplicissimo actu, Deus vult omnia: * sed cum pro obiectorum varietate diuersimode haecce vis diuinae voluntatis se se exserat, diuersas inde sortitur denominationes. Intelligere hinc licet, quo sensu voluntas diuina in *naturalem* & *liberam*, ** *efficacem* & *inefficacem*; *** & illa iterum in *absolutam* & *conditionatam*, * in *absolutam* & *ordinatam*, ** itemque in *antecedentem* & *consequentem*, *** dispesci soleat. Quae vero ab aliis additur distinctio, in *voluntatem signi* & *beneplaciti*, vt Deo indigna, & cum eius sanctitate pugnans, merito reiicitur. *

* Actuum enim in ipsa essentia diuina varietas, successio, mutatio, maximam in eo denotaret imperfectionem.

** *Naturalis* vocatur, qua Deus vult, quae non potest non velle: qua quidem ratione vult, quae summae ipsius perfectioni sunt conuenientia: at, cum ea vult, quae etiam non velle poterat, *libera* dicitur, eaque in rebus creatis locum habet; secundum ea, quae ad §. *praecedentem* obseruauimus.

*** Duplici ratione voluntas Dei *efficax* dici potest: primo quidem, si id, quod Deus voluit, etiam reuera consequatur; deinde, si effectus equidem non actu sequatur, Deus tamen eum reuera voluerit, intenderitque. Cum enim Deus in operibus suis, praesertim in hominibus, ad salutem aeternam perducendis, certum sibi constituerit ordinem; fieri vtique potest,

potest, vt secundum huncce ordinem effectus non sequatur actu, quem tamen reuera, serioque Deus voluit. Quare, si homo mediis a Deo praescriptis rite vtatur, nec spiritus sancti operationi resistat, & in fide perseueret, seruabitur: idque ex voluntate Numinis; quae adeo priori sensu *efficax* dicetur, quia effectus consequutus est. Non minus vero voluntas Dei efficax dicenda erit, sed posteriori sensu, si quis mediis a Deo praescriptis non vtatur, aut spiritus sancti operationi resistat, adeoque spe salutis excidat. Etsi enim effectus sequutus non sit, Deus tamen serio eum intendit, defectusque, ex parte hominum profectus, non potest in ipsam Numinis voluntatem recidere, ac si illa parum efficax fuerit. Patet hinc, quo sensu voluntas Dei *inefficax* dici queat. Primo quidem, si Deo secundum se aliquid placeat, quod tamen efficere non intendit. Sic Christus conseruationem vitae, & declinationem mortis voluit, *Luc. XXII, 42.* vt tamen nihilo secius in sententia, mortem pro hominum genere subeundi, perstaret. Deinde, si effectus, quem serio Deus intendit, culpa hominum non sequatur. Quia tamen prior vocis huius acceptio est vsitatior, posterior etiam facile in sensum incommodum abripi queat, non sine ratione tutius nonnulli arbitrati sunt, ab hac loquendi ratione abstinere.

* Duplici itidem ratione voluntas Dei *absoluta* dicitur, primo, prout *conditionatae*, deinde, prout *ordinatae* opponitur. Priori itaque modo voluntas Dei absoluta erit, quando Deus absque conditione adhuc implenda aliquid velle concipitur. Etenim, si conditio, prout iam impleta est, spectetur, nullam amplius habet vim, adeoque non conditionata erit voluntas, sed absoluta. Hinc & recte dicetur, Deum absolute velle, vt, qui in fide ad finem vsque perseuerarunt, seruentur, siquidem fides praeuisa,

vt iam impleta, spectetur. Quodsi vero vt implenda consideretur, voluntas erit conditionata. Huc variae promissiones diuinae, de rebus maxime huius vitae, spectant; quippe quae non nisi cum certa conditione intelligendae sunt. Sua sponte autem ex dictis fluit, quod voluntas Dei conditionata non semper ad effectum deducatur: idque non ex impotentia Dei, sed ex defectu conditionis.

** Sapientiae nimirum diuinae est conueniens, vt Deus tum in regno naturae, tum in regno gratiae, certum ordinem constituat, secundum quem omnia, quae fieri debent, eueniant: eumque libertati eius non aduersari, ad §. *praeced.* iam docuimus; cum illi neutiquam ita adstrictus sit, vt ab eodem numquam discedere queat. Quodsi itaque Deus aliquid secundum ordinem a se constitutum velit, hominum e. g. salutem, si mediis gratiae, quae illis offeruntur, rite vtantur, nec spiritus sancti operationi resistant, voluntas eius vocatur *ordinata*; sin aliquid, non obseruato ordine a se praescripto, euenire velit, *absoluta* dicitur; quae in miraculis vel maxime conspicitur, de quibus deinceps. Nullum hinc etiam est dubium, quin homines voluntati Numinis ordinatae resistere queant. Dum enim ipsi huncce ordinem respuunt, Deus quoque non vult, ea euenire, quae ceteroquin euentura fuissent, si ordinem a Deo praescriptum obseruassent.

*** Contingere nimirum potest, vt Deus, intuitu alicuius caussae vel conditionis, hominibus, aut aliis rebus creatis aliquid conferre velit. Quodsi itaque voluntas Dei, absque ista ad caussam quamdam vel conditionem relatione, consideretur, vocatur *prima*, seu *antecedens*; cum ista vero si spectetur relatione, *secunda* vel *consequens* adpellitatur. Nulla inde in ipsa Dei voluntate diuersitas; sed pro diuerso obiectorum statu diuersas tantum sortitur deno-

denominationes. Multo magis absonum foret, si quis temporis quamdam in voluntate diuina cogitare vellet diuersitatem. Nihil praeterea obstat, quo minus omnium obiectorum, in quibus eiusmodi ad caussam vel conditionem quamdam χσις locum habet, intuitu, voluntas Dei vt antecedens & consequens concipiatur: etsi speciatim, intuitu peccatorum, ob quae omnibus hominibus pereundum fuisset, nisi iis dedisset seruatorem, voluntas eius antecedens dici soleat. Fundamento autem diuersam hancce diuinae voluntatis denominationem non destitui, facile demonstrari potest. Occurrunt enim in scriptura sacra effata Numinis euidentissima, quibus diserte profitetur, velle se omnium hominum salutem, *I. Tim. II,4,6.* nolle se, vt quisquam pereat, sed vt omnes omnino conuertantur, & viuant, *Ezech. XVIII,23. XXXIII,11. II. Petr. III,9.* Rursus alia occurrunt, quibus diserte itidem Deus adfirmat, velle se, vt illi seruentur, qui in Christum crediturí, & in fide ista vsque ad finem perseueraturi sint, reliqui autem vt incredulitatis, peccatorumque suorum poenas luant aeternas; *Ioan. III, 16, 18. Marc. XVI, 16.* Haec itaque quomodo inter se conciliaueris? nisi aliter voluntatem Dei concipias absque conditione, aliter, cum ista conditione spectatam. Atque id quidem volumus, quando voluntatem Dei in *antecedentem* & *consequentem* distinguimus. Idem & luculentissimo seruatoris effato, *Matth. XXIII,37.* comprobari potest. Deum enim populi iudaici, quem summo amore prosequebatur, salutem serio voluisse, profitetur, quod voluntatis erat *antecedentis*; cum vero istum Numinis fauorem repellerent, vitamque emendare nollent, voluisse, vt iram suam atque indignationem experirentur; quod voluntatis erat *consequentis.*

* Solent equidem & scholastici, quos vocant, doctores, eamdem distinctionem, praeeunte PETRO LOMBARDO, atque THOMA DE AQVINO, adhibere, sed eo sensu, vt, quae sunt signa voluntatis diuinae, admodum ἀκύρως vocentur *voluntas signi*, ipsa autem proprie sic dicta Dei voluntas, *voluntas beneplaciti* adpellitetur. Quintuplex autem porro signum faciunt, vnde *voluntas signi* dicatur: *praeceptum, prohibitum, consilium, permissio* & *operatio*. Ex eo enim, quod Deus aliquid praecipit, signum capere licet, quod illud velit; ex eo, quod aliquid prohibet, signum capitur, quod illud nolit; & sic in reliquis se res habet. Quodsi quis itaque adcurate loqui vellet, diceret, haec esse signa, ex quibus, Deum aliquid aut velle, aut nolle, colligere liceat, non autem *voluntatem* quamdam *signi* Deo tribueret. Nec tantum in modo loquendi, sed & in re ipsa peccant, qui hanc distinctionem ita capiunt, ac si Deus in iis praesertim, quae ad hominum salutem spectant, aliquid prae se ferret, quod tamen serio non velit. Id enim *voluntatem signi* vocare solent, vt *voluntatem beneplaciti* dicunt, qua reuera atque serio aliquid vult Deus; vt adeo voluntas signi repugnet voluntati beneplaciti. Licet namque interdum fieri queat, vt Deus, ad hominum fidem & obsequium explorandum, aliquid prae se ferat, quod reuera non vult, vt, cum Abrahamo significauit, velle se, vt filium Isaacum sibi immolaret; id tamen in aliis rebus locum non habet, multo minus in iis, quae ad hominum salutem spectant. Quinimmo, qui eiusmodi quid de Deo cogitat, palam in bonitatem, sanctitatem, & iustitiam eius, iniurius est: eumque non sine impietate quadam hypocriseos ac fallaciae arguit; quam, vt in homine quodam nemo ferret, ita multo magis, a Deo sanctissimo vt eam remoueamus, par est; conf. *Num. XXIII, 19.* Ipsam porro scripturae sacrae certitudinem labefactant, qui ita de Deo sentiunt, saltem

vsu

vsu eius homines priuant; cum, si quis promissiones diuinas in ea occurrentes consideret, statim dubium suboriri queat, an serio hic Deus agat? Fieri namque posse, vt & hic aliud prae se ferat, aliud reuera velit. Immo, ad ipsa praecepta tandem ac leges diuinas hoc extendi posset, vt dubitetur, num etiam serio Deus agat, dum hoc praecipit, illud vetat. Quae ita comparata sunt, vt prima omnis religionis fundamenta tandem euertant. Hinc &, qui inter reformatae ecclesiae doctores modestiores sunt, ab huius distinctionis vsu sibi temperare videas. Atque hinc etiam patet, quid de distinctione voluntatis diuinae in *occultam* seu *arcanam*, & *reuelatam* censendum sit. Quodsi ita capiatur, vt voluntas reuelata respondeat *voluntati signi*, occulta autem, *voluntati beneplaciti* idque in sensu doctorum reformatae ecclesiae, ex quorum numero, vt alios taceam, hanc distinctionem ita accipit SAL. VAN TILL, in *comp. theol. nat. & reuelat. part. II. cap. II. p. 38.* itidem est prorsus reiicienda. Admitti contra potest, si *reuelata* dicatur, quae a Deo per verbum est patefacta; quae autem non est patefacta, *occulta*, seu *arcana*. Vnde, diuersum vtriusque voluntatis obiectum esse, intelligitur. Et ita quoque hanc distinctionem capiunt, qui monent, cum voluntas Dei occulta lateat, in reuelata vnice esse adquiescendum, secundum illud Mosis: *Quae occulta sunt, penes Iehouam, Deum nostrum, sunt; at, quae reuelata, nobis & filiis nostris, vsque in saeculum*, reuelata sunt, *vt faciamus omnia verba legis huius, Deut. XXIX, 29.* conf. & *prouerb. XXV, 1. Rom. XI, 33.* Nec praetermittenda est distinctio inter voluntatem *praecipientem* & *decernentem*, qua itidem reformatae ecclesiae doctores subinde vtuntur. Quorum quidam praecipientem etiam *moralem*, decernentem autem *efficacem* adpellitant. Per *praecipientem* nimirum,

seu

seu *moralem*, nihil aliud, quam voluntatem signi; per *decernentem* autem, seu *efficacem*, voluntatem beneplaciti intelligunt; quod & diserte profitetur IO. HENR. HEIDEGGERVS, in *corpore theologiae christianae, loc. III. §. LXXIII. p. 89.* Vide, quo loco habenda sit, facile intelligitur. Idem censendum de distinctione, inter *voluntatem beneplaciti* seu εὐδοκίας, & *voluntatem complacentiae* seu εὐαρεστίας, qua praeter alios itidem IO. HEIDEGGERVS, *l. c.* & NIC. GVRTLERVS, *institut. theol. cap. III. §. CIII. p. 41.* vtuntur. Per voluntatem enim *complacentiae* seu εὐαρεστίας nihil aliud, quam *voluntatem signi* intelligunt.

§. XXX.

Cum nostra voluntate coniuncta est potentia quaedam, quod volumus, efficiendi, sed limitata valde, atque circumscripta: Deus autem, quidquid possibile est, & cum summa eius perfectione non pugnat, efficere etiam potest: recteque adeo omnipotens dicitur, *Matth. XIX, 26. Luc. I, 37. II. Cor. VI, 18.* * Cumque interdum certum in agendo ordinem obseruet, omnipotentia haec *ordinata*; secus autem si se gerit, *absoluta* vocatur. ** Plurimum hancce omnipotentiam Numinis credere iuuat, vt ab eo impetrare adnitamur, quae in nostris posita viribus non sunt. *** *Ephes. I, 19.*

* Pertingit omnipotentia ad omne id, quod natura sua tale est, vt fieri queat, seu, quod nullam inuoluit contradictionem, idque in infinitum vsque, adeo vt nullus potentiae diuinae terminus poni possit. Cum autem dicimus, quod ad ea, quae contradictionem

onem inuoluunt, non pertingat, non ob defectum aliquem potentiae hoc fieri, existimandum est, sed ob repugnantiam terminorum, qui se mutuo destruunt, adeoque significant, ἀδύνατον plane esse, vt ea, quae istis terminis significantur, simul existere queant. Idque duplici ratione, vel *ex parte rei*, vel *ex parte agentis*, contingere potest. Priori modo, quando res ipsa in se spectata, ita comparata est, vt terminorum repugnantiam includat; quo pacto recte dicitur, Deum non posse facere, vt aliquid sit & non sit: posteriori modo, cum aliquid adseritur, quod perfectioni diuinae repugnat; vt si quis dicat, Deum posse mori, mentiri, & quae his sunt similia.

** Sapientiae Dei esse conueniens, vt certum in agendo ordinem ipsemet constituat, cui tamen nulla necessitate sit adstrictus, supra iam ad §. *XXVIII.* adseruimus. Secundum huncce ergo ordinem si potentia diuina sese exserat, *ordinata*; sin vero illum immutet, eoque minime obseruato, aliquid producat, *absoluta* adpellitatur. Vna itaque eademque, & quidem infinita in Deo est potentia, sed diuersimode sese exserit, hinc & mox *absoluta*, mox *ordinata* dicitur. Nihil praeterea obstat, quo minus homines potentiae ordinatae resistere queant. Nec inde defectus aliquis potentiae in Deo arguitur, sed illud solum sequitur, Deum ordinem, a se ipso sapientissime constitutum, noluisse migrare. Quod si vero secundum potentiam absolutam agere illi placeat, nihil omnino est, quod eam remorari, aut sufflaminare queat, adeo quidem, vt ex lapidibus etiam, si voluisset, semen procreare potuisset Abrahamo, *Matth. III, 9.* Absolutam autem non minus, quam ordinatam Dei potentiam vt stabiliamus, nostra vel maxime refert, vt impiis profanorum hominum ausibus eo rectius obuiam

am eamus. Eam vero omnium euidentissime miracula comprobant; quo nomine eiusmodi operationes intelligimus, quibus naturae leges, ad ordinem & conseruationem totius huius vniuersi spectantes, reuera suspenduntur. Id vero, cum a nemine, nisi qui ipsius naturae auctor est, fieri queat; solum quoque Deum miracula edere posse, manifestum est. Quae autem homines interdum edidisse leguntur, non sua, sed a Deo sibi concessa ediderunt virtute. Atque eiusmodi quidem miracula, quae absolutam Numinis potentiam arguunt, cum & fieri posse, & facta esse, nonnulli abnuant, vtrumque paucis est demonstrandum. Miracula fieri posse, vel ex ipsa, quam hic adserimus, omnipotentia diuina liquet. Certe, si Deus naturae non immutare posset ordinem, legesque, quibus innititur, suspendere, non posset dici omnipotens; aut omnino sequeretur, naturae legibus eum ita adstrictum, vt omni careat libertate: quod impium pariter ac absonum esse, supra iam demonstrauimus. Et sane, cum Deus naturae auctor sit, legesque, quibus naturae ordo innitur, ipsemet constituerit; cur, quaeso, leges istas suspendere, aut omnino tollere non posset? Sunt praeterea ipsae illae naturae leges ita comparatae, vt nihil omnino obstet, quo minus tolli, aut mutari tantisper queant. Sed tamen si euicerimus, miracula reuera facta esse, sua sponte sequitur, ea fieri potuisse. Id vero non temere negabit, qui diuinam scripturae sacrae auctoritatem, aut saltem scriptorum sacrorum veracitatem, admittit. Hanc vero qui in dubium vocat, illum ad ea ablegabimus, quae *part. I. cap. II.* fuse hac de re disputauimus.

*** Huc cumprimis bona quaeuis spiritualia, conuersio ipsa, fidei productio, &, quae reliqua sunt eiusdem generis, pertinent. Etenim, cum homines, haec in suis viribus minime posita esse, deprehendant, statim

ſtatim ea ἀδύνατα eſſe ſibi perſuadent ; cum potius verba ſeruatoris in memoriam ſibi reuocare deberent ; παρὰ ἀνθρώποις τοῦτο ἀδύνατόν ἐϛι, παρὰ δὲ θεῷ πάντα δυνατά ἐϛι, *Matth. XIX, 26.*

§. XXXI.

Actus diuinae voluntatis, quo, noſtro conſiderandi modo, aliquid certo futurum ſecum conſtituit, dicitur *decretum*; * quod, cum absque omni intuitu ad cauſſam quamdam impulſiuam extra Deum concipitur, *abſolutum* vocari ſolet: *hypotheticum* contra, ſeu *non abſolutum*, quando eiusmodi cauſſa impulſiua externa, quae Deum permouerit, vna concipitur. ** Cum vero de decretis diuinis non aliter, quam ex ipſis eius operibus, iudicare nobis liceat, modeſte, omnino, atque caute hac in re verſandum; rectiusque faciunt, qui ab operibus ad decreta, quam qui a decretis ad opera, quaſi illa ſine his ſibi iam ſatis cognita, intimeque perſpecta eſſent, progrediuntur. ***

* Solet alias decretum diuinum ita definiri, quod ſit firmum, ac immutabile in mente Dei propoſitum, de eo, quod libera voluntate facturus eſt. Quod ita intelligendum, vt decernere ea dicatur, quae conſideratis omnibus circumſtantiis, velit efficaciter; vnde voluntatem latius patere, quam decretum, palam eſt. In ſcriptura ſacra decretum voce προθέσεως, *Rom. VIII, 28. II. Tim. I, 9.* item verbo προορίζειν, *Rom. VIII, 29. 30.* interdum & voce προγνώσεως, *actor. II, 23. Rom. VIII, 29. I. Petr. I, 20.* denique & εὐδοκίας, *Matth. XI, 26. Epheſ. I, 5, 9.*

§. 9. denotatur. Res autem ipsa docet, quando decreta Deo tribuimus, nos more humano de eo loqui; adeoque, quae in decretis humanis imperfectionem, aut infirmitatem, vel defectum quemdam arguunt, sedulo a Deo remouenda. Hominum namque ea est conditio, vt, cum non semper, quid factu optimum sit, statim perspiciant, consultationem de iis, quae agenda sunt, instituant, rebusque omnibus probe circumspectis, ponderatisque rationum momentis, tum demum, quid facere velint, secum statuant, & decernant. Atque hunc in modum etiam subinde scriptura sacra de Deo loquitur; quod tamen ita capiendum esse, ne quid Deo indignum admittamus, nemo non intelligit. Eamdem vero ob caussam decreta Dei aeterna esse, adserimus, cum sine mutatione fieri nequeat, vt in Deo aliquid exsistere incipiat, quod in eo non semper fuit. Quod & diserte scriptura sacra testatur, *actor. XV, 18. I. Cor. II, 7. Ephes. I. 4. II. Tim. I, 9.*

** Diuersimode hinc inde decreta diuina diuiduntur; in generalia scilicet, & specialia; in ea, quae Deus facturus, & quae prohibiturus, aut permissurus est; sed frequentissimum maxime est, vt alia *absoluta* dicantur, *conditionata* alia. Et sane, cum ipsa voluntas Dei vel absoluta sit, vel conditionata, vti ad §. *XXIX*, docuimus; fieri aliter nequit, quam vt de decretis eius eodem modo censeamus. Longe autem frequentissimum est in scriptura sacra, vt Deus sub certa conditione aliquid velle dicatur, vt *Exod. XIX, 5. Es. I, 19. 20. II. chron. XV, 2. Ierem. XVIII, 7, 8, 9, 10. Ezech. XVIII, 21. seq. Ioan. XV, 14. Rom. VIII, 13.* Nec obstat, quod in hisce, similibusque locis, promissiones aut comminationes diuinae exhibeantur. Hae enim ipsae promissiones ac comminationes de diuina voluntate testantur, eius-

eiusque adeo decreta manifestant. Recte hinc concluditur, decretum Numinis de quibusdam hominibus seruandis, reliquis autem damnandis, conditionatum esse, intuitu scilicet aut fidei, aut incredulitatis finalis, factum. Nec absonum, vt Deus cum conditione quaedam decernat; cum nihil aliud inde sequatur, quam, eum ordinem, liberrime, sapientissimeque a se constitutum, seruare velle: quod Deo indignum esse, nemo temere adfirmabit; conf. quae ad §. *XXVIII.* diximus.

*** Cum enim nec de hominum decretis, actibusque internis, aliter, quam ex factis, aut actibus externis, iudicare liceat, & in his quoque, nisi caute procedamus, facile contingere queat, vt iis aliquid tribuamus, quod numquam illis in mentem venit; multo magis summa opus est circumspectione, cum de supremi Numinis decretis nobis sermo est. Ferendi itaque non sunt, qui tam audacter de illis verba faciunt, ac si omnia, quae ab aeterno in mente diuina fuerunt, intime sibi perspecta essent. Quin potius, vt cum Paulo apostolo profiteamur, necesse est: *O profunditas diuitiarum, tum sapientiae, tum cognitionis Dei! Quam inperscrutabilia sunt eius iudicia, & viae eius inperuestigabiles? Quis enim cognouit mentem domini, & quis ei fuit consiliarius? Rom. XI, 33. 34.* Tum vero demum recte in decretorum diuinorum consideratione versabimur, si primum quidem, ex liberrimo Numinis arbitrio ea profluxisse, cogitemus: quam Numinis libertatem cum certo ordine, in quibusdam decretis, consistere posse, aliquoties iam monuimus: tum vero summam eius & sapientiam, & benignitatem, & iustitiam in iis deuota mente veneremur; simulque sedulo attendamus ad harmoniam attributorum diuinorum, in decretis istis vel maxime eluceſcentem. Ita si nos geramus, nihil, quod nos offendat, plu-

rima contra, quae noſtri nos admoneant officii, in decretis diuinis deprehendemus.

§. XXXII.

Ipſi voluntatis motus, ex boni cuiusdam, aut mali repraeſentatione orti, *adfectus* vocari ſolent; qui eo quidem modo, quo in hominibus ſunt, Deo tribui nequeunt; cum mutatio eiusmodi, qualis cum adfectu humano, proprie ſic dicto, coniuncta eſt, Deo plane ſit indigna. Eminentiori autem modo, & absque omni imperfectione ſpectati, Deo recte quoque tribuuntur, idque ſaepiſſime fit in ſcriptura ſacra; eſtque iſta loquendi ratio eo minus improbanda, quod effectus, qui ex humanis adfectibus conſequi ſolent, ἐμφατικῶς hoc ipſo deſignentur.

§. XXXIII.

Dantur etiam in voluntate ſpirituum hominumque certae inclinationes, propenſiones, quae, ſi ad verum aliquod bonum ordine conueniente ferantur, *virtutum* nomine veniunt. Atque hae quidem homini, praeſertim poſt lapſum, minime per naturam inſunt, ſed per Numinis gratiam, accedente legitimo mediorum vſu, adquiruntur. Deo autem modo longe eminentiori conueniunt*, ita quidem, vt perfectiſſimum ſimul exemplar exhibeant, ad quod quo propius hominum angelorumque virtutes accedunt, eo perfectiores merito cenſeantur; *Matth. V, 48.*

* Bo-

* Bonum enim, ad quod propensio in Deo, quae virtus dicitur, fertur, est conformitas cum natura diuina & omnibus eius perfectionibus.

§. XXXIV.

Summa omnium virtutum, quae in hominibus aut angelis conspiciuntur, aeque ac summa ipsius legis, consistit in *amore; Matth. XXII, 37. 39.* Pari ratione & de Deo, sed remota iterum omni imperfectione, dici potest, virtutum omnium summam amorem eius complecti. Hinc & Ioannes, per compendium velut, intuitu virtutum, quibus vel maxime hominibus, de salute sua sollicitis, manifestatur, Deum descripturus, ὁ θεὸς, inquit, ἀγάπη ἐστί, *Deus est amor; I. ep. IV, 16.*

§. XXXV.

Intelligendum hoc est de amore, quo Deus se ipsum modo longe perfectissimo, & res etiam a se creatas, ordine, quem res ipsa postulat, obseruato, amat. * Superiorem enim quem amet, non habet: quo ipso ingens, quod inter eius, & hominum aut angelorum amorem intercedit, discrimen innotescit. ** Reliquae, quae Deo tribuuntur, virtutes, si rem accurate ponderes, nihil aliud sunt, quam amoris istius purissimi, sanctissimique velut quaedam modificationes, quae pro obiectorum diuersitate diuersas quoque sortiuntur denominationes.

* Res quidem quaslibet, prout a se creatae sunt, adeoque non possunt non bonae censeri, *Gen. I, 31.* Deus amat, speciatim homines, vtpote inter res mundi huius adspectabilis creatas, longe praestantissimos, vnde φιλανθρωπία Dei celebrata apostolo, *Tit. III, 4.* Sed in hominibus etiam amandis eum certum obseruare ordinem, iam ex iis, quae de voluntate Dei disputauimus, constat, & ex dicendis vlterius eluceſcet.

** Inter amoris enim, quo homines Deum, aut alios etiam homines, imperantium munere fungentes, amant, species, est *amor obedientiae, Ioan. XIV, 23. XV, 10, 14. I. Ioan. V, 3.* Hic autem in Deum non cadit, cum Deus superiorem non habeat. Sed nec aequalem habet Deus; vnde nec *amor amicitiae* illi tribui potest, eo quidem sensu, quo a nonnullis accipi solet, vt amor hicce sit inter aequales. Sed, si amor amicitiae dicatur, quo aliquem ita amamus, vt ab eo iterum amari cupiamus; nihil obstat, quo minus Deo amor amicitiae tribuatur: praesertim cum Christus non dedignetur homines, *fratres* adpellare, *Ebr. II, 11.* Hinc & Abrahamus *amicus Dei* audit, *Iac. II, 23.* & Christus ipse ad apostolos dicit: *non voco vos seruos, sed amicos meos, Ioan. XV, 15.* conf. & *Es. XLI, 8. II. chron. XX, 7.*

§. XXXVI.

Nimirum, quando Deus se ipsum amore purissimo amare concipitur, vt simul ab omni imperfectione remotus, secretus, separatus censeatur, amor ille vocatur *sanctitas.* Genuina enim haec est sanctitatis notio, * quam scriptura saepissime Deo tribuit; conf. *Es. VI, 3.* quaeue a Deo ipso hominibus in exemplum, ad quod se componere debeant, proponitur; *Leuit. XIX, 2. I. Petr. I, 15, 16, 17.*

* Vera

* Vera *sanctitatis* notio non alibi, quam in scriptura sacra, quaerenda est, in qua illam eo praecipue redire deprehendimus, quod *distinctum, secretum, segregatum esse a vulgi vsu & sorte*, significat. Hinc de sacrificiis, aliisque rebus, quae Deo aut offerendae, aut consecrandae erant, saepissime adhibetur. Sic Medi dicuntur *sanctificati* ad destructionem Babylonis: *Ego praecepi sanctificatis meis, vocaui fortes meos &c. Es. XIII, 3.* Pari ratione & *Ierem. XII, 3.* dicitur: *Educ eos, sicut oues ad occisionem, & sanctifica eos ad diem interfectionis.* Cum etiam, quae Deo consecranda, & hinc a reliquis separanda erant, ab omni impuritate, & contaminatione debebant libera esse; ideo saepissime *sanctificare* in scriptura sacra idem est, ac *purificare*, ab externis commaculationibus liberare, idque subinde per certos ritus ac caerimonias, & hac ratione ad actum aliquem religiosum se, aut alios praeparare. Hunc in sensum *Exod. XIX, 10.* Deus ad Mosen dicit: *Vade ad populum, & sanctifica eos hodie & cras, & lauent vestes suas.* Intelligere hinc licet, quid seruator sibi velit, quando *Ioan. XVII, 19.* dicit: *Ego me pro iis sanctifico, vt & ipsi sint sanctificati in veritate.* Sanctificatus nimirum dicitur Christus, quia segregatus fuit Deo, & a Deo, & a reliquis hominibus separatus, ad mirabile illud redemtionis opus perficiendum; sanctificatus etiam fuit, dum hac ratione Deo fuit consecratus, & ad sacrificium expiatorium, pro omnium hominum peccatis, destinatus; simul & ita sanctificatus fuit, quod purus, mundus, innocens esset, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν, *Ebr. VII, 26.* Atque hinc porro colligitur, quo sensu homines *sancti* vocantur, qui scilicet per sincerum virtutis studium a reliquis secreti sunt, & separati, immo, qui se ipsos a peccatis, vitiis, & quauis impuritate ac immunditie separare, & magis magisque remouere studeant. Et hoc denique etiam sensu Deus sanctus

dicitur, immo, non potest non esse sanctissimus, hoc est, ab omni labe, vitio, peccato, impuritate, remotissimus. Quae quidem summa eius sanctitas puritasque, ex amore summo, quo se ipsum amat, fluit. Qui enim se ipsum amat, non potest non ea omnia fugere, quae labem quamdam illi adspergere queant. Dei autem amor, quo se ipsum amat, cum summus sit, eo quod omnia, quae summum amorem excitare apta sunt, in se ipso inuenit; sequitur quoque, studium illud, ab omni labe & imperfectione se remouendi, hoc est sanctitatem eius, summam esse & infinitam.

§. XXXVII.

Ex sanctitate fluit *iustitia*, quae, si Deo recte tribui debet, nihil aliud est, quam virtus diuina, qua Deus, purissimo sui amore, studioque sanctitatis inductus, vt eo magis ab omni imperfectione & vitio alienus deprehendatur, hominum peccata quaeuis grauiter punit, bene autem facta largiter remuneratur; * conf. *Deuter. XXXII, 4. psalm. XCII, 16. Rom. II, 6, 7. II. Thess. I, 6, 7.* Hoc si recte perpendamus, causas grauissimas esse intelligemus, vt saluti nostrae μετὰ φόβου καὶ τρόμου studeamus; *Philipp. II, 12.* Scimus enim, qualis ille sit, qui orbem vniuersum iudicaturus est ἐν δικαιοσύνῃ, *actor. XVII, 31.*

* Missis iis, quae vulgo tradi solent, ita procedimus, vt iustitiam primo in *aequatoriam* & *rectoriam* dispescamus. Aequatoria cum inter aequales locum habeat, legemque communem, quibus vtraque pars obnoxia sit, supponat; cum de Deo sermo est, locum non habet, adeoque hic in censum non venit.

venit. Rectoria autem, vti Deo recte tribuitur, ita, vt haec quoque sibi constet, duo paucis euoluenda sunt; primum quidem, Deo ius aliquod in res creatas competere; alterum, num ius illud in infinitum procedat, an vero certis limitibus sit circumscribendum? Et prius quidem positum est extra controuersiam, cum ipse, vt rerum omnium, ita hominum creator sit; immo res omnes conseruet, ita, vt nihil sit in hocce vniuerso, quod prorsus ab eius non pendeat nutu. In id vero, quod ea ratione a nobis dependet, ius aliquod nobis competere, ratio non solum euidentissime docet, sed & scriptura confirmat, *Es. XXIX, 16. XLV, 9. Ierem. XVIII, 6.* Idque est, quod *psalm. XXIV, 1.* ita exprimitur: *Domini est terra, & plenitudo eius; orbis terrarum, & vniuersi, qui in eo habitant.* Hinc & non a naturae diuinae praestantia, nec a potentia, cui nemo resistere queat, sed a creatione & conseruatione, imperium Dei in homines deriuandum est: etsi ad imperii exercitium omnipotentia diuina sit necessaria; naturae autem diuinae praestantia, dignissimum Deum esse, qui orbi vniuerso imperet, ostendat. Ius nimirum illud Dei cum ad omnes res creatas se extendat, intuitu illorum, quae ratione praedita sunt, vt angeli & homines, *imperium*, intuitu reliquorum, ratione, vel etiam sensu destitutorum, *dominium* vocare liceat. Ad dominium itaque quod attinet, cum circa eiusmodi res versetur, quae, proprie loquendo, laedi nequeunt; nullum plane est dubium, quin Deus liberrime de iis disponere queat. Quare, etsi res eiusmodi aut destruere, aut annihilare vellet, nihil ageret, cur iniustitiae argui posset. Potuit itaque & istarum rerum dominium hominibus ad certum vsum concedere, quemadmodum reuera concessit, *Gen. I, 29. IX, 3.* Immo ita concedere potuit, vt eas ad sui conseruationem itidem destruerent, idque fine omni mali, aut iniquitatis

quitatis labe, cum hoc fini, ob quem res eiusmodi creatae sunt, neutiquam repugnet. At, imperium diuinum, cum circa res ratione gaudentes, angelos hominesque, versetur, qui & ipsi iuris cuiusdam, hoc ipso, dum ratione pollent, sunt capaces; bonitati, sanctitatique diuinae fuit conueniens, vt Deus modo, qui naturam indolemque eorum decebat, cum iis ageret. Neutiquam itaque hocce imperium eo vsque extendendum est, ac si Deus, salua iustitia sua, homines plane innocentes, sine vlla illorum culpa, quocumque malorum genere adficere, aut vita priuare, aliaue ratione miseros reddere, aut omnino aeternis adiudicare cruciatibus possit. De imperio enim Dei ita philosophandum, vt simul ad harmoniam omnium attributorum eius, saepius a nobis commendatam, respiciamus: quo ipso & nihil eius in res creatas imperio decedit, cum non alii illi limites ponantur, quam quos summa & absoluta eius perfectio ponere iubet. Idque & scriptura confirmat, dum nullo modo Deo conuenire docet, vt nocentes innocentesque eodem loco habeat; *Gen. XVIII, 25.* Ex dictis itaque intelligitur, iustitiam diuinam in eo consistere, quod Deus iure suo, speciatim imperio in res creatas ratione praeditas, ita vtatur, prout rerum istarum indoli atque naturae, diuinaeque simul sanctitati & bonitati hoc est conueniens. Recte etiam haec iustitia Dei in *remuneratoriam* & *punitiuam* seu *vindicatiuam* dispescitur. Remuneratoria in eo consistit, vt bene recteque facta ex singulari gratia atque benignitate, largiter compenset. Nec ita hoc capiendum, ac si homo aut angelus aliquid mereri possit, cum omnes illorum actiones quantumuis bonae & praestantes, debitae sint, nec quidquam agere bene possint, quod non officii illorum ratio postulet: sed, quod summae Numinis bonitati hoc conueniat, contra quam si ageret,

ret, non posset perfectissimum censeri, nec se ipsum perfecte amaret, adeoque nec sanctum, hinc & nec iustum esset. Punitiua, seu vindicatiua iustitia in eo consistit, quod hominum delicta puniat, ea quidem ratione, vt omnem simul illis, de iniuria sibi illata, iure conquerendi adimat caussam. Etsi enim per primorum parentum culpam in eum statum peruenerint homines, vt legem diuinam seruare nequeant, adeoque non possint non peccare; Deus tamen ipse medium inde eluctandi iis exhibuit, quo, si non vtantur, non Deum, sed se ipsos accusare debent, quod iustitiae diuinae vim in aeternis cruciatibus experiantur. In poenis autem temporalibus summa insuper Numinis elucescit benignitas, cum illis, qui nondum conuersi sunt, incitamento, ad salutem suam serio quaerendam, esse possint; intuitu vero credentium, non aliter, quam pro paternis habendae sint castigationibus. Atque ex ista quidem, quam hactenus tradidimus, iustitiae diuinae notione, sua sponte sequitur, eam recte ex sanctitate Numinis deriuari. Si enim iure suo in res creatas, homines praesertim, Deus aliter vteretur, non posset non ea committere, quae magnam in illo arguerent impefectionem. Hoc autem si faceret, se ipsum non amaret perfecte, nec adeo sanctus esset, hoc est, ab omni vitio & imperfectione se non remoueret. Hinc vero etiam recte & euidenter colligitur, vt sanctitatem, ita & iustitiam, Deo plane essentialem esse, adeoque eum non posse non peccata punire, nec sine intercedente satisfactione remittere. Idque & scriptura sacra diserte confirmat. *Deus*, inquit Moses, *non potest* (salua sua iustitia vindicatiua) *peccatorem habere insontem*, (vt citra satisfactionem illi remittat poenam) *sed omnino vindicabit & puniet eius peccatum, Exod. XX, 7.* Quod enim ibi de abusu nominis diuini dicitur, de omni-

bus peccatis, quorum, quoad reatum poenae, in genere spectatae, eadem est ratio, merito intelligitur. Mosi suffragatur & Iobus: *si pecco, parcis mihi quidem*, (differendo poenam ad horam) *sed tandem non pateris, me esse immundum ab iniquitate*, scilicet, vt eam mihi citra satisfactionem non imputes; *cap. X, 14.* Eamdemque ob caussam sanguinis effusionem, vt iustitiae diuinae satisfieret, necessariam fuisse, Paulus testatur: *Sine effusione sanguinis* (hoc est, sine expiatione conuenienti) οὐ γίνεται *non fit* (non potest fieri, obstante iustitia diuina) ἄφεσις *remissio peccatorum, Ebr. IX, 22.*

§. XXXVIII.

Ex eodem etiam sanctitatis fonte fluit *veracitas*, seu summa Dei in dicendo vero, & seruandis promissis, constantia. Inter maximas enim, libere, & cum ratione agentium, imperfectiones, inconstantia, fallacia, mendacium, haud vltimum tenent locum. Haec omnia, si Deus per veracitatem, summamque constantiam, a se non remoueret, non esset sanctus, nec se ipsum recte amaret; * conf. *Num. XXIII, 19. Rom. III, 4.* itemque *II. Sam. VII, 28. psalm. LXXXIX, 36.* Idque qui considerauerit, facile cognoscet, stolidum non minus, quam impium esse, dictis, promissionibusque diuinis, & comminationibus, fidem adhibere nolle; conf. *Ebr. VI, 18.*

* Homines quidem lege diuina ad veritatem, vbi eam dicere debent, dicendam, itemque ad promissa atque pacta seruanda, obligantur: Deus autem cum superiorem non habeat, nulla equidem lege

lege ad hoc est obstrictus, interim tamen ἀδύνατον *est Deum mentiri, Ebr. VI, 18.* quia ceteroquin contra sanctitatem suam ageret, & se ipsum abnegaret, *II. Tim. II, 13.* Quando itaque Deus promissis suis iuramentum addit, non ita hoc intelligendum, ac si firmamento eiusmodi indigeant, vt promissa & pacta hominum, sed, vt cum hominibus, ob eorum imbecillitatem, more humano agat. Sed & ipsa haecce Dei iuramenta, id quod diximus, confirmant. Cum enim superiorem non habeat, per quem iuret, per se ipsum iurat, *Ebr. VI, 18.* hoc est, ad suam prouocat sanctitatem, quae firmamentum longe validius, quam omnia hominum iuramenta praebet. Ex dictis vero etiam sua sponte sequitur, ἀδύνατον prorsus esse, vt, praesertim in rebus ad hominum salutem spectantibus, aliud prae se ferat, aliud reuera velit; qua de re supra iam dictum, cum de voluntatis diuinae, in *voluntatem signi*, & *voluntatem beneplaciti*, diuisione verba faceremus.

§. XXXIX.

Intuitu rerum creatarum, speciatim hominum, & quidem lapsorum, si amor hicce diuinus consideretur, subinde non tantum in scriptura sacra celebratur, sed magnitudo eius ita extollitur, vt vim omnem fere humani intellectus superet; *Ioan. III, 16. Rom. V, 8. I. Ioan. IV, 9. 10.* Diuersimode etiam, pro diuersa ad hominum statum relatione, adpellitatur. Indignitas enim illorum, & quod nihil prorsus in iis sit, quo amorem huncce promereantur, si simul in censum veniat, χάρις seu *gratia* voca-

vocatur, *Ephes. I, 6.* hinc ὑπερβάλλων πλοῦτος τῆς χάριτος, *Ephes. II, 7.* Ob beneficia, quae inde in illos proficiscuntur, χρηστότης audit, siue *benignitas*; vti ob studium, conferendi iis, quae illis grata sunt, φιλανθρωπία, *Tit. III, 4.* Quod si autem summa, in qua versantur, miseria simul consideretur, *misericordiae* nomine venit; hinc τὰ σπλάγχνα ἐλέους θεοῦ, *Luc. I, 78.* Quae quidem omnia, durissima mortalium emollire debebant pectora, ne ingrato erga illum pergant esse animo, qui tot & tanta sui erga eos amoris exstare voluit documenta; conf. *I. Ioan. IV, 19.*

§. XL.

Supereſt altera attributorum diuinorum classis, quae ex conceptu *independentiae* fluunt, Deumque supra omnes res creatas quam longissime positum, demonstrant. Rebus nimirum creatis hoc proprium est, quod certos essentiae suae, atque perfectionum terminos seu limites habeant; quibus cum Deus destituatur, *infinitus* recte dicitur; * conf. & *psalm. CXLV, 3. CXLVII, 5.* Et talem eum esse oportet, qui est independens. Id enim non tantum ratione caussae, sed & ratione finium, seu limitum, quibus essentia aliqua circumscribitur, est intelligendum, cum Deus ab his non magis, quam ab illa dependeat. Infinitatis autem ista consideratio, quid homo sibi tribuere debeat, si

cum

cum Deo comparetur, quam rectissime nos condocebit, *Esa. XL, 15. 17 Iob. XI, 7.*

* Loquimur hic de infinitate essentiae, ex qua infinitas etiam attributorum, seu perfectionum diuinarum, sua sponte fluit; quemadmodum, vice versa, ex attributorum infinitate probatur, ipsam essentiam diuinam esse infinitam. Neque eo tantum sensu Deus infinitus est, quod nullos, quibus circumscribatur, habeat terminos, sed etiam, quod nullis terminis siue limitibus circumscribi queat. Quod alii ita efferre solent, eum non tantum *priuatiue*, sed & *negatiue* infinitum esse. Denique, non tantum ratione nostri Deus infinitus est, eo quod essentiam, atque attributa eius mente nostra comprehendere nequeamus, sed quod reuera essentia eius, omnes omnino limites atque terminos respuat.

§. XLI.

Sequitur inde, Deum nullis quoque locorum terminis circumscribi atque includi posse, adeoque esse *immensum*, seu illum, qui *caelum & terram implet*, *Ierem. XXIII, 24.* conf. & *Ephes. I, 23.* * Immensitas autem haecce intuitu rerum creatarum, quibus Deus praesens est, spectata, *omnipraesentia* dicitur; ** *psalm. CXXXIX, 7. seq.* Hanc vero si homines serio crederent, non tam audacter, praesente Deo, eoque iustissimo scelerum vindice, ea aut dicerent, aut facerent, quae in viri cuiuslam honesti conspectu numquam dicturi aut facturi essent; conf. *ecclesiastic. XXIII, 5. seq.*

* In

* In sensu paullo strictiori vocem hancce accipimus; ceteroquin enim immensum idem esse potest, ac infinitum. Licet autem per negationem quamdam & hic aliquid a Deo remoueatur, locorum scilicet finis, seu terminus, id tamen simul, vt alia eiusdem generis attributa, summam eius perfectionem arguit. Hanc vero immensitatem non tantum ratio ex summa eius perfectione colligit, sed & scriptura, *locis* iam *citatis*, diserte confirmat, *Es. LXVI*, *1. I. reg. VIII*, *27. Ioh. XI*, *8*, *9*. Sequitur ex ista immensitate Dei, eum quoque non esse in *loco*, ita quidem, vt eodem contineatur, etsi ibi sit, vbi est locus. Hinc & nonnulli *illocalitatem* Deo tribuunt. Motus quoque, qui nihil aliud est, quam transitus de loco in locum, Deo proprie tribui nequit: vnde a quibusdam hoc sensu *immobilis* dicitur. Haud equidem infrequens est in scriptura sacra, vt Deus adscendere & descendere, ad homines accedere, & ab iis recedere dicatur. Id tamen per ἀνθρωποπάθειαν quamdam fieri, manifestum, & aliis dudum obseruatum est; conf. B. SAL. GLASSIVS noster, *philol. sacr. lib. V. tract. I. cap. VII.* Denique & hoc ex immensitate Dei fluit, eum rebus creatis omnibus praesentem esse; qua de re statim plura dicemus.

** Nihil itaque aliud est omnipraesentia Dei, quam ipsa eius immensitas, cum relatione ad res creatas, quibus praesens est. Vnde sequitur, ante mundum conditum, siue cum nulla res adhuc creata esset, Deum non potuisse actu omnipraesentem vocari. Quam primum autem res creatae exstiterunt, non potuit non, vi immensitatis suae, qua omnia in omnibus implet, iis intime praesens esse. Quod tamen sine diuinae essentiae extensione, multiplicatione, in certo loco inclusione, nec vllo alio modo, qui imperfectionem quamdam in

Deo

Deo arguat, intelligendum est; quamuis ratio modum omnipraesentiae capere nequeat. Licet autem illorum neutiquam admittenda sit sententia, qui omnipraesentiam diuinam tantum per operationem explicant; hoc tamen certum, in scriptura sacra eam ita describi, vt cum ipsa immensitate, seu ipsius simul essentiae diuinae adessentia, operatio quaedam sit concipienda. Hinc &, quando Deus in cordibus sanctorum habitare, cum iis vniri, & specialiori adeo ratione quadam ad eos accedere dicitur, vt *Ioan. XIV, 23.* id non de noua essentiae diuinae accessione, aut adproximatione, vti loqui solent, cum iam ceteroquin Deus rebus creatis omnibus, adeoque piis pariter ac impiis hominibus, sua essentia intime praesens sit, sed de operationibus gratiae diuinae, intelligendum esse, praestantissimi ecclesiae nostrae theologi adserunt.

§. XLII.

Ex eadem denique infinitate Dei qua essentiam, sequitur & infinitas qua durationem, seu aeternitas. * Per hanc enim duratio Dei permanens, sine principio & sine fine, sine successione ac vicissitudine intelligitur. ** Est autem Deus ita aeternus, vt non tantum principium & finem non habeat, sed nec habere possit. Namque & hoc imperfectionis esset argumentum, aeque ac, si successio quaedam ac vicissitudo in rei cuiusdam duratione deprehenditur. Idque & scriptura sacra passim demonstrat, *psalm. CII, 28. XC, 2. 4. 1. Tim. I, 17. apocal. I, 4. 8. 11. 17. XVI, 5.* Efficiet autem haec consideratio, vt nostrae

&

& fragilitatis & imbecillitatis memores, *pſ. XC. 5. 6.* miſſis caducis & terreſtribus, caeleſtia & aeterna conſectemur, *I. Cor. VII, 31.*

* Quidquid enim infinitum eſt ratione durationis, vt nec initium, nec finem habeat, immo habere nequeat, id quoque aeternum eſt. Accedit vero, quod Deus ſit ſimpliciſſimus, adeoque & immutabilis. Hinc enim ſequitur, quod nulla ſucceſſio, aut vicisſitudo, in illo locum inueniat. Vox *aeternitas* interdum etiam pro duratione diuturna ſumitur, vt *Geneſ. XVII, 13.* & *Kohel. I, 3.* interdum durationem denotat, quae initium equidem habet, ſed fine deſtituitur, vt cum beatorum vita *aeterna* dicitur: hic autem eiusmodi per eam intelligi durationem, quae initio pariter ac fine deſtituitur, omnisque mutationis ac vicisſitudinis expers eſt, res ipſa docet.

** Duo itaque ad aeternitatem, prout Deo tribuitur, requiruntur: alterum, quod nec initium nec finem habeat, immo, habere nequeat; alterum, quod omnis ſucceſſionis, hinc & mutationis & viciſſitudinis ſit expers. Omnem autem dum ab aeternitate Dei remouemus ſucceſſionem, id de duratione Dei, in ſe ſpectata, intelligimus. Intuitu enim rerum creatarum ſi conſideretur, nihil obſtat, quo minus per voces, ſucceſſionem quamdam denotantes, deſcribatur; vt cum *apocal. I, 4, 8. XI, 17. XVI, 5.* dicitur: *qui eſt, qui erat, qui futurus eſt*, hoc eſt, aeternus. De ipſa porro eſſentia diuina pariter ac *actibus*, quos vocant, *immanentibus*, quod diximus, intelligendum eſt. Actiones enim externae, vt creatio mundi, quin incipere ac deſinere poſſint, adeoque ſucceſſionem quamdam admittant, nullum prorſus eſt dubium. Aeternitatem vero illam Dei non tantum ratio euidenter docet, ſed & ſcriptura *locis* iam *citatis* confirmat.

§. XLIII.

§. XLIII.

Quodsi attributa ista, atque perfectiones Dei hactenus enumeratas, iunctim sumamus, resultat inde summa Dei *beatitudo*, seu perfecta omnium bonorum adfluentia, eaque perpetua, & omnium malorum carentia, cum iucundissimo sui ipsius sensu. Idque & summae eius, quam ratio quoque agnoscit, perfectioni est conueniens, & scriptura diserte confirmat, dum eum *beatum* vocat; *I. Tim. I, u. VI, 15.* Resultat hinc etiam summa eius *gloria* & maiestas, quae eum rebus creatis, iis maxime, quae ratione praeditae sunt, summe venerabilem reddit; vnde & ὁ θεὸς τῆς δόξης, *Deus gloriae*, dicitur, *actor. VII, 2.* conf. *Matth. VI, 13. Es. VI, 3.* Quod cum generatim de omnibus attributis diuinis intelligendum sit, speciatim tamen in amore eius, ceterisque virtutibus, seu attributis moralibus, illa eluceſcit. *Exod. XXXIV, 6. II. Cor. III, 18.*

§. XLIV.

Quae de Deo, attributisque diuinis disseruimus, ita comparata sunt, vt & ratio ea doceat, & sacra scriptura luculentius exponat atque confirmet. Haec autem aliquid adhuc addit, quod rationi ignotum prorsus atque occultum est, ens illud perfectissimum, quod Deum vocamus, esse patrem, filium, atque spiritum sanctum, eumque adeo, qui non adorat Deum, vt patrem, filium, atque spiritum sanctum, non

verum, sed falsum adorare Deum, *Ioan. V, 23. I. Ioan. II, 23. I. Cor. XII, 3.*

§. XLV.

Cumque mysterium hocce ad fundamentum religionis reuelatae spectet, sine quo & foedus gratiae, per quod tantum hominibus post lapsum via ad salutem patet, sibi non constat:* in veteri quoque testamento id minime ignotum fuisse, vt credamus, par est: quod & dicta varia scripturae sacrae, formulaeque loquendi, in libris veteris testamenti frequenter occurrentes, aliaque argumenta, luculenter testantur.**

* Cum vna, eademque sit ratio perueniendi ad salutem in veteri pariter ac nouo testamento, *actor. XV, 11.* & quidem tantum per meritum Christi; *actor. IV, 12.* veteris quoque testamenti fidelibus non minus, quam noui, ea cognita fuisse oportet, quae ad salutem eo modo impetrandam sunt necessaria, seu ad fundamentum fidei pertinent. Huc autem cum citra controuersiam referenda sit notitia seruatoris, seu sponsoris θεανθρώπου, hanc vero nemo sibi tribuere queat, nisi de trinitate personarum in vna essentia diuina illi aliquid innotuerit; sequitur, fideles veteris testamenti non omni mysterii huius notitia fuisse destitutos.

** Non vno argumentorum genere probari potest, personarum trinitatem in sacri codicis libris, ad vetus testamentum spectantibus, indicari. Vt vero ordine procedamus, primo quidem, generatim *pluralitatem personarum*, deinde speciatim *trinitatem*, in iis haud obscure deprehendi, ostendemus. Et ad *pluralitatem* quidem quod attinet, nomina ipsa, in multitudinis numero de Deo adhibita, formulaeque loquendi, eumdem numerum significantes, eam aperte demon-

demonstrant. Inter nomina eminet vox אלהים, quam non term natione solum, sed ipsa significatione pluralis numeri esse, supra iam ad §. *III.* huius capitis euicimus luculenter, quae adeo hic repetere, superuacaneum foret. De voce אדני & אדנים ibidem dictum. Eo minus autem hac de re dubitandum, quod haud raro etiam nomina adiectiua in multitudinis numero cum voce אלהים iungantur. Sic אלהים חיים *elohim viuentes* memorantur, *Deut. V, 23. I. Sam. XVII, 26, 36. Ier. X, 10. XXIII, 36.* אלהים קדושים *elohim sancti, Ios. XXIV, 19.* Eoque & pertinet, quod *Dan. VII, 25, 27.* sancti dicantur קדישי עליונין *sancti altissimorum* i. e. altissimi. Loquendi insuper formulae, seu, quando cum voce אלהים verba pluralis numeri coniunguntur, idem quam euidentissime comprobant. Sic Abrahamus dicit: התעו אותי אלהים, *errare me fecerunt elohim de domo patris mei, Gen. XX, 13.* De adparitione Iacobo facta verba faciens Moses, *aedificauit*, inquit, *Iacob ibi altare, & vocauit locum El Bethel, quia ibi* נגלו אליו אלהים *adparuerunt ipsi elohim; Gen. XXXV, 7.* Pari ratione & Dauid, de redemtione populi israelitici sermonem instituens; *propter quem* (populum Israel) הלכו אלהים *iuerunt elohim, ad redimendum sibi, II. Sam. VII, 23.* Immo & subinde Deus de se ipso in plurali numero loquitur, ita quidem, vt, quin personarum quaedam innuatur pluralitas, nulla ratione dubitare liceat. Illustris cumprimis, dignissimusque, qui hic commemoretur, locus est *Gen. I, 26.* vbi Moses refert: *Et dixit elohim,* נעשה אדם, *faciamus hominem ad imaginem nostram, ad similitudinem nostram.* Triplex enim hic occurrit pluralis numerus, vnus in verbo, & bini in pronomine adfixo. Quod profecto aliter intel-

ligi nequit, quam, inter ipsas trinitatis personas quamdam de creando homine institutam fuisse consultationem. Mirificeque id inde porro confirmatur, quod & alibi in sacris litteris plures, qui nos fecerint, seu creauerint, designentur: *non dicit, vbi est* עשי *factores mei, Iob. XXXV,10.* item; *laetetur Israel* בעושיו *in factoribus suis, ps. CXLIX,2.* porro: עשיך *factores tui maritus tuus, dominus Zebaoth nomen eius est, Es. LIV,5.* rursus: *memento* בוראיך *creatorum tuorum, Kohel. XII, 1.* Vt reliqua vnico complectamur fasce, *Gen. XI,7.* haec exstant verba: *Dixit Iehouah, agite* נרדה ונבלה, *descendamus, & confundamus ibi labia eorum.* Is ipse, qui est Iehoua, in plurali numero ita de se loquitur. Sic & *Es. VI,8.* idem verus atque summus Deus dicit: *quem mittam, & quis ibit* לנו *nobis;* itemque *Es. XLI, 22. seq.* ita pronuntiat: *Accedant, & nuntient* לנו *nobis, quaecumque ventura sunt, adnuntiate*, ונשימה לבנו, *& ponemus cor nostrum*, וגרעה, *& sciemus nouissima eorum, haec, quae ventura sunt*, השמיעונו *facite nos audire* &c. Confirmari etiam nostra inde sententia potest, quod subinde Deus a Deo, dominus a domino distinguatur, itemque Deus & Deus, dominus & dominus, ceu distinctae personae introducantur. Huc cumprimis illud, quod *Genes. XIX, 24.* dicitur, pertinet: *pluit* יהוה *dominus* מאת יהוה *a domino.* Diserte namque hic יהוה pluens, distinguitur a יהוה, a quo pluit. Quod non aliter intelligi potest, quam יהוה, qui descendere pluuiam fecit, fuisse vnum ex angelis, qui Abrahamo adparuerunt, angelum scilicet illum increatum, seu ipsum Dei filium, cui iudicandi homines facultatem a Deo commissam, suo loco docebimus; eum vero, a quo pluui-

pluuiam descendere fecit, fuisse itidem יהוה, patrem scilicet. Similia & alibi passim occurrunt; vt, cum angelus Iehouah, qui Mosi in rubo ardente adparuit, a Iehouah, cuius angelus ille erat, distinguitur, *Exod. III, 2. 6.* item, cum Iehouah de Iehouah dicit, quod sit daturus gratiam populo in oculis Aegyptiorum, *Exod. XI, 3.* porro, cum angelus, in cuius medio est nomen Iehouah, distinguitur a Iehouah, *cap. XXIII, 20.* cum Iehouah ad Mosen dicit: *faciam transire omne bonum meum coram te, & vocabo in nomine Iehouah coram te; Exod. XXXIII, 19.* Rursus: *descendit Iehouah in nube, & stetit ibi cum Mose, & vocauit in nomine Iehouah*, vel, *praedicauit de nomine Iehouah, cap. XXXIV, 5*; & iterum: *transiuit Iehouah ante eum, & clamauit: dominus, dominus, Deus misericors &c. v. 6*; vbi quidem Iehouah, qui praedicauit de nomine Iehouah, diserte distinguitur a Iehouah, de cuius nomine praedicauit. Eiusdem generis longe adhuc plura ex libris historicis etiam atque propheticis proferri possent; at iuuabit potius, paucis adhuc ostendere, quo pacto non tantum voces, loquendique formulae, vt hactenus probauimus, personarum pluralitatem indicent, sed & res ipsa aperte satis in veteris testamenti libris tradatur. Id enimuero vel inde patet, quod plures omnino vt verus Deus describantur, ita quidem, vt non tantum nomina, speciatim nomen יהוה, quod soli vero Deo conuenit, sed attributa quoque diuina, pariter ac cultus religiosus, qui soli Deo debetur, illis tribuantur. Testimonia scripturae, quibus hoc probari queat, deinceps adferemus, cum trinitatem personarum, itemque filii pariter ac spiritus sancti diuinitatem, demonstrabimus. Pertinent vero huc cumprimis & ea loca, in quibus angelus domini introducitur, qui sit ipse dominus, vt *Exod. III, 2. seq. XXIII, 20.*

item cum mittentis & missi fit mentio, qui vterque sit Deus, vt *Es. XLVIII, 16. Zach. II, 8.* conf. & *Ierem. XXIII, 6.*

Atque ita quidem cum luculenter, ni fallor, constet, pluralitatem personarum ex veteris testamenti libris probari posse, adeoque fidelibus, qui eo tempore vixerunt, illam non fuisse ignotam; superest, vt ostendamus, ex iisdem veteris testamenti libris constare, non plures, nec *pauciores* personas esse, quam *tres*. Id enimuero haud obscure colligitur ex ipso opere creationis. Hoc enim, cum diuinam prorsus potentiam arguat, non possunt non diuinae quoque essentiae participes censeri, qui ad illud concurrunt. Res ipsa autem ex *Gen. I, 1. 2.* haud difficulter colligitur, si simul conferatur *psalm. XXXIII, 6.* vbi dicitur: *verbo domini caeli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis exercitus eorum.* Per *dominum* enim Deum patrem intelligi, nemo forte abnuet. Per *verbum* autem non προφορικὸν λόγον, sed ὑποστατικὸν hic significari, non dubitabit, qui secum cogitat, familiarem admodum fuisse Ebraeis istum loquendi modum, vti vel ex chaldaeo paraphraste, itemque Ioanne euangelista *cap. I, 1. 2.* constat. Hunc enim aliunde, quam ab Ebraeis, eum loquendi morem accepisse, ab omni specie veri prorsus abhorret. Accedit, quod idem verbum sub *sapientiae* nomine describatur, *prouer. VIII, 22. seq.* ea quidem ratione, vt ceu ὑπόστασις diserte exhibeatur. Hinc & *v. 30.* אמון *artifex*, solide & cum fundamento aliquid producens, vocatur. Pari ratione & vox *spiritus* in recepta sua significatione ὑποστατικόν τι denotat; a qua cur hic discedendum sit, nulla plane nos cogit necessitas. Atque haec si probe ponderentur, tum demum intelligetur, quid Moses sibi velit, quando & *spiritus* & *verbi* in mundi creatione

tione mentionem facit. Sed hinc etiam innotescit, cur scriptura sacra, de creatione mundi verba faciens, subinde *factores* in multitudinis numero commemoret. Loca antea iam indicauimus, cum verba Mosis, *Gen. I, 26.* explicaremus. Rursus tamen ex iisdem locis, cum *Gen. I, 1.* & *psalm. XXXIII, 6.* collatis, eluescit, quae de verbo, & spiritu oris domini ibi dicuntur, non posse non ὑποστατικῶς accipi. Addunt nonnulli & illud Iobi oraculum: *spiritus domini fecit me, & spiraculum omnipotentis viuificauit me; cap. XXXIII, 4.* Per שדי *omnipotentem* enim filium Dei intelligi posse, qui sit *virtus Dei, I. Cor. I, 24.* cuius spiraculum etiam sit spiritus sanctus, *Es. XI, 4.* conf. *Ioan. XX, 22. Gal. IV, 6.* Vt autem in opere creationis, ita non minus in eductione gentis israeliticae ex Aegypto, quae diuinam itidem potentiam atque virtutem arguit, trium personarum, in vna essentia diuina mysterium, nobis reuelatum fuit. Plurium certe personarum hac in re diserte mentionem fieri, supra iam ex *II. Sam. VII, 23.* obseruauimus. Et de patre quidem, cum nulla sit dubitatio, angelus saltem ille, qui Mosi in rubo ardente adparuit, seque Deum Abrahami, Isaaci, & Iacobi esse professus est, *Exod. III, 2. 6.* qui in columna nubis & ignis populo israelitico praecessit, *Exod. XIV, 14. 24.* in cuius medio etiam est nomen Iehouah, *Exod. XXIII, 20. 21.* angelus, inquam, ille alius profecto esse nequit, quam filius Dei, de quo & Paulus diserte testatur, quod Israelitas in deserto comitatus sit, *I. Cor. X, 4. 9.* idque non tantum confirmat Esaias vates, sed simul, spiritui quoque sancto suas in hocce opere partes fuisse, nos condocet. *Angelus*, inquit, *faciei eius seruauit eos, in dilectione sua, & indulgentia sua* הוא גאלם, *ipse redemit eos, & portauit eos, & leuauit eos cunctis diebus saeculi; ipsi autem ad i-*

racundiam prouocauerunt, & adflixerunt את־רוח קדשו *spiritum sanctitatis eius, & conuersus est eis in inimicum, & ipse debellauit eos, &c. LXIII, 8. 9.* Quae de angelo pariter ac spiritu sancto hic adserit, de illo quidem, quod saluauerit, redemerit, portauerit Israelitas, de hoc autem, quod irritatus ab iis, atque ad iram prouocatus sit, non aliter, quam de personis, quarum quaelibet itidem verus Deus sit, intelligi possunt. Certe, qui tentatus ab Israelitis & exacerbatus est, verus Deus est, *Num. XIV, 11. psalm. LXXVIII, 17, 40.* Id autem hic de spiritu sancto & iisdem verbis, quae *psalm. LXXVIII, 40.* exstant, adseritur: conf. & *actor. VII, 51.* Succedat porro Messiae missio, quae itidem ea ratione describitur, vt trinitatis personarum luculentissima vestigia adpareant. Illustre cum primis est illud Esaiae testimonium: *Nunc dominus Deus misit me, & spiritus eius; cap. XLVIII, 16.* Is, qui se a domino Deo missum profitetur, est ipse Messias, vti ex antecedentibus liquet, qui & *vers. 12. & 13.* de se non aliter, ac de summo, veroque Deo loquitur. Hunc vero cum non tantum dominus Deus, hoc est, pater, sed & spiritus sanctus misisse dicatur, hunc pariter ac illum ὑπόστασιν quamdam esse oportet; ceteroquin enim mittere Messiam non potuisset. Quoniam vero Messias, vti diximus, in eodem loco vt verus Deus describitur, spiritum sanctum quoque verum Deum esse, sequitur. Solius enim Dei est, eum, qui Deus verus est, mittere. Sunt itaque tres ὑποστάσεις: pater, qui mittit, spiritus sanctus, qui itidem mittit, & Messias, isque verus Deus, qui a patre & spiritu sancto mittitur. Eiusdem generis & illud est, quod *cap. LXI, 1.* legitur: *Spiritus domini est super me, eo quod vnxerit me dominus, ad annuntiandum mansuetis misit me &c.* Ita rursus ille ipse Messias loquitur, qui se verum Deum esse *vers. 8.* profitetur: *Ego dominus*

minus diligens iudicium, & odio habens rapinam. Per *spiritum domini*, spiritum sanctum significat, quo vnctus dicitur, hoc est, donis egregiis & praestantissimis, qua humanam naturam, instructus; *psalm. XLV, 8.* Vngi autem, donisque eiusmodi diuinis instrui non potuit, nisi ab eo, qui itidem verus Deus esset; conf. *Luc. IV, 18.* Pari ratione ex *Es. XLII, 2. seq. XI, 1.* similibusque locis idem comprobari posset, si omnia congerere animus esset. Vt autem in missione filii, patris & spiritus sancti fit mentio, ita non minus in missione spiritus sancti, quando fidelibus noui testamenti promittitur, pater pariter ac filius commemoratur, *Zach. XII, 10. Ioel. III, 1. psalm. LXVIII, 10. 29. Es. XLIV, 3. &c.* Haec vero omnia qui paullo adcuratius, ac mente praeiudicatarum opinionum experte, considerauerit, facile etiam intelliget, trinam istam nominis יהוה in benedictione sollemni, populo israelitico impertienda, *Num. VI, 24. seq.* repetitionem mysterio non carere. Intelliget quoque, non sine ratione factum, vt in singulari ista diuinae maiestatis manifestatione, quae Esaiae obtigit, seraphim tribus vicibus illud: *sanctus*, ingeminarent, *Es. VI, 3.* Immo, ad vltimum huncce quod attinet locum, eo minus hac de re dubitandum, quod gloria ista, cuius omnis terra plena esse dicitur, *v. 3.* ad gloriam Messiae spectet; & ea, quae *vers. 9.* dicuntur, *actor. XXVIII, 25.* diserte spiritui sancto tribuantur.

§. XLVI.

Euidentius adhuc idem patet, ac demonstrari potest, ex noui testamenti libris, iisque praecipue dictis, in quibus diserte patris, filii, & spiritus sancti, ceu vnius & veri Dei, iniicitur mentio, vt *Matth. III, 16. 17. XXVIII, 19. Ioan. XIV, 16 & 23. I. Cor. XII,*

3. seq. II. Cor. XIII, 13. apoc. I, 4. 5. I. Petr. I, 2. 3. I. Ioan. V, 7.

§. XLVII.

Vt vero eo rectius cuncta sibi constent, omneque eximatur dubium, obseruandum, scripturam sacram diserte & luculenter docere: 1) patrem a filio, filium a patre, & ab vtroque spiritum sanctum realiter differre, vt alius sit pater, alius filius, alius spiritus sanctus; II) non solum patrem, sed etiam filium, & spiritum sanctum, esse verum & aeternum Deum; III) nec tamen tres esse Deos, sed Deum vnum.

§. XLVIII.

Patrem a filio, filium a patre, & ab vtroque spiritum sanctum, realiter differre, non tantum diserte scriptura sacra testatur, sed ex distinctis quoque nominibus, itemque ex actibus distinctis, qui & patri, & filio, & spiritui sancto tribuuntur, constat. *

* Eadem nimirum scripturae dicta, quibus generatim personarum trinitatem antea demonstrauimus, simul aperte probant, patrem, filium, & spiritum sanctum reuera, atque citra mentis operationem, a se inuicem distingui, vt alius sit pater, alius filius, alius spiritus sanctus. Diserte hocce seruator docet, quando apostolos baptizare iubet, *in nomen patris, & filii, & spiritus sancti, Matth. XXVIII, 19.* Nihil enim plane haec verba significarent, nisi alius sit pater, alius filius, alius spiritus sanctus. Immo, si per patrem, filium, & spiritum sanctum, tria tantum nomina, aut tres qualitates, vel virtutes, intelligere

gere velles, sensus plane ineptus esset. Nec Ioannes tres commemorare potuisset testes caelestes, *I. ep. V, 7.* nisi alius esset pater, alius filius, alius spiritus sanctus. Ex numero enim ternario singulare probationis suae pondus petit. Quantumuis enim homo aliquis diuersis nominibus, aut qualitatibus vel virtutibus polleat, non tamen nisi vnius testis vicem sustinere potest; conf. *II. Cor. XIII, 13.* Hinc & ipse seruator diserte patrem ἄλλον, *alium a se*, vocat, *Ioan. V, 32.* qui & illum miserit, & de eo testatus sit, *v. 37.* Pari ratione & *Ioan. XIV, 16. & ego*, inquit, *rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis.* Vbi alius est, qui rogat, seu filius, alius, qui rogatur, seu pater, & alius rursus paracletus, seu spiritus sanctus, qui a patre mittendus erat. Atque idem distincta etiam nomina patris, & filii, & spiritus sancti indicant. Non enim diuersam solum vnius rei repraesentationem, aut qualitatem, aut virtutem denotant, sed eiusmodi relationem, quae sine reali quodam vnius ab altero discrimine locum habere nequit. Fundatur namque in distinctis actibus, qualis est, *generatio*, intuitu patris & filii, *psalm. II, 7. Mich. V, 1.* vnde pater & filius differunt, vt *gignens* & *genitus*, filiusque ideo dicitur ὁ μονογενὴς παρὰ πατρὸς, *Ioan. I, 14, III, 16.* Intuitu autem spiritus sancti haec relatio fundatur in *processione*, *Ioan. XV, 26.* Qui enim procedit ab alio, non potest non distinctus esse ab eo, a quo procedit. Accedit, quod & filius a patre mitti dicatur, *Ioan. X, 36. Gal. IV, 4.* quod & de spiritu sancto adseritur, *Ioan. XV, 26.* Se ipsum autem cum nemo mittat, sequitur, alium esse, qui mittit, alium, qui mittitur.

§. XLIX.

Patrem esse verum Deum, cum nemo eorum, qui tres admittunt ὑποστάσεις, neget, positum

positumque sit extra controuersiam, probatione quoque non indiget. De filio autem idem scriptura diserte testatur, nominibus eiusmodi, quae vero Deo tantum conueniunt, eum insigniendo, * generationem eius a patre adserendo, ** attributa eiusmodi, *** & opera, quae vnicum illum, summumque ac aeternum Deum arguunt; * itemque cultum soli Deo proprium, ** illi tribuendo. Idemque & eadem ratione de spiritu sancto constat, quippe qui itidem non tantum diserte Deus vocatur, *** sed per attributa, * operaque vere diuina, ** itemque per cultum soli Deo debitum, ita describitur, vt aliter de eo censere non liceat.***

* Cum supra iam obseruatum sit, nomen Dei proprie acceptum, esse nomen naturae diuinae; sequitur vtique, illum, qui absolute, & sine vlla restrictione Deus vocatur, verum quoque, summumque Deum esse. Christus autem, seu filius Dei, non semel, sed saepius in scriptura sacra diserte, & sine vlla omnino conditione, aut restringente, aut alienante, ita dicitur; *Ioan. I, 1. XX, 28. Actor. XX, 28. I. Tim. III, 16. I. Ioan. V, 20. Tit. II, 3. Rom. IX, 5.* in veteri testamento *Ierem. XXIII, 5. 6. XXXIII, 15. 16. Esai. LXI, 1. Hos. I, 7.*

** Qui a Deo genitus est, non potest non eiusdem cum eo esse essentiae. Generatio enim proprio conceptu essentiae cummunicationem significat. Nec sane aliam quis animo notionem concipit, cum vocem hancce audit; quae etiam in se spectata, omnique imperfectione, quae in rebus creatis,

creatis deprehenditur, remota, nihil hoc pacto, quod Deo indignum sit, aut cum eius vnitate pugnet, denotat. Christum autem qua diuinam naturam, a patre genitum esse, scriptura iterum luculenter testatur, *psalm. II, 7. prouerb. VIII, 24, 25. Mich. V, 1.* Atque haec etiam caussa est, cur Christus filius Dei dicatur, non per adoptionem aut creationem, aut alio quocumque modo, quo homines & angeli filii Dei vocari possunt, sed ob generationem, seu essentiae communicationem; quae ideo eius cum patre ὁμοουσίαν euincit. Hinc & non tantum filius, sed & *filius* μονογενὴς, *vnigenitus*, dicitur, *Ioan. I, 14, 18. III, 16.* itemque ἴδιος, *Rom. VIII, 32. Ioan. V, 18.* immo & *imago Dei inuisibilis*, *Coloss. I, 15.* vt, *qui videt filium, videat patrem*, *Ioan. XIV, 9.* quippe qui est χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, *character substantiae eius, Ebr. I, 3.*

*** Cum attributa re ipsa ab essentia diuina non differant, vti supra docuimus, non potest non pro vero summoque Deo haberi, cui attributa ista conueniunt. Cum etiam vnum attributum sine alio esse nequeat, sequitur, omnibus gaudere, qui vno gaudet. Christo autem seruatori, quidquid perfectionis diuinae cogitari potest, generatim tribuitur, dum πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος in eo habitare dicitur, *Coloss. II, 9.* itemque μορφὴ θεοῦ & εἶναι ἴσα θεῷ, *Phil. II, 6.* ita vt ipse *aequalis sit patri*, *Ioan. V, 18.* & *vnum cum patre*, *cap. X. 30.* dumque *vitam habet in semet ipso*, *quemadmodum pater vitam habet in semet ipso*, *Ioan. V, 26.* Immo, dum *omnia*, *quae habet pater*, *filius etiam habet*, *Ioan. XVI, 15.* non potest non filius omnibus iis attributis, perfectionibusque gaudere, quibus & pater gaudet. Hinc vero, vti facile intelligitur, ea attributa, quae supra ad primam classem retulimus, Christo quoque conuenire; ita, ad alteram classem quod attinet, quae ex spiritus

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1724821938/phys_0197
DFG

tus notione fluunt, iunctim ea comprehenduntur, quando *vitam in semet ipso*, aeque ac pater, *habere* adfirmatur, *Ioan. V, 26.* Speciatim vero omniscientia inde fluit, quam & scriptura subinde ei diserte vindicat, vt, quando *omnia nouisse* dicitur, *Ioan. II, 24, 25. XVI, 30. XXI, 17.* Vnde & Paulo teste *in eo absconditi sunt omnes thesauri sapientiae & scientiae*, *Coloss. II, 3.* Cuius rei documentum est, quod intimos cordium recessus cognitos exploratosque habeat, *Matth. IX, 4. XVI, 8. XXII, 18. Luc. V, 12. IX, 47. &c.* Idem & de sapientia constat, quae modo quodam longe eminentissimo Christo tribuitur, adeo quidem, vt cum sapientia diuina maxime per filium, in opere cumprimis creationis, ac redemtionis, sese manifestarit, ipse etiam κατ' ἐξοχὴν *sapientia* dicatur, *prouerb. VIII, 22.* conf. *Matth. XI, 19. Luc. XI, 49. I. Cor. I, 30.* Ex vita porro, quam in semet ipso aeque ac pater habet, fluit omnipotentia eius, per quam *omnia sibi subiicere potest*, *Phil. III, 21.* Hinc & *omnia verbo potentiae suae ferre* adseritur, *Ebr. I, 3.* Quamobrem & diserte ὁ παντοκράτωρ adpellitatur, *apoc. I, 8. IV, 8.* itemque *virtus Dei*, *I. Cor. I, 24. Luc. I, 35.* Eamque ob caussam, si nonnullos audias, Christus, *manus & dextra Dei*, *psalm. CXVIII, 16.* itemque *brachium domini*, *Es. LIII, 1.* alibique, vocatur. Non minus & illa attributa, quae vltimam classem constituunt, quibusue Deus a rebus creatis omnibus praecipue discernitur, Christo vindicantur. Immensitas inter ea eminet, quae ex essentiae diuinae infinitate fluit. Hanc qui patri tribuit, filio denegare nequit, quia hic diserte, *ego*, inquit, *in patre, & pater in me*, *Ioan. XIV, 20. XVII, 21.* quemadmodum & *cum patre vnum est*, *Ioan. X, 30.* Eamdem porro immensitatem arguit, quod, cum in terris ageret, in caelo simul esset; *Ioan. III, 13.* eoque

& πλή-

& πλήρωσις illa τῶν πάντων pertinet, *Eph. IV, 10.* Haec vero, aliaque, etsi Christo secundum humanam naturam tribuantur, idque propter vnionem personalem vtriusque naturae; non possent tamen ita tribui, nisi eidem, vt vero Deo κατὰ φύσιν, inesset. Immensitas autem illa, cum intuitu rerum creatarum, quibus Deus praesens est, *omnipraesentia* dicatur, hanc quoque eadem ratione Christo conuenire, testimonia scripturae luculentissima nos dubitare nulla ratione sinunt; conf. *Matth. XVIII, 20. XXVIII, 20.* Denique & *aeternitas* huc pertinet, seu duratio, initii omnis & finis expers. Eam vero Salomoh sapientiae ὑποστατικῇ, seu filio Dei vindicat, dum ante omnes res creatas eam iam fuisse nos condocet, *proverb. VIII, 22. seq.* itemque Ioannes, τὸν λόγον ἐν ἀρχῇ, *in principio*, rerum scilicet omnium, quae a Deo factae sunt, iam fuisse, adserens, *cap. I, vers. 1.* conf. & *apoc. IV, 10.*

* Inter opera diuina primo sese offert loco *creatio, Ioan. I, 3. Coloss. I, 16. Ebr. I, 2. 10. psalm. CII, 26. XXXIII, 6. prouerb. VIII, 30.* quam merito omnium rerum excipit *conseruatio, Col. I, 16. 17. Ebr. I, 3.* Huc vero etiam miracula pertinent, per quae vt naturae ordo tollitur, ita non nisi ab eo, qui naturae auctor, verusque adeo, & summus Deus est, edi possunt. Christus autem non tantum miracula quam plurima edidit, *Ioan. XX, 30. XXI, 35.* sed propria quoque virtute, auctoritateque, ad patefaciendam suam gloriam, edidit, *Ioan. II, 11.* immo, ita edidit, vt se iis aequalem patri ostenderet, *Ioan. V, 17. 18. X, 30.* gloriamque suam velut vnigeniti a Deo patre iis manifestaret, *Ioan. I, 14.* vtque se verum naturae auctorem demonstraret, qui *ventis & mari imperare posset, Matth. VIII, 27.* Neque ipse tantum miracula edidit, sed aliis etiam potestatem ea edendi contulit, *Matth. X, 8. Marc. VI, 7. XVI,*

7. XVI, 17. Luc. X, 19. Quod quidem solius Dei esse, nemo diffitebitur. Hinc & in ipsius nomine edita sunt ab apostolis miracula, *actor. III, 6. 12. 16.* A regno naturae si ad regnum gratiae transeamus, opus omnium longe maximum, generis humani redemtio, sese nobis offert. Esse autem Christum humani generis redemtorem, apud eos, qui nomen eius profitentur, positum esse debet extra controuersiam. Ad redemtionem hancce pertinet peccatorum expiatio, seu purgatio, quam Christus per se ipsum fecisse dicitur, *Ebr. I, 3.* conf. & *Es. LIII, 4. Ebr. IX, 12. 15. I. Petr. II, 24.* hominumque cum Deo reconciliatio, *Rom. V, 10. II. Cor. V, 18.* vnde & ἱλασμὸς, *propitiatio* vocatur, pro nostris, immo totius mundi peccatis, *I. Ioan. II, 2.* itemque ἱλαστήριον, *propitiatorium*, a Deo ipso propositum, *Rom. III, 25.* Quae quidem reconciliatio sine plenaria satisfactione esse nequit; cum non minor iustitiae diuinae rigor sit, quam amoris Dei est feruor; quod adeo ex iisdem, quae attulimus, scripturae effatis liquet. Coniuncta porro cum ista redemtione, vt alia taceam, fuit regni infernalis destructio, potestatisque, quam malorum geniorum princeps in homines sibi arrogauerat, solutio; *Gen. III, 15. Ebr. II, 14. Coloss. I, 13. II, 15.* Vnde & filius Dei *ad hoc adparuisse* dicitur, *vt opera diaboli destrueret, I. Ioan. III, 8.* Haec vero omnia qui paullo adcuratius considerauerit, facile intelliget, non ab alio, quam eo, qui simul verus Deus est, ista peragi potuisse. Idque non tantum res ipsa docet, sed & scriptura diserte confirmat, *Psal. CXXX, 8. Es. XLIII, 11. 12.* Vt autem redemtio ista hominum fundamentum est regni gratiae, a Deo inter homines constituti; ita & reliqua, quae ad eiusdem regni oeconomiam pertinent, non minus diuinam seruatoris gloriam atque maiestatem produnt. Ipse namque,

ceu

ceu ſupremus regni huius dominus, omnes homines ad regnum hocce vocat, & inuitat, ipſe, ceu paſtor ſupremus, omnibus praeeſt, iisque, qui voci eius obediunt, ζωὴν καὶ περισσὸν largitur, *Ioan. X, 10.* Vnde & Paulus eum τὸν ποιμένα τῶν προβάτων τὸν μέγαν adpellitat, *Ebr. XIII, 20.* Cumprimis autem in eo diuinam ſuam poteſtatem manifeſtauit, quod apoſtolos, aliosque eccleſiae miniſtros, qui mortalibus viam ad aeternam ſalutem monſtrarent, conſtituit, *Matth. XXVIII, 19, Luc. XXIV, 46. ſeq. Epheſ. IV, 11.* Neque vocat tantum homines ad regnum illud gratiae, ſed eos etiam, qui vocationi huic non repugnant, illuminat, conuertit, ſidemque in illis producendo, regenerat. Vnde *a Deo datus* dicitur, *in lucem gentium, ad aperiendum oculos caecorum, Eſ. XLII, 6. 7. XLIX, 6. Luc. II, 32.* itemque *vita hominum*, pariterque *lux vera, illuminans omnes homines, venientes in hunc mundum, Ioan. I, 4. 9; lux mundi, Ioan. VIII, 12. IX, 5; veniens in mundum, vt credentes in eum in tenebris non maneant, Ioan. XII, 46. ſine cuius colluſtratione cordis nemo cognoſcere poteſt, quis ſit pater & filius, Luc. X, 22.* Eamdemque ob cauſſam & ἀρχηγὸς τῆς ζωῆς, *actor. III, 15.* itemque τῆς πίστεως ἀρχηγὸς καὶ τελειωτὴς, *Ebr. XII, 2.* vocatur; vt intelligamus, fidei pariter ac vitae omnis ſpiritualis in hominibus eum eſſe auctorem. Atque haec quidem omnia, vti & reliqua, ad oeconomiam regni gratiae ſpectantia, diuinam itidem, & plane infinitam virtutem ac potentiam arguere, nemo profecto, qui ſpirituali iudicio cuncta aeſtimare didicit, negauerit. Regeneratio ſane non minorem potentiam requirit, quam rerum omnium ex nihilo productio, *I. Cor. I, 28. pſalm. LI, 12.* & illuminatio non niſi ab eo proficiſci poteſt, qui in creationis initio dixit: *fiat lux, II. Cor. IV, 6.* Vitae porro ſpiritualis productio ab eo demum

exspectari potest, qui mortuos resuscitare, vitamque illis largiri potest, *Eph. II, 1. V, 14. Coloss. II, 13.* Vnde & Paulus in hisce omnibus agnoscit τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως αὐτοῦ, & quidem κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ, *Eph. I, 19.* Sed, vt reliqua prosequamur, supersunt adhuc, quae ad oeconomiae gratiae consummationem pertinent, resuscitatio mortuorum, & extremum iudicium. Et ad mortuorum quidem quod attinet resuscitationem, eam solius Dei opus esse, nemo dubitauerit; conf. *Ezech. XXXVII, 12. psalm. XC, 2. 3. Rom. IV, 19. 20. II. Cor. I, 9.* Christus autem mortuos non tantum viuificat, sed propria potentia viuificat, quos ipse vult, *sicut pater, Ioan. V, 21.* Et sicut ad verbum Dei potentissimum in creatione rerum omnium statim exsistebant, quae antea non erant, ita ad vocem filii Dei, mortui e monumentis suis exibunt, *ib. v. 28. 29.* Nec tantum corpora restituentur integra, sed etiàm, ad electos quod attinet, glorificata, idque per *potentiam Christi infinitam, qua omnia sibi subiicere potest, Phil. III, 20. 21.* Hinc & Christus de se ipso dicit: *ego sum* ἀνάστασις καὶ ζωὴ, *Ioan. XI, 25.* quod & mox Lazari resuscitatione comprobauit, *v. 43.* Mortuorum resuscitationem iudicium vniuersale excipiet; ad quod cum infinita scientia, vis, atque potestas requiratur, non potest non soli Deo esse proprium, cui adeo & in scriptura tribuitur; conf. *psalm. IX, 8. 9. L, 6. LXXV, 8. XCIV, 2.* Si ergo solus Deus supremus ille iudex est, Christum verum esse Deum oportet, quippe qui hocce sibi diserte ipsemet vindicat, *Matth. XXV, 31.* Hinc & *vir ille* dicitur, *per quem Deus, prout decreuit, iudicaturus est orbem terrarum in iustitia, actor. XVII, 31.* conf. & *actor. I, 11.* Ipsemet quidem, a patre sibi eam iudicandi potestatem traditam, profitetur, *Ioan. V, 27.*

Quod

Quod vti de humana eius natura intelligendum, ita & secundum eam tradi non potuisset, nisi verus simul esset Deus.

** Solum Deum cultu religioso prosequendum, ipsa ratio omnes euidentissime condocet. Confirmat idem scriptura sacra, *Deut. VI, 13. & X, 20. Matth. IV, 10. apoc. XXII, 9.* Dum ergo Christo eiusmodi cultus religiosus tribuitur, non potest non pro vero summoque Deo haberi. Tribuitur autem tam luculenter, vt nihil plane, quod excipi iure queat, supersit. Ipsemet seruator hoc profitetur, quod *omnes debeant honorare filium*, καθως *quemadmodum honorant patrem, Ioan. V, 23* Eodem itaque plane modo si honorandus est, quo pater honoratur, religiose vtique, cultuque, soli Deo conuenienti, est colendus. Neque pater concedere illi hunc cultum potuisset, nisi ipse quoque filius verus summusque esset Deus, cum diserte se *alteri*, qui verus Deus non est, *eum daturum neget, Es. XLII, 8. XLVIII, 11.* Confirmat idem apostolus, quando adserit, quod *Christo curuari debeant omnium genua, siue caelestium, siue terrestrium, siue inferorum, Phil. II, 10.* Immo, hic est, quem omnes angeli adorare debent, vti idem gentium doctor ex *psalm. XCVII, 7.* docet, *Ebr. I, 6.* Quo cultu adeo & eum, vtut adhuc infantem, prosequuti sunt magi, *Matth. II, 11.* Etsi enim vox προσκυνεῖν ceteroquin etiam cultum ciuilem denotet, eum tamen hic intelligi non posse, res ipsa docet. Quem namque in finem eiusmodi cultum infanti, si pro mero homine eum reputassent, exhibuissent? quippe qui nihil eorum, quae agebantur, aut cognoscebat, aut intelligebat. Nec in parentum gratiam id agere poterant, quippe qui, in summa paupertate constituti, eiusmodi quid nec exigebant, nec permissuri erant. Nisi itaque dicere velis, magos istos nesciuisse plane, quid agerent, admittendum, eos infantem istum cultu religioso,

ligioso, solique Deo conuenienti, fuisse prosequutos.

His, quae hactenus pro abstruenda Christi diuinitate attulimus, argumentis, illud denique addi potest, quod ex dictorum scripturae, veteris ac noui testamenti collatione exsurgit. Quando enim ea, quae in veteri testamento de vero summoque Deo dicta sunt, in nouo de Christo seruatore nostro diserte explicantur; non potest non inde consequi, Christum verum illum, summumque Deum esse. Vt ex plurimis exemplis vnum saltem alterumue adferamus, is, quem Israelitae in deserto tentarunt, extra omnem controuersiam fuit verus atque summus Deus; *Num. XXI, 5. 6. psalm. XCV, 1. 2. 9.* At Christum eum esse, quem Israelitae in deserto tentarunt, exserte apostolus nos condocet, *I. Cor. X, 9.* adde *psalm. XLV, 7. 8.* collat. *Ebr. I, 8. psalm. LXVIII, 19.* collat. *Eph. IV, 8. psalm. XCVII, 7. 8. 9.* coll. *Ebr. I, 6.*

*** Spiritus sanctus diserte Deus vocatur, *act. V, 3. 4. II. Cor. VI, 16. I. Cor. XII, 6. 11.*

* Omniscientia namque diserte spiritui sancto *I. Cor. II, 10.* tribuitur. Hinc & nos *docet omnia, & de omnibus, Ioan. XIV, 26. I. Ioan. II, 20;* eum *nemo instruit, Es. XL, 13.* ipse contra instruit omnes, ceu *spiritus sapientiae, intelligentiae,* ac *scientiae, Es. XI, 1. 2. Ephes. I, 17.* Omnipotentia eius indicatur, quando dicitur *digitus Dei, Luc. XI, 20.* collat. cum *Matth. XII, 28. virtus & potentia Dei, Luc. XXIV, 49. spiritus potentiae, Es. XI, 2. act. X, 38.* Omnipotentiam pariter, ac summam eius in agendo libertatem Paulus nos condocet, adserens, quod *distribuat singulis dona sua, prout vult, I. Cor. XII, 11.* De immensitate, seu omnipraesentia spiritus sancti, testatur Dauid: *Quo ibo a spiritu tuo, & quo a facie tua fugiam? psalm. CXXXIX, 7.* Eodemque pertinet, quod in cordibus fidelium, ceu in templo, habitare dicitur, *I. Cor. III, 16. VI, 19.* Aeternitatem

nitatem porro eius arguit, quod *spiritus Dei* dicitur, seu *qui in Deo est, I. Cor. II, 10. 11.* quiue *a patre procedit, Ioan. XV, 26.* sine quo adeo Deus numquam fuit. Maiestas denique & gloria, soli Deo conueniens, illi tribuitur, quando in nomen eius, aeque ac patris & filii, baptizari iubemur, *Matth. XXVIII, 19.*

** Et in regno naturae, & in regno gratiae eiusmodi opera spiritui sancto tribuuntur, quae, verum eum esse Deum, luculenter euincunt. In regno quidem naturae, creatio pariter ac conseruatio, *psalm. XXXIII, 6.* collat. cum *Gen. I, 2. Iob. XXXIII, 4. Es. XL, 12. 13.* In regno autem gratiae, nonnulla quidem circa ipsum redemtorem nostrum peregisse dicitur, quae non possunt non verum Deum demonstrare, vt missio eius. *Esaiae XLVIII, 16.* itemque vnctio, *psalm. XLV, 8. Es. LXI, 1.* conf. & *Matth. III, 16.* Quaedam autem ad ipsos credentes pertinent, vt illuminatio, *Ephes. I, 17.* regeneratio, *Tit. III, 5.* sanctificatio, *Rom. I, 4.* & donorum quorumuis spiritualium collatio, *Rom. VIII, 9. seq. I. Cor. XII, 7.* Sed & ecclesiae huc pertinet constitutio atque directio; quam, vt diuinae maiestatis atque potentiae opus esse nemo negauerit, ita passim spiritui sancto adscribitur; conf. *actor. VIII, 29. 39. XI, 12. XIII, 2. 4. XV, 28. XX, 28.* Spectat huc etiam, quod spiritus sanctus per Mosen atque prophetas loquutus sit: qua de re deinceps, cum dictorum veteris & noui testamenti comparationem instituemus.

*** Vt praecipua cultus diuini pars est, inuocatio, ita spiritum quoque sanctum non minus, ac patrem, filiumque recte inuocari, vt dona quaeuis spiritualia ab eo impetremus, exemplum Pauli nos condocet, *II. Cor. XIII, 13.* itemque Ioannis, *apoc. I, 4.* Adprecatio enim sine inuocatione fieri nequit, cum bona illa, quae alteri adprecamur, ab eo conferri velimus, qui solus potestatem ea conferendi habet, & a

quo solo ea expetere fas est. Huc pertinet, quod non minus in nomen spiritus sancti, quam patris & filii, baptizari iubeamur, *Matth. XXVIII, 19.* vti iam antea obseruauimus. In cuius autem nomen baptizamur, in eum etiam credimus. Sicut ergo in solum Deum credimus, quippe in quo & praecipua cultus diuini pars consistit, ita & spiritum sanctum verum Deum esse, recte inde colligitur. Solus porro Deus a nobis postulare potest, vt corda nostra, ceu templa, illi consecremus, *Es. LVII, 15.* Luculentissimum enim hoc est cultus diuini documentum. Hicce vero honor etiam spiritui sancto tribuitur. *I. Cor. III, 16. & VI, 19.* Solus quoque Deus per peccata & legis transgressionem tentatur, cum ei soli, ceu supremo legislatori, *Iacob. IV, 12.* debeamus obsequium; conf. *psalm. LXXVIII, 17. XCV, 6. CVI, 14.* At, spiritum sanctum ab Anania tentatum, Petrus perhibet, *actor. V, 9.* & ab Israelitis, Paulus, *Ebr. III. 7. seq.* Hisce, quibus hactenus probauimus, spiritum sanctum verum esse Deum, argumentis, itidem illud adhuc addi potest, quod dictorum veteris nouique testamenti collatio nobis suppeditat. Is namque, qui in veteri testamento per Mosen atque prophetas loquutus est, dicitur, & est Iehouah, *Exod. IV, 12. II. Sam. XXIII, 3. Es. VI, 8.* Nec sane alius verbi diuini caussa principalis esse potest, quam verus Deus. Spiritum vero sanctum eum esse, qui per Mosen atque prophetas loquutus est, diserte condocemur, *actor. I, 16. XXVIII, 26. Eph. III, 5. I. Petr. I, 11. II. Pet. I, 21.*

§. L.

Nec tamen inde colligere licet, non vnum, sed tres esse Deos, cum eadem haec-ce scriptura, quae tam clare docet, & patrem,

trem, & filium, & ſpiritum ſanctum eſſe Deum, non minus luculenter & conſtanter adſerat, vnum tantum eſſe Deum. *

* Hoc ſupra iam ad §. *XIII.* tum ex ratione, tum ex *Deut. VI, 4. Eſ. XLIV, 6.* aliisque ſcripturae dictis, demonſtrauimus. Accedit, quod, cum ſcriptura ſacra de patre, filio, & ſpiritu ſancto nos erudiat, nullibi tamen tres deos, aut plures, quam vnum, commemoret. Nec de vnitate ſpecifica, quam vocant, ſed numerica, hoc eſt capiendum, vt itidem ſupra iam monuimus.

§. LI.

Vt, quae ſcriptura ſacra hac de re docet, breuiter efferrentur, & erroribus omnibus, qui facili irrepere negotio poſſunt, obuiam iretur, placuit veteri eccleſiae, voces, *eſſentia* ac *perſona* adhibere, vſuque adeo receptum, vt *tres* in *vna eſſentia diuina perſonae* adſerantur. Quem quidem merito retinemus loquendi modum, cum, ſi rem ipſam ſpectes, illud ipſum, quod ſcriptura ſacra docet, rotunde, & ſine ambagibus, indicet, nec vlla praegnans ratio adferri queat, cur ſit reiiciendus.

§. LII.

Ad diſcrimen, quod inter perſonas diuinas intercedit, paullo diſtinctius, quantum fieri poteſt, explicandum, obſeruare nonnulli ſolent, *actus*, *proprietates*, & *notiones perſonales*. *Actus perſonales* ſunt, generatio & ſpiratio; * *proprietates* ſunt, paternitas, filiatio, & proceſſio, ſiue ſ[illegible]piratio, in pati-

patiendi significatione accepta: ** *notiones* denique *personales*, innascibilitas, & spiratio actiua. ***

* Actus personales etiam *opera* vel *actus ad intra* vocantur, quia intra ipsam diuinam essentiam peraguntur: *personales* dicuntur, quia personam aliquam diuinam pro termino habent, simul & personae cuiusdam, siue quarumdam proprii sunt. Ipsa autem illorum notio in essentiae diuinae consistit communicatione. Vnde simul patet, duos tantum eiusmodi actus personales esse posse, *generationem* & *spirationem*, actiue acceptam, cum duae tantum sint personae, quibuscum essentia diuina communicatur, filius, atque spiritus sanctus. Conueniunt isti actus in eo, quod vterque essentiae diuinae quamdam communicationem denotet, vterque etiam aeternus sit, hoc est, nec initium habeat, nec finem. Quod non ita capiendum, ac si nondum perfecti isti actus sint, aut absoluti, sed quod filius a patre per generationem, & spiritus sanctus a patre & filio per spirationem semper procedat. Ceterum, ipsum modum aut generationis, aut spirationis, &, quo pacto vtraque in se spectata a se inuicem differat, cum nemo mortalium mente sua adsequi valeat, recte, & ita vt decet, sentiunt, qui a curiosa inuestigatione hic prorsus abstinendum censent. Vt vero paullo distinctius, & sigillatim de hisce actibus personalibus, & primo quidem de *generatione* agamus, hanc in eo consistere, manifestum est, quod pater ab aeterno essentiam diuinam filio communicet, qui & eam a patre accipiat, vt inde filius Dei μονογενὴς, *qui est in sinu patris*, essentiae, omniumque perfectionum diuinarum particeps, *Ioan. I, 18.* dici possit. Quae adeo proprie dicta est generatio, quippe cuius vera & genuina notio in essentiae consistit communicatione; vti supra quoque iam obser-

uaui-

uauimus. Essentiae autem diuisio, vel multiplicatio, & quae reliqua sunt, quae in rerum creatarum generatione deprehenduntur, cum imperfectionem summam arguant, ideoque de Deo dici nequeant, procul hinc sunt remouenda. Per similitudinem quamdam adumbrari vtcumque generatio diuina potest, si filius a patre, *vt lumen de lumine*, genitus dicatur, prout ipsimet concilii Nicaeni patres loquuntur. Proprie itaque, & ea quidem, qua diximus, ratione, generationis vocem hic accipiendam, luculentissima scripturae dicta, quae supra iam ad §. *XLIX.* attulimus, *psl. II, 7. prouerb. VIII, 24. Mich. V, 1.* nos dubitare neutiquam sinunt. Eodemque comparatum est, quod Christus non tantum filius Dei, sed & filius μονογενὴς, *Ioan. I, 14. 18. III, 16.* itemque ἴδιος, *Rom. VIII, 32. Ioan. V, 18.* dicatur, vti ibidem iam docuimus. Alter actus personalis est *spiratio*, voce actiue accepta, cuius modum non magis cognitum perspectumque habemus, quam generationis. Discrimen tamen aliquod inter generationem ac spirationem intercedere, vel inde intelligitur, quod haec patri aeque ac filio conueniat, cum illa soli patri sit propria; persona etiam, quae per spirationem exsistit, non filius, sed spiritus sanctus vocatur; nec gigni spiritus sanctus dicitur, sed procedere, ἐκπορεύεσθαι. Patri autem & filio dum spirationem tribuimus, non ita hoc est capiendum, ac si duo sint spirationis principia, sed quod vna eademque spirandi vis seu δύναμις προβλητικὴ, vt Graeci loqui solent, patri pariter ac filio competat. Idque latina ecclesia constanter contra eos, qui contrarium illi imputabant, docuit, adseruitque.

** Relationes nimirum reales, quae ex actibus personalibus, antea commemoratis, oriuntur, *proprietates personales* vocari solent. Cumque tres sint in vna essentia diuina personae, totidem quoque proprietates personales exsistere, necesse est. Ex genera-

tione namque actiua, qua pater filium generat, *paternitas* oritur; *filiatio* ex generatione passiue spectata; & *processio* denique, seu *spiratio* passiue accepta, ex eo, quod a patre, filioque spiritus sanctus spiratur. Cum autem generatio intuitu filii, & spiratio intuitu spiritus sancti, passiue accipi dicitur, non passio aliqua in sensu physico indicatur, sed hoc solum, quod filius is sit, qui a patre gignatur, spiritus sanctus autem is sit, qui a patre filioque spiretur, siue procedat. Processionis etiam vox in specialiori significatione hic sumitur; in generaliori enim accepta, quamcumque vnius personae ab alia originem, adeoque & generationem denotare potest.

*** Si vox *notio* in latiori significatione sumatur, vt quamcumque, personam quamdam diuinam cognoscendi, vnamque ab altera discernendi rationem denotet, actus pariter, ac proprietates personales ambitu suo complectitur. Hic autem in strictiori significatione accipitur, prout ab actibus & proprietatibus, notiones personales distinguuntur. Notio namque dicitur, per quam persona quaedam diuinitatis ita innotescit, vt ab altera, per ea, quae intra diuinitatem contigerunt, distinguatur. Solentque duae eiusmodi notiones personales constitui, *innascibilitas*, & *spiratio actiua*. Cum vero hac ratione spiritus sanctus peculiari notione destitueretur, &, si spiratio actiua huc referenda sit, nulla adpareat ratio, cur & generatio actiua hic non sit commemoranda, alii tres notiones personales constituere malunt, *innascibilitatem*, *generationem passiuam*, & *spirationem passiuam*. Innascibilitas, seu ἀγεννησία est notio patris, quia per eam a filio pariter ac spiritu sancto distinguitur. In latiori enim significatione vox *innascibilitas*, seu ἀγεννησία, item τὸ ἀγέννητον, accipienda, vt significet, patrem nulla plane ratione, nec per generationem, nec per processionem, ab alio esse. Idque

que & illi sibi volunt, qui patris notionem esse dicunt, τὸ ἄναρχον εἶναι, *principii expertem esse*. Quod vtique non de initio quodam capiendum, ceteroquin enim sequeretur, & filium & spiritum sanctum habuisse initium, quod absonum foret; sed de qualicumque origine. Filii notio personalis, intuitu patris, erit *generatio* passiue accepta, intuitu autem spiritus sancti, eius pariter ac patris *spiratio* actiua, si & hanc cum quibusdam inter notiones personales referre velis. Nec generatio ista passiue accepta, prout supra eamdem explicauimus, obstabit, quo minus filius & αὐτόθεος dici queat; qua voce ORIGENEM, EPIPHANIVM, EVSEBIVM, aliosque veterum vsos constat; si quidem eum denotet, qui ab alio non dependet, sed aeque summus verusque Deus est, ac pater. Quodsi vero ita accipiatur, vt idem sit ac ἀγέννητος, eumque significet, qui ab alio non procedit, tum vtique inter notiones personales patris iure meritoque refertur, quod sit αὐτόθεος. Spiritus denique sancti notio personalis erit, *processio*, seu *spiratio passiua*. Nec obstabit, quod spiratio hoc modo accepta, seu processio, inter proprietates quoque personales relata sit. Diuerso enim vtique respectu hoc fieri potest. In summam autem si hactenus dicta conferantur, manifestum erit, *patris* nomine primam intelligi diuinitatis personam, quae nec genita est, nec ab alio procedit, ex substantia autem sua filium ab aeterno genuit, & cum filio ab aeterno spiritum sanctum spirauit; *filii* nomine, secundam, quae ab aeterno a patre genita, & a qua, vti etiam a patre, ab aeterno spiritus sanctus procedit; *spiritus* denique *sancti*, tertiam, quae non genita est, sed a patre filioque procedit. Dum vero pater prima, filius secunda, & spiritus sanctus tertia persona vocatur, non prioritas quaedam, aut naturae, aut temporis, aut dignitatis; sed ordinis tantum, vel, vt alii loqui amant, naturalis enumerationis intelligitur.

§. LIII.

§. LIII.

Vt ex reuelationis, ex parte etiam rationis lumine, quae hactenus de Deo, eiusque essentia, attributis, ac personis docuimus, tam euidenter constant, vt non temere quis, nisi caliginem sibi ipsi obfundat, a recto aberrare tramite queat; ita fuerunt tamen, qui, in luce clarissima caecutientes, in varia corruerunt praecipitia. Nonnulli, ratione turpiter abutentes, rationis omnis tandem amiserunt vsum, stultique facti, in corde suo dixerunt, *non esse Deum*, *psalm. XIV*, 1. quod nonnulli etiam ore ipso professi sunt, etsi diuersis integumentis errorem impium plerumque occultarent. In contrarium procurrentes alii, ac superstitionis oestro perciti, dum plures admiserunt deos, significarunt, reuera nullum sese credere. Deum porro sua spoliant gloria, eumque tantum non in idolum aliquod conuertunt, qui attributorum eius maiestatatem imminuunt, ea statim negantes, quae rationis modulum excedunt, aut aliis caussis ad prauas animo de hisce omnibus notiones concipiendas, inducti.

§. LIV.

Cumque in iis, quae ratio ipsa docet, tam praecipiti lapsu in errores varios mortales ruant, eo minus mirandum, in iis, quae ex sola reuelatione constant, a recto eos deflectere tramite, rationem obtendentes,

tes, sed ipsius rationis, certos sibimet ipsi limites constituentis, monita vel maxime negligentes. Idque illorum praecipue exemplo patet, qui in mysterio de trinitate personarum scripturae ductum deferentes, aut personarum trinitatem diserte & sine ambagibus negant, aut reale earundem discrimen tollunt, aut inaequalitatem quamdam inducunt; aut denique, in alterum extremum procurrentes, ex tribus personis tres deos faciunt.

§. LV.

Obscurari tamen hisce errorum nebulis veritas adeo non potuit, vt clarius potius subinde exsplendesceret: siue doctrinam de numinis exsistentia & attributis spectes, siue eam, quae de personarum in vna essentia diuina trinitate nos instruit. Mirifice enim vtraque inter varios secus sentientium insultus, & conseruata & propagata, immo maiori subinde luce perfusa atque fortiter defensa fuit.

§. LVI.

Nostri autem officii est, vt verum Deum, quem cognitum habemus, ceu verum Deum colamus, ne idem, quod olim gentilibus, nobis quoque contingat, *Rom. I, 21.* Gloriam Dei in attributis eius exsplendescentem ita consideremus, vt simul, pro modulo nobis concesso, in eamdem transformemur, *II. Cor. III, 18.* Summum trinitatis

tis mysterium non curiose nimis scrutemur, sed pia potius deuotaque mente veneremur; idque operam nauemus sedulo, vt, quaenam sit patris charitas, quae gratia filii, quae spiritus sancti communio, experiundo condiscamus; *II. Cor. XIII, 13.* Quin & beneficia, in quibus singulae personae se vel maxime manifestarunt, creationem patris, redemtionem filii, regenerationem ac sanctificationem spiritus sancti, ita consideremus, vt gratum simul piumque animum, obsequio, fide, omnium virtutum studio indefesso, testemur, atque demonstremus; conf. *Mal. I, 6. Tit. II, 14. I. Cor. III, 16. 17.*

LIBRI SECVNDI
CAPVT SECVNDVM
DE
OPERIBVS QVIBVS DEVS IN REGNO NATVRAE SESE MANIFESTAVIT.

Σύνοψις.

INter opera, quibus Deus se manifestauit, totus mundus primo se offert; cuius creatio vt recte intelligatur, adsumitur, eum non esse aeternum, §. I.

Immo, ne quidem materiam, ex qua ortus est, esse aeternam, seu semper exstitisse, §. II.

Per creationem quid intelligatur? §. III.

Is, qui omnia creauit, Deus est, qui & solus mun-

mundum creare potuit, §. IV.

& quidem pater, filius, & spiritus sanctus, §. V.

Modus creationis nobis imperuestigabilis: hoc tantum constat, solo diuinae voluntatis iussu omnia creata, §. VI.

Errant, qui modum creationis per emanationem explicare volunt, §. VII.

Errant &, qui, posita materia & motu, cuncta mechanica quadam ratione coaluisse, contendunt, §. VIII.

De temporis, quo creatio peracta fuit, successione, §. IX.

Opus primi diei, §. X.

secundi, §. XI.

tertii, §. XII.

quarti, §. XIII.

quinti, §. XIV.

sexti, §. XV.

Sexto die etiam homo creatus, §. XVI.

In operibus a Deo creatis nulla labes erat, nulla imperfectio; septimo autem die Deus quieuit, §. XVII.

Finis creationis, quem & Deus obtinuit, §. XVIII.

Inter res creatas reliquas eminent spiritus, nullo cum corpore coniuncti, siue angeli, §. XIX.

Spiritus nomine quid hic intelligatur? §. XX.

Spiritus eiusmodi dari, ratio quodammodo docet, clarius autem, atque certius, scriptura sacra, §. XXI.

Angelus est materiae expers, hinc & corruptioni non obnoxius, nec certo loco circumscribi potest, §. XXII.

Intellectu quoque praeditus est; cuius obiectum designatur, §. XXIII.

itemque modus, §. XXIV.

Voluntate itidem, eaque libera, gaudet, §. XXV.

Hinc & adfectus, sed mentales, itemque virtutes, recte angelis tribuuntur, §. XXVI.

Pollent quoque potentia, cogitationes suas cum aliis angelis, immo, & cum hominibus, communicandi, §. XXVII.

Porro, potentia agendi in corpora; hinc & varios effectus edendi, sed suis limitibus circumscripta, §. XXVIII.

De

De angelorum numero, ordinibus, & differentia, qua dona tum naturalia, tum moralia, §. XXIX.

Duplex angelorum considerari potest status, tum ante quorumdam lapsum, tum post eum; in priori constituti, donis variis gratiae gauisi sunt, §. XXX.

Post quorumdam lapsum, angeli boni obedientiae praemium consequuti, & in bono confirmati sunt; vnde status gloriae, §. XXXI.

Operationes angelorum in statu gloriae, §. XXXII.

Beneficia, quae Deus per eos in nos confert, grato agnoscenda sunt animo, virtutesque illorum imitandae; nec tamen ipsi cultu religioso prosequendi, §. XXXIII.

Defectio angelorum malorum: primum illorum peccatum in quo constiterit? §. XXXIV.

Principem quemdam angelorum, cum integro exercitu, imperio eius subiecto, defecisse, ex scriptura recte colligitur, §. XXXV.

Per lapsum non tantum dona gratiae amiserunt, sed natura quoque illorum intime corrupta; idque tum ratione intellectus, tum ratione voluntatis, §. XXXVI.

Mali angeli iam in statu damnationis viuunt, sed vt vltimum supplicium illis adhuc immineat, §. XXXVII.

Operationes eorum variae, sed omnes malae, §. XXXVIII.

Speciatim de obsessione corporali, de magia, & de spectris, §. XXXIX.

Non tantum per creationem, sed & per rerum creatarum conseruationem, ac gubernationem, Deus sese manifestat: vnde prouidentia, §. XL.

Hocce nomine quid designetur? §. XLI.

Solus Deus rebus creatis prospicit, & prospicere etiam potest, §. XLII.

Dari prouidentiam, probatur, §. XLIII.

Generatim quaedam obseruantur, vt dubiis omnibus occurri queat, §. XLIV.

Obiectum prouidentiae, sunt res omnes huius vniuersi, etiam minimae, cum primis

primis hominesſpeciatim fideles, §. *XLV.*

Actus prouidentiae diuinae a quibusdam duo conſtituuntur, conſeruatio & gubernatio; ab aliis tres, conſeruatio, concurſus, & gubernatio, §. *XLVI.*

Conſeruatio in quo conſiſtat? §. *XLVII.*

item, concurſus, §. *XLVIII.*

& gubernatio, §. *XLIX.*

Eam prouidentiam, quae ſpeciatim circa hominem verſatur, obſeruare licet circa eius in vitam ingreſſum, §. *L.*

item, circa progreſſum in vita, & quidem circa actiones tum bonas, tum malas, diuerſa tamen ratione, §. *LI.*

tandem & circa egreſſum e vita; vbi de vitae humanae termino, §. *LII.*

Finis prouidentiae diuinae, §. *LIII.*

Fontes errorum, hic occurrentium, & quidem in doctrina de creatione, §. *LIV.*

de ſpiritibus, §. *LV.*

de prouidentia, §. *LVI.*

Verae doctrinae in hiſce capitibus conſeruatio & propagatio, §. *LVII.*

Quem in vitae chriſtianae praxi vſum habeat doctrina de creatione, §. *LVIII.*

de angelis, §. *LIX.*

de prouidentia, §. *LX.*

§. I.

INter opera, quibus Deus hominibus ſeſe manifeſtauit, totus ſtatim ſe nobis offert mundus, creatoris ſui & potentiam, & ſapientiam arguens, *Rom. I, 20.* Hoc vero vt eo rectius intelligatur, primo quidem, ceu longe euidentiſſimum adſumimus, mundum huncce, prout nunc eſt, neutiquam ſemper exſtitiſſe, ſeu non fuiſſe aeternum. Hoc quippe & ratio docet, & ſcriptura confirmat.

§. II.

Immo, nec materiam, ex qua mundus hicce adspectabilis ortus est, aeternam esse, sed initium habuisse, & ipsa ratio nos condocet, & luculentius adhuc scriptura testatur. Initium autem aliter habere non potuit, quam per creationem. *

* Materiam, ex qua mundus ortus est, non semper exstitisse, adeoque aeternam non esse, ipsa quoque omnes condocet ratio, si modo ad eam attendere velint. Primo namque manifestum est, ad essentiam materiae non pertinere exsistentiam necessariam. Nec enim in eius conceptu quidquam deprehenditur, quod eam inferat. Nulla quoque prorsus adferri ratio potest, cur ea, quae nunc exsistit, semper exsistere debuerit, aut cur non exsistere nequeat. Praeterea, si omnes materiae proprietates, extensionem, diuisibilitatem, facultatem recipiendi motum, consideres, nihil, quod exsistentiam necessariam inferat, in iis deprehendes. Neque tantum ex conceptu materiae necessaria exsistentia non sequitur, sed, si rem omnem adcurate aestimes, eidem vel maxime repugnat. Exsistentia enim necessaria vti summa perfectio est, ita non potest non attributum esse entis omnium perfectissimi. At materia cum plurimis imperfectionibus laboret, quod vel ex comparatione eius cum spiritu adparet, non potest pro ente omnium perfectissimo haberi. Ergo nec attributo, quod enti perfectissimo tantum competit, seu exsistentia necessaria gaudet. Nec est, quod regeras, si vel maxime materia non exsistat necessario, sufficere tamen, quod semper exstiterit. Quodsi enim hoc negem, vnde probabis? Immo, non exstitisse, ex eo colligere licet, quod mundus hicce non semper exstiterit. Etenim, si materia

ria ab omni aeternitate, atque per infinita iam saecula fuit, aut & mundum ab omni aeternitate fuisse concedendum, aut ratio danda, cur in certo temporis articulo demum exstiterit. Posterius cum atheus facere nequeat, nisi ad ineptias de exustionibus & diluuiis recurrere velit, prius autem plane absonum sit, & a praestantissimis philosophorum reiiciatur; nihil aliud supereſt, quam vt concludamus, materiam non semper exstitisse. Quod ratio ipsa hic docet, luculentius adhuc scriptura sacra confirmat. Dum enim ex nihilo hocce vniuersum productum adserit, materiam quamdam, aut simile quid ab aeterno fuisse, negat. Ex nihilo autem mundum huncce productum, ex primis Mosis verbis, quibus historiam creationis incipit, condiscimus: *in principio creauit Deus caelum & terram, Gen. I, 1.* Vera enim & genuina verbi ברא notio est, rem aliquam nouam & inusitatam, solo nutu & imperio, adeoque per potentiam infinitam & vere diuinam producere. Sic *Num. XVI, 30.* Moses dicit: בריאה יברא, *creationem creabit dominus*, i. e. rem nouam planeque insolitam diuino nutu & potentia sua edet, dum faciet, vt ima terrae dehiscant. Pari ratione & Ieremias: ברא יהוה חדשה בארץ *creabit dominus rem nouam in terra, cap. XXXI, 22.* hoc est, iubebit, vt aliquid exsistat, cuiusmodi quid numquam antea exstitit. Istud vero vt prorsus in creationem ex nihilo quadrat, ita propriam hanc atque genuinam vocis istius significationem esse, manifestum est. Et secundum hancce intelligitur etiam, quo pacto de balaenarum, aliorumque animantium productione *Gen. I, 21.* itemque de productione hominis adhibeatur, *v. 27.* Id vero, quod diximus, de coniugatione *Kal* est intelligendum: cum enim verbo-

rum significatio pro diuersitate coniugationum mutetur, loca, in quibus idem verbum occurrit, sed in coniugatione *Niphal* aut *Piel*, nos non feriunt. Atque propriam hancce & genuinam verbi istius significationem, *Gen. I, 1.* obtinere, ex reliquis etiam, quae ibidem Moses commemorat, luculenter euincitur. Dicitur enim בראשית *in principio creauit.* Cuius quidem vocis בראשית cum diuersae sint interpretationes, id tamen positum extra dubium, eam vertendam, *in principio*, seu *initio.* Principium autem, siue initium, cum relationem, vel aliud quid connotet, hic non potest non intuitu originis rerum omnium, accipi, vt sensus sit: in rerum omnium initio, cum hactenus nihil quidquam a Deo creatum esset, adeoque nihil praeter Deum exsisteret. Si ergo nihil praeter Deum exstitit, cum Deus mundum conderet, sequitur, eum ex nihilo conditum esse, idque adeo voce ברא innuere Mosen. Idem denique & ex vocibus, *caelum & terra*, quae in principio Deus creasse dicitur, comprobatur. Scio equidem, & hasce non vna eademque ratione ab omnibus explicari; sed praeferenda, tamen illorum sententia, qui iis complexum totius vniuersi, sed nondum digesti, atque ornati, significari contendunt. De terra enim statim Moses addit, quod fuerit *res informis, atque inanis.* De ipsa ergo substantia, adeoque & materia caeli & terrae, quod antea dixerat, intelligendum, quae aliter, quam per productionem ex nihilo creari non potuit. *Ebr. XI, 3. Rom. IV, 17. Ioan. I, 3.*

§. III.

Per creationem itaque, rei cuiusdam, quae hactenus nondum exstitit, productionem, infinita Numinis potentia factam, intelligimus.

gimus. Cum autem quaedam res omnino non fuerint, vt materia, * & ſpiritus; quaedam non id fuerint, quod poſtea factae ſunt; ** omnes quidem ex nihilo factae ſunt, ſed hae mediate; *** illae immediate.

* Seu id, quod Moſes *Gen. I, 1. caeli & terrae* nomine comprehendit. Vbi non deſunt, qui priorem vocem, ſpiritus ſimul, ſeu angelos, caelorum incolas, denotare contendunt.

** Vt reliqua ſex dierum creationis opera.

*** Ex materia ſcilicet illa, quam primo creationis die Deus ex nihilo produxerat, ſed hactenus inhabili, & ex qua virtute nulla naturali tale quid produci potuiſſet. Vnde & haec creatio infinitam ac vere diuinam potentiam arguit.

§. IV.

Is, qui omnia creauit, Deus eſt, & quidem ſolus; ſiquidem hocce charactere vel maxime a diis falſis diſtinguitur, *pſalm. XCVI, 5. Ierem. X, 11. 12.* * Nemo namque, cum mundus conderetur, praeter Deum exſtitit: nemoque ea pollet virtute, quae ad creationem, ſeu productionem rerum ex nihilo requiritur. Potentiam enim infinitam, quae hoc efficere queat, eſſe neceſſe eſt, ** quae, vti ſoli Deo propria eſt, ita & inde ſequitur, vim aliquid creandi, nulli rei creatae tribui, aut cum ea communicari poſſe. ***

* Hinc & Deus ſubinde ſibi ipſi, & quidem ſoli, caeli terraeque creationem vindicat. *Attollite*, inquit, *in ſublime oculos veſtros, & videte, quis creauerit iſta, producens numero ſuo exercitum ipſorum &c. annon nouiſti? annon audiuiſti, Deum aeternum, Iehouam,*

bouam, creatorem extremitatum terrae non defetiſci neque defatigari? Eſ. XL, 26. 28. Ego Iehouah facio omnia, extendo caelos ſolus, expando terram per me ipſum; cap. XLIV, 24. conf. & *cap. XLII, 5. XLV, 6. 7.* item *Iob. IX, 8.* Eamque ob cauſſam & paſſim in veteris teſtamenti libris verus Deus ita deſcribitur, quod ſit creator caeli & terrae; *pſalm. CXXI, 1. 2. CXXIV, 8. CXXXIV, 3.* Sic & apoſtoli cum ſuis Deum ita adloquuntur: *Tu es Deus, qui feciſti caelum & terram, & mare, & omnia, quae in iis ſunt; actor. IV, 24.*

** Idque & ſcriptura confirmat, ſummam & immenſam virtutem eſſe, docens, qua creata ſunt omnia, *Eſ. XL, 26. Ierem. XXXII, 17.*

*** Eximenda tamen humana Chriſti natura, in hypoſtaſin diuinam filii Dei adſumta. In ea enim cum πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς habitet, *Coloſſ. II, 9.* cum reliquis attributis diuinis eidem & potentia aliquid creandi, ſeu ex nihilo producendi, per vnionis perſonalis gratiam recte adſeritur. Quam diuinam virtutem in variis etiam miraculis demonſtrauit.

§. V.

Sicut autem Deus eſt pater, filius, & ſpiritus ſanctus, ita non tantum pater, ſed filius quoque ac ſpiritus ſanctus, ſeu omnes trinitatis perſonae, mundum crearunt. Hinc & in ſcriptura ſacra non tantum patri, *Rom. XI, 36.* & *I. Cor. VIII, 6.* ſed & filio, *Ioan. I, 3. Epheſ. III, 9. Coloſ. I, 16. Ebr. I, 2.* atque ſpiritui ſancto, *Gen. I, 2. pſalm. XXXIII, 6. Iob. XXXIII, 4.* tribuitur. Quod non ita capiendum, ac ſi pater filio aut ſpiritu ſancto, tamquam inſtrumento vſus ſit, ſed, quod

quod filius ac spiritus sanctus, non minus quam pater, propria virtute, cum patre, mundum condiderit.

§. VI.

Modum creationis nemo mortalium intellectu suo adsequutus fuerit, qua scilicet ratione ex nihilo aliquid factum sit. Quo quidem intuitu creatio inter mysteria recte refertur, quae non ratione cognoscuntur, sed fide creduntur; *Ebr. XI, 3.* Sufficit itaque scire, quod scriptura sacra nos hac de re condocet, solo diuinae voluntatis iussu hanc rerum omnium ex nihilo productionem factam, siue, quod perinde est, verbo, vel nutu diuino; *Gen. I, 3. pſ. XXXIII, 9. apocal. IV, 11.*

§. VII.

Qui modum creationis per emanationem ex essentia diuina explicare volunt, non tantum scripturae suffragio destituuntur, nihilque lucis rei, intellectus nostri vim multum superanti, adfundunt, sed & erroneis, atque ad summam impietatem facile abituris de Deo conceptibus, occasionem praebent. Quando autem scriptura omnia ex Deo esse docet, hoc solum indicat, mundum ex nulla materia antea exsistente conditum esse, adeoque non tam materialem, quam efficientem causam designat. *

* Atque ita intelligendum, quod Paulus apostolus

dicit : ὅτι ἐξ αὐτῦ, καὶ δι αὐτῦ, καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα, *Rom, XI, 36.* Particula namque ἐξ non cauſſam, quam vocant, materialem, ſed operantem, ſeu efficicientem, denotat; quod & alias non eſt inſolens; conf. *I. Corinth. I, 30.* Nec tamen ſine ratione particulam ἐξ hic adhibuit, ſed indicare voluit, res omnes ita a Deo eſſe, vt ex nulla materia, ſed ex nihilo, ab eo ſint productae. Data opera itaque ita loquutus videtur, vt ſimul eorum, qui materiam Deo coaeternam ſtatuebant, profligaret errorem. Dum vero porro addit : & δι αὐτῦ ; indicat eadem ratione, Deum ita mundum condidiſſe, vt nullo inſtrumento indigeret, cum per ſe ipſum etiam omnia fecerit; quemadmodum & omnia ad ſuam gloriam, ſapientiam, potentiamque manifeſtandam fecit, vnde dicitur: εἰς αὐτὸν. Ea ratione de Deo trinuno, ſeu omnibus ſimul trinitatis perſonis haec capi poſſunt: quamuis iis refragari nolim, qui, ſimul eum, voce ἐξ αὐτῦ ad patrem, & voce δι αὐτῦ, ad filium, & voce εἰς αὐτὸν ad ſpiritum ſanctum reſpicere, exiſtimant.

§. VIII.

Non minus tamen & illi, vltra, quam decet, ſapiunt, qui, poſita materia, motuque, & huius certis legibus, cuncta in iſtam, quam hodie conſpicimus, formam, per ſolas iſtas naturae leges diſponi, ac produci potuiſſe, aut omnino diſpoſita ac producta eſſe, contendunt; creationem in naturalem quamdam generationem commutantes, immo, hoc agentes, vt Deum ſenſim ab opere creationis remoueant, mundumque & ſine Deo fieri potuiſſe, ſibi aliisque perſuadeant.

§. IX.

§. IX.

Etsi Deus vnico momento omnia creare potuisset, placuit tamen ei, sextiduum operi huic impendere; qua de re & eo minus dubitandum, quo clarius historia Mosaica, allegoricis interpretationibus neutiquam obscuranda, hoc commemorat. Ad singula autem singulorum dierum opera quod attinet, quamuis non desint, qui ea, quae ex materia, primo die iam producta, adeoque per motum quemdam facta sunt, temporis quodam interuallo, sed vnius diei spatium non excedente, creata fuisse, existimant; scripturae tamen verbis, & ipsius creationis indoli conuenientius est, si haec quoque aeque ac primi diei opus, singulis diebus in vnico temporis momento producta adseramus.

§. X.

Primi diei opera sunt, *caelum* & *terra*, itemque *lux primigenia*, quae diei & noctis discrimen constituerit, donec sol & luna, ceteraeque stellae lucem suam telluris nostrae incolis praeberent. Caeli autem & terrae nomine totus huius vniuersi complexus venit, priusquam cuncta in ordinem redigerentur, & res quaelibet suo disponeretur loco. Mundum ipsum dixeris, etsi nondum exornatum, atque in suas classes & exercitus distributum; * qui, num ratione extensionis infinitus dici queat? a-

criter disputatum fuit. Quod quidem, si intuitu nostrae cognitionis adseratur, seu, quod mundi non capiamus limites, adfirmari potest. Secus autem si intelligatur, seu quod mundus in se spectatus infinitus sit, eo minus admittendum, quo propius haec sententia ab illorum impietate, qui, quae Dei sunt, mundo tribuunt, abest.

* Etsi nonnulli per *caelum* & *terram* nihil aliud, quam rudem quamdam & indigestam materiae molem, seu chaos, intelligant; dissentiunt tamen alii, & caelum atque terram sub forma sua substantiali, & hoc modo complexum totius vniuersi, a Mose hisce vocibus designari, adserunt. Nec sine ratione, vt puto. Propria enim vocabulorum, *caeli* & *terrae*, hoc requirit significatio, a qua non temere discedendum esse, omnes fatentur. Nec praetermittendum, quod Moses cum ה emphatico dicat: את השמים ואת הארץ, *hoc caelum & hanc terram*. Hoc autem omnino ita capiendum, quod simul ipsa materia, & quidem ex nihilo producta fuerit; & quod caelum atque terra ordinata dispositione, atque ornatu adhuc fuerit destituta; quia de terra statim addit Moses: *& terra erat inanis & vacua*. Cum terra autem simul coniuncta erat aqua, quippe quae terram adhuc tegebat, & inuoluebat, adeoque simul cum terra ex nihilo producta erat. Ad lucem primigeniam, quam Deus itidem primo die creauit, quod attinet, variae itidem de ea exstant doctorum virorum veterum & recentiorum sententiae, quas apud DIONYSIVM PETAVIVM legere licet; *dogmat. theol. tom. III. de opificio sex dierum, lib. I, cap. VII. p. 133.* itemque apud IO. HENRICVM HOTTINGERVM, in *hist. creat. examine theo-*

theologico-philolog. quaeſt. XXXVIII. pag. 57. Corpus aliquod lucidum intelligi, cuius ortus & occaſus triduum emetiretur, donec ſcilicet ſolem, lunam, ceterasque ſtellas Deus crearet, longe eſt veroſimillimum. Valde etiam probabile eſt, ex corporis iſtius materia, ſolem, ſtellasque fixas, vtpote proprio lumine gaudentes, creatas eſſe.

§. XI.

Tum porro Deus aquas inferiores, ſeu quae in tellure noſtra remanere debebant, a ſuperioribus, ſeu nubibus, interpoſito expanſo aëreo, ſeparauit, atque ita caelum aëreum conſtituit; cui adeo & meteora aërea, & quaecumque aëri originem debent, tribuenda; idque ſecundi diei opus fuit. * Quam luculenter haec & ſapientiam, & potentiam Numinis arguant, & experientia teſtatur, & ſcriptura paſſim docet; *pſalm. CXXXVI, 5. ſeq. Ioh. XXXVII, 1. ſeq. eccleſiaſt. XL, 33. ſeq.*

* Vocem רקיע recte per *extenſum* ſeu *expanſum* reddi, notum eſt; eaque omnino hic locum inuenit ſignificatio, quia Deus נטה שמים כיריעה, *extendit caelum inſtar cortinae, pſalm. CIV, 2.* Ad rem ipſam quod attinet, licet & hic magnopere viri docti diſſentiant, quid per *expánſum* Moſes intelligat, vix tamen dubitari poteſt, quin eodem caelum, quod aëreum vocatur, ſignificetur. Cum enim tellus, vt antea iam monuimus, ita producta eſſet, vt aquis inuoluta eſſet, fierique vix aliter poſſet, quam vt aquae ſimul denſiores nebulae incumberent: Deus ſecundo creationis die haec ita ſeparauit, vt nebulae iſtae ſurſum ſublatae in nubes conden-

densarentur; subtiliores autem partes magis magisque expansae ac dilatatae aërem constituerent, qui adeo רקיע siue *expansum* illud erat, de quo Moses loquitur. Atque hinc porro intelligitur, quo pacto Deus aquas מעל *desuper* expansum, seu in parte superiori, ab aquis מתחת *ab infra* seu in parte inferiori, diuiserit. Per *aquas* enim *supra expansum*, quin nubes intelligat, eo minus dubitandum, quod & alibi scriptura sacra ita de nubibus loquatur. *Constringit aquas*, inquit Iobus, *in nubibus, vt non findantur nubes sub ipsis; cap. XXVI, 8.* conf. *psalm. XVIII, 12. Ierem. X, 13.* Accedit porro, nostramque sententiam confirmat, quod aquae, & quidem proprie sic dictae, supra caelum aethereum admittendae sint, si nubes intelligere nolis. Et admittunt sane plurimi, simulque de ipsis illis aquis supra-caelestibus, & earum vsu multa, satis interdum inepte, disputant; sapientioribus tamen hasce nugas hodie explodentibus.

§. XII.

A caelo ad terram ipsam nos deducit tertii diei opus.* Tum enim genuina facies telluris adparuit, aquis in certos sinus, seu alueos collectis, reliquis terrae partibus aqua nudatis, aptisque adeo, vt ab hominibus ac animantibus terrestribus inhabitari possent. ** Distincta quoque iam tum fuit telluris superficies, per montes & valles, decus non tantum & ornamentum, sed commoda etiam plurima telluris incolis adlaturos. Id quod & scriptura testatur, *Gen. VII, 20. prouerb. VIII, 24. seq.* *** Ingentes simul thesauros terra exhibuit, intus quidem metallorum varia genera, * in

super-

ſuperficie autem herbas, arbores, frutices; & haecce corpora ſeminibus inſtructa ſuis, vt ſe multiplicare poſſent. ** Quae eo comparata ſunt, vt creatoris intelligamus benignitatem, nec tamenad noſtram perniciem illis abutamur.

* Quae diuinus ſcriptor *v. 9.* & *10.* de aquarum inferiorum collectione docet, a nonnullis adhuc ad ſecundi diei opera referuntur. Putantque, hac ratione etiam ſolui dubium poſſe, quod moueri ſolet, cur ſecundi diei operi ſollemnis illa adprobationis diuinae formula: *vidit Deus, quod eſſet bonum*, non addatur. Accedere aiunt, quod ſi hac ratione opera creationis non diſtinguantur, non tantum ſecundus dies iſta formula deſtituatur, ſed in tertii diei opere eadem bis repetatur, quod parum illis credibile videtur. Hinc & plurimis haec ſe adprobauit ſententia, vt DIONYSIO PETAVIO, *dogm. theol. tom. III. de opificio ſex dierum, lib. I. cap. XIII. p. 150.* IO. COCCEIO, ad *Iob. XXXVIII, 3.* IO. HENR. HEIDEGGERO, in *corpore theologiae chriſtianae, loc. VI. §. LIV. p. 205.* itemque GVIL. SALDENO, qui ex inſtituto hocce argumentum tractat, *otior. theol. lib. II. exercit. IV. §. II. ſeq.* Alii tamen non temere a recepto ordine ſibi diſcedendum putant, formulam adprobationis diuinae ſecundi diei operi ideo non additam, contendentes, quod collectio aquarum inferiorum, quae tertio die fuerit facta, velut continuatio quaedam fuerit, operis ſecundi diei. Moſen itaque, poſtquam integrum opus diuiſionis & collectionis aquarum ſecundo tertioue die abſolutum eſſet, tum demum formulam addidiſſe, quae adeo ad vtriusque diei opus pertineat.

** Collectio iſta aquarum ita haud dubie facta, vt ſimul terra hinc inde ſubſidendo, colles & mon-

tes,

tes, itemque alueos capaciſſimos, cauernas etiam, & meatus varios ſubterraneos, ad omnes aquas recipiendas, certisque locis includendas, formaret. De aquarum namque collectione quod dicitur, vt de fluuiis etiam, fontibusque, & aquis ſubterraneis intelligamus, par eſt. Et recte ſane diuinus ſcriptor dixit, congregatas eſſe aquas *in vnum locum*. Omnia enim maria, immo omnes fluuii & fontes, vnum velut corpus conſtituunt, & vnum locum occupant, dum per continuos ductus & canales inter ſe iunguntur. Hinc & aquarum omnium in hacce tellure veluti circulatio quaedam conſpicitur, dum omnia flumina in mare abeunt, & ex eo iterum oriuntur; vti & Salomoh teſtatur, *Kohel. I, 7.* Interim & recte Moſes dicere potuit, aquas hoc modo in vnum locum collectas, a Deo dictas ימים *maria*; eo quod mare in diuerſis telluris partibus adparet, hinc & diuerſas, pro locorum, quae adluit, diuerſitate, ſortitur adpellationes. Fontium autem & fluminum vt ſpeciatim iniiceret mentionem, neceſſe non erat, cum ex mari, vt antea diximus, originem trahant, & in illud iterum reuertantur. Quo pacto autem fieri queat, vt per meatus ſubterraneos, ad loca vsque adeo a mari remota, in quibus fontes exſiſtunt, & maximis ſubinde fluminibus originem praebent, tanta aquae copia deuehatur; quod dubium huic vel maxime obſtare ſententiae, & ipſe olim exiſtimaui, in *element. philoſ. theoret. part. III. cap. I. §. XX.* intelligere ex iis licet, quae EDMVNDVS DICKINSON hac de re diſſerit, in *phyſica veteri & vera, cap. VIII. p. 101. ſeq.*

*** Inaequalis nimirum illa telluris ſuperficies, quam montes, vallesque conficiunt, vt antea diximus, exorta ſtatim eſt, cum Deus aquam a terra ſepararet, & illi in terra certa receptacula adſignaret.

* Cum

* Cum nemo temere negauerit, metalla & minerallia a Deo quoque, vt reliqua corpora, condita esse; quin tertio die simul cum terra, cuius quippe velut partem constituunt, producta sint, non est, quod dubitemus. Nec ratio reddi potest, cur ad alium potius, quam ad tertium diem eorum referenda sit productio. Diserte autem quod Moses metallorum mentionem non fecerit, inde haud dubie factum, quod sub terrae nomine ea simul, ceu partem, vel connexum eius comprehenderit; forte etiam, quod ei constitutum tantum fuerit, ea describere, quae in oculos incurrunt.

** Tria vegetabilium genera in terrae superficie distincte Moses commemorat; דשא *herbam teneriorem*, עשב *herbam grandiorem, seminificantem semen*, hoc est, semen ea ratione proferentem, vt conspici vel deprehendi queat; & denique *arborem, fructum ferentem, fructum speciei suae.* Sub *herbae* nomine haud dubie etiam omnia florum genera complectitur. Quando autem Deum dixisse scribit: תדשא *emittat terra*; non ita hoc capiendum, ac si Deus ipse herbas, arboresque non creauerit, sed terrae solum virtutem eas proferendi indiderit. Praeterquam enim, quod *v. 24.* de animantium productione eodem modo dicitur: תוצא, *exire faciat terra*, etiam *Gen. II, 5.* Moses diserte adserit: *Deum ipsum fecisse omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis, priusquam germinaret*; per naturalem scilicet generationem. Nullum vero etiam est dubium, quin Deus spinas, tribulos, & herbas noxias & venenatas simul produxerit. Nihil quippe in his est, quod non in se spectatum, bonum sit. Intuitu hominum quandoque mala fiunt; sed post illorum lapsum. In statu integritatis si mansissent, nihil

inde

inde accepissent damni. Rerum omnium namque naturam, indolemque, adeoque & vim ac efficaciam herbarum ita perspectam habituri fuissent, vt, quidquid in illis noxium, facili ratione potuissent euitare.

§. XIII.

Vt porro incolis telluris eo rectius prospiceret, die quarto solem & lunam, ceterasque stellas non tam adparere voluit, quam reuera creauit; * certumque, eumdemque constantissimum motum, illis indidit, vt temporum mensura inde caperetur; ** quod hominibus ad vitam ordinate instituendam, oppido erat necessarium. Nec errabimus, si inde exemplum capiamus, quod nos condoceat, a nobis quoque cuncta certo ordine esse peragenda, nec eum, quem Deus ipse praescripsit, vmquam negligendum.

* Per *lumina* Mosen generatim omnes stellas intelligere, res ipsa docet: immo, & deinceps *v. 16.* diserte כוכבים *stellae* vocantur. Inter stellas autem, cum sol & luna, intuitu nostrae telluris eminent, hinc & speciatim a Mose commemorantur, vocanturque *lumina magna*. Atque solem quidem ita recte dici, dubio caret. Luna autem non in se spectata, ita vocatur, ac si magnitudine reliquas stellas superet; sed intuitu incolarum nostri orbis, quibus ob propinquitatem, reliquis stellis, si a sole discesseris, maior videtur. Hinc & rursus cum sole comparata, ab ipso Mose המאור הקטן, *luminare paruum*, adpellitatur.

** Hoc

** Hoc diserte Moses indicat, quando dicit, Deum iussisse, vt lumina in firmamento exsisterent: *ad diuidendum inter diem, & inter noctem*, item: *vt sint in signa, & in tempora, & in dies, & annos.* Est equidem siderum caelestium, speciatim solis & lunae, adhuc alius vsus, siquidem lucem, sine qua nemo in tellure nostra commode viuere posset; sol insuper etiam calorem, hominibus praebeant. Sed hoc cum nemini ignotum sit, finem, ad quem non omnes aeque attendunt, & qui summam non minus conditoris sapientiam arguit, Moses indicare voluit. Sol namque, atque luna, motu suo constantissimo, quo certas periodos circumscribunt, annos, menses, & dies conficiunt; quibus omnia temporis interualla quam adcuratissime distingui possunt. Ista vero temporum distinctione si carerent homines, summa in toto orbe futura esset confusio. Atque hinc etiam dicitur, lumina haec a Deo condita, vt essent לאותות *in signa*, hoc est, vt signa inde homines caperent, quo quidue tempore, quo ordine agendum sit; itemque למועדים, *in statuta tempora*, vt si certi dies negotiis quibusdam destinandi sint, hoc iterum secundum istam temporum distinctionem commode fieri posset. Nec abnuerim, Mosen ad dies festos Israelitarum hic respexisse, qui & in hacce gente haud leue temporis discrimen constituebant; conf. *ecclesiast. cap. XLIII, 7. 8.*

§. XIV.

Aquae aerisque incolas, hoc est, animalia, & aquatilia, & volatilia, die quinto Deus produxit; & vtrumque hocce viuentium genus facultate sese multiplicandi instruxit. * Ceterum, corpora illorum ita constituxit, vt indoli eorum, locisque, in

quibus iis degendum esset, nutritioniue, conseruationi, atque propagationi essent aptissima; argumentum longe pulcherrimum, creatoris sapientiam admirandi, hominibus exhibens.

* De aquatilibus dicitur: ישרצו המים שרץ *repere faciant*, hoc est, effundant, progignant, copiose producant *aquae reptile*, *cui insit anima viuens*; *v. 20.* Vbi, quin per *reptile* pisces intelligat cuiusuis generis, nullum plane est dubium. Animantia enim, quae sese mouent, & pedibus tamen destituuntur, aut saltem breuioribus gaudent, repere dicuntur. Hoc si non placeat, dicendum, significationem vocis ebraeae שרץ latius patere, quam latinae, *reptile*; nec in lingua latina, forte nec in aliis, vocem reperias, quae ebraeae vocis significationem adcurate exprimat. Pisces autem hic intelligi, eo minus dubitandum, quod Moses statim subiungit; *& creauit Deus cete grandia.* Solos nimirum cetos speciatim memorat, quod in istis stupendae magnitudinis belluis summa Numinis potentia vel maxime elucescat; simul vero &, reliqua piscium genera a Deo creata, significat. De voce תנינים conf. SAM. BOCHARTVS, *hieroz. part. I. lib. I. cap. VII.* Ad volatilia quod attinet, sunt, qui verba Mosis ita capiunt, ac si aeque ac aquatilia, ex aqua producta sint. Verba enim textus ebraei vulgatus interpres ita transtulit: *producant aquae, reptile animae viuentis, & volatile super terram, sub firmamento caeli.* Sed verba ebraea: ועוף יעופף ita potius reddenda, *& volatile volitet supra terram.* Sunt equidem rursus, qui, vt sententiam istam, volatilia ex aqua producta esse; cui plurimi veterum, BASILIVS, AMBROSIVS, HIERONYMVS, AVGVSTINVS, IO. DAMASCENVS, aliique,

aliique, Romanenſes praeterea, in gratiam verſionis vulgatae, nonnulli quoque ex noſtratibus, ſuffragantur; defendant, pronomen relatiuum hic ſubintelligendum, contendunt, vt ſenſus ſit: *& volatile*, (quod) *volitat ſuper terram.* Sed nulla nos praegnans vrget ratio, vt ellipſin eiusmodi admittamus; quod & non temere faciendum eſſe, in confeſſo eſt. Nec ſine ratione nonnulli monent, Moſen, diſtincte aquatilium, volatilium, & terreſtrium animalium creationem commemorando, non tam materiam, ex qua creata ſunt, indicare voluiſſe, quam locum, hiſce animalium generibus praecipue deſtinatum. Nec commode materia deſignari poteſt, cum in cunctis animalibus multum ſit materiae terreſtris, etſi in quibusdam plus, in aliis minus, ſimul & aqueae, quod liquores teſtantur, pariter ac igneae, aëreaeque. Volatilia autem ex aqua non eſſe producta, inde quoque conſtat, quod Deus *ex terra omnes beſtias agri, & omnes volucres caeli formaſſe*, adſeratur, *Gen. II, 19.*

§. XV.

Animalia terreſtria, reptilia pariter ac quadrupedia, eaque tum domeſtica ſeu manſueta, tum ſilueſtria, ſeu fera, die ſexto produxit; * de quibus, quod de aquatilibus volatilibusque diximus, itidem eſt obſeruandum.

* Verba Moſis ſunt: *Producat terra* נפש חיה *animam viuentem, ſecundum ſpeciem ſuam; v. 24.* Per *animam viuentem* quodlibet animal intelligit; cum animal eiusmodi ſubſtantia ſit, quae anima viuente eſt praedita. Quaenam autem animalia iſta ſint, quae ſexto die ſunt producta, ſtatim ipſemet explicat: בהמה *iumentum*, רמש *reptile*, & חית הארץ

beſtia terrae. Vox בהמה alias brutum quoduis ſignificat, neque non, terreſtre quadrupes, viuiparum aliquantae molis; ſed quando חיה τῷ opponitur, *iumentum*, ſeu *animal domeſticum* denotat, vt SAM. BOCHARTVS obſeruauit, *hieroz. part. I. lib. I. cap. II.* Vox רמש, vt idem BOCHARTVS oſtendit, quoduis animal denotat, quod neque quadrupes aliquantae molis, neque auis, neque piſcis eſt; *hieroz. part. I. lib. I. cap. IV.* Hinc Moſes minima quadrupedum, mures & talpas, *Leuit. XI, 29.* reptilibus adnumerat. Tertiam animalium terreſtrium ſpeciem Moſes vocat: חיתו ארץ *beſtiam terrae*; quo nomine, ſecundum ea, quae iam obſeruauimus, feram beſtiam, quae in ſiluis aut locis deſertis degit, deſignat.

§. XVI.

Eodem die ſexto Deus hominem quoque, opere, inter res mundi huius adſpectabiles, longe nobiliſſimo, creationi finem impoſiturus, condidit, * ea quidem ratione, vt corpus eius ex terra formaret, digniſſimum menti praebiturum domicilium; ** animam autem, ceu ſpiritum, adeoque materiae expertem, ipſemet naribus eius inflaret. *** Duos praeterea tantum homines, marem & feminam, ſeu Adamum & Euam creauit, a quibus vniuerſum hominum genus eſſet propagandum.*

* *Gen. I, 26. II, 7. 18. ſeqq.*

** Hominem, qua corpus ſpectatum, ex terra formatum, teſtatur Moſes: *& formauit Deus hominem*, עפר מן האדמה, *puluerem ex terra.* Vbi quidem nonnulli transpoſitionem particulae מ admit-

mittendam censent, vt sensus sit: *ex puluere terrae.* Sed retineri etiam prior verborum ordo potest, eo modo, quo & *Gen. III, 19.* Deus Adamum adloquitur: עפר אתה *puluis es tu, & in puluerem reuerteris.* Indicare nimirum Moses voluit, Adamum qua corpus spectatum, puluerem esse, seu, corpus ex terra conflatum habere; siquidem ex terra a Deo creatus esset.

*** Cum corporis creationem Moses descripsisset, distincte etiam de animae productione agit, adseritque, inspirasse Deum in nares hominis נשמת חיים *animam vitarum*, & sic factum esse hominem לנפש חיה *in animam viuentem*, *Gen. II, 7.* Vbi quidem obseruandum, vocem נשמה subinde de *respiratione, halitu, flatu, adflatu* vsurpari; saepius tamen cum de homine adhibetur, animam eius rationalem denotat; conf. *prouerb. XX, 27.* Certe, hoc loco aliquid distinctum a corpore ea voce significari, res ipsa docet. Non enim, vt de brutorum, ita & de hominis creatione Moses loquitur, vt animae, corporisque creationem coniungat, sed primo de corporis, tum de animae productione verba facit, vt significet, plane diuersum quid a corpore esse animam. Praeterea, cum Deus ipse hanc *animam vitarum* in nares hominis inspirasse dicatur, non potest vtique materiale quid intelligi. Cum enim Deus spiritus sit, inspiratio quaedam materialis de eo cogitari nequit. Quando autem Deus homini inspirasse dicitur נשמת חיים *animam vitarum*, voce חיים in multitudinis numero posita, indicatur, non vegetatiuam tantum ac sensitiuam vitam in homine esse, vt in brutis atque plantis, sed aliam adhuc, scilicet rationalem. Haud obscure ergo diuinus scriptor docet, vnam quidem in homine esse animam, sed eam diuersis potentiis,

seu facultatibus esse instructam. Additur denique, & ita factum fuisse hominem לנפש חיה *in animam viuentem*. Quibus quidem vocibus cum Moses etiam de animantibus brutis vsus sit, hic tamen pro conditione subiecti, de quo sermo est, intelligendae sunt, vt eiusmodi anima viuens, quae homini propria sit, indicetur. Vox equidem נפש, &, quae ei apud Graecos respondet, ψυχὴ, ita plerumque sumitur, vt principium motuum, atque operationum naturalium in quouis animali, qualecumque demum istud sit, significet. Hinc & נפש הבשר *anima carnis* (animalium brutorum) *in sanguine eius* esse dicitur, *Leuit. XVII, 11.* Interdum tamen & pro mente, tamquam principio operationum rationalium adhibetur, vt *psalm. XXXV, 3.* alibique. Atque ita non tantum originem, sed naturam simul, indolemque animae, nos Moses condocet. Intelligere namque ex eius verbis licet, 1) non plures, sed vnam animam habere hominem, quae potentiis seu facultatibus variis sit instructa; 11) eam non ex essentia diuina genitam, sed per inspirationem ex nihilo productam; 111) adeoque nec ex materia quadam creatam, hinc & materiae expertem, simulque & immortalem esse.

* Nemo hac de re dubitabit, nisi qui omnem erga sacras litteras venerationem exuit. Prae-Adamitas ISAACI PEYRERII, hominis cum ratione insanientis, quos in *exercitat. super Rom. V, 12. 13. 14.* itemque in *systemate theologico ex prae-Adamitarum hypothesi*, in scenam produxit, plurimi iam profligarunt. In loco, ad quem praecipue prouocat, *Rom. V, 12. 13. 14.* nullum caussae suae praesidium inuenit; siquidem illi, qui non ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς παραβάσεως Ἀδὰμ peccarunt, non prae-Adamitae sunt, sed posteri Adami. His enim cum ex ipsa natiuitate labes originalis

nalis adhaereat, non eadem vtique, qua Adamus, in ſtatu integritatis conſtitutus, ratione peccant. Repugnat vero tam illepido commento non tantum narratio Moſaica, ſed Paulus quoque, ex *vno ſanguine* omne genus hominum exortum eſſe, condocens, *actor. XVII, 26.*

§. XVII.

Quae Deus creauerat, tam perfecta, tamque concinna, & apte diſpoſita erant, vt ipſemet non poſſet non ea adprobare. Erant enim *valde bona; Gen. I, 31.* * Et licet tum ex animantibus, tum ex reliquis rebus creatis, quaedam poſt lapſum homini ſint noxia; id tamen, vt hominum culpa factum, ita, ſi in ſe ſpectentur, nihil in iis, quod malum aut imperfectum dici debeat, deprehenditur. ** Omnibus autem rite & ex voto peractis, die ſeptimo Deus quieuit. ***

* Non tantum de ſingulorum dierum operibus adſeritur, quod fuerint bona, ſed de vniuerſis idem repetitur; immo additur, quod fuerint *valde bona*, ſeu *optima*, idque ipſius Dei iudicio; quia dicitur: *& vidit Deus, quaecumque fecerat*; cui adeo plus tribuendum, quam mortalium ineptis ratiociniis, qui mala ſibi inuenire videntur, vbi nulla ſunt. Et ſane, cum Deus ipſe *bonus*, immo, ipſa *bonitas* ſit, nihil niſi bonum ab illo proficiſci poteſt. Vnde ergo, inquis, tot mala? Si modo mala ſunt, quae hoc nomine veniunt, non aliunde, quam ab angelis, hominibusque, libertate ſua abutentibus, proueniunt; qua de re ſuo loco ex inſtituto. Quando autem res creatae bonae dicuntur, ita hoc intelligendum, quod quaelibet in ſuo genere fuerit perfecta, ſeu

ita comparata, vt fini, ad quem condita erat, adcurate responderet, nullumque etiam vitium, nulla labes in ea deprehenderetur. Licet itaque quaedam res creatae perfectiones quasdam habeant, quibus aliae destituuntur; ideo tamen hae neutiquam imperfectae censeri debent. Quaelibet enim eas perfectiones habet, quae ei conueniunt. Sunt itaque plantae in suo genere perfectae, licet perfectionibus animalium non gaudeant; & animalia bruta perfecta sunt, licet perfectionibus hominum destituantur.

** Hinc, si homines in statu integritatis permansissent, vel solo nutu ferociſſimas compescere potuissent bestias, idque vi dominii, illis a Deo in omnia animantia concessi. Cumque & naturam, indolemque omnium animantium habuissent perspectam, venenatorum morsus facili negotio potuissent euitare.

*** Hoc diserte constat, ex *Gen. II, 1. 2.* Nec dubium temere cuiquam mouebit, quod dicitur: ויכל *& perfecit* (Deus) *die septimo opera, quae fecit.* Dudum enim viris doctis obseruatum est, verbum ויכל vertendum esse, *& perfecerat.* Ad rem ipsam quod attinet, cum quieuisse Deus dicitur, non aliter hoc intelligendum, quam, quod desierit aliquid creare. Sed licet creationi finem imposuerit; minus tamen desiit, res creatas conseruare, earumque prouidam curam gerere; quippe quod semper facit, vt suo loco demonstrabitur. Dicitur autem porro, quod *diei septimo benedixerit*, hoc est, beatum, laetum, festum esse voluerit, vt homines eodem laudes creatoris, summam eius bonitatem recolendo, piaque mente celebrando, prosequerentur; ideoque eum *sanctificauit*, separauit, secreuit velut a reliquis diebus, vt insignis prae iis, atque maxime

xime eximius censeretur. Eamque voluntatem suam cum haud dubie primis hominibus significauerit, institutio sabbati recte hinc colligitur.

§. XVIII.

Atque ita finem, quem Deus sibi proposuerat, obtinuit, * gloriae scilicet suae, hoc est, bonitatis, sapientiae, ac potentiae manifestationem, intuitu hominum praecipue intelligendam, quippe qui inter res creatas adspectabiles, ob rationis, quo pollent, vsum, soli creatoris & cognoscere gloriam, & celebrare, & cultu debito eum prosequi, apti erant.

* Nunc de fine loquimur, qui in scholis *cuius* vocatur, eoque vltimo, qui omnino est gloriae, hoc est, bonitatis, sapientiae ac potentiae diuinae manifestatio. *Caeli* namque *enarrant gloriam Dei, & opus manuum eius adnuntiat expansum; psalm. XIX, 1.* conf. & *psalm. CIV, 1, 2. seq. CXXXVI, 4. seq. CXLVIII, 1. seq.* Intuitu autem hominum hoc praecipue intelligendum esse, vel inde constat, quod inter res adspectabiles soli ratione praediti sint, adeoque, in propria significatione vocibus acceptis, laudare Deum creatorem, eiusque potentiam celebrare queant: reliquae res creatae gloriam creatoris enarrant, quando hominibus occasionem praebent, atque argumentum, laudes Dei decantandi. Atque id Paulus confirmat, quando ex operibus creationis τὰ ἀόρατα τοῦ θεοῦ, hoc est, aeternam eius potentiam ac θειότητα cognosci posse, nos condocet; *Rom. I, 20.* Atque hinc etiam intelligitur, quod hominum vtilitas recte pro *fine* creationis *intermedio* habeatur. Nihil enim est in vniuerso orbe, ex quo non in hominem, siue qua corpus, siue qua

mentem, commodum aliquod redundet. Ad reliquas cauſſas creationis quod attinet, vt de iis ſpeciatim dicamus, neceſſe non eſt, cum, quae de iis moneri ſolent, ex antea dictis facile intelligantur. Cauſſam enim efficientem Deum trinunum eſſe, conſtat ex iis, quae ſupra §. *V.* docuimus. Inſtrumento autem Deus vſus non eſt, nec eodem opus habuit, cum ſolo nutu, imperioque voluntatis omnia effecerit, vti ad §. *VI.* oſtenſum. Quod & ipſemet teſtatur: *Ego Iehouah facio omnia ſolus, expando terram per me ipſum; Eſ. XLIV, 24.* Cauſſa itaque inſtrumentalis hic locum non inuenit. Cauſſam creationis impulſiuam ſolam Dei benignitatem eſſe, neminem fugit; conf. *pſalm. CXXXVI, 5. ſeq.* Addunt nonnulli *cauſſam exemplarem*, ſiue ideas ſingularum creaturarum, in intellectu diuino expreſſas. Cum enim *Gen. I, 31.* vidiſſe omnia dicitur, quae fecerit, eaque fuiſſe valde bona; hoc ita intelligunt, quod omnia formis iſtis rerum, ſeu ideis, in intellectu diuino exſiſtentibus, fuerint conformia. Et ſolent ſane homines, ſapienter aliquid ſuſcepturi, ideam quamdam, ſeu imaginem eorum, quae effecturi ſunt, animo concipere. Nota quoque ſunt, quae Platonici de ideis disputare ſolent. Sunt tamen omnia, modo, qui Deo conueniat, accipienda, ne quidquam, quod cum ſumma eius perfectione pugnet, ei tribuatur. De materia & forma creationis nihil addimus: cum, ſi rem ipſam ſpectes, ex antea dictis cuncta intelligantur. Materia enim reuera creationis nulla eſt, cum omnia ex nihilo ſint producta, quamuis quaedam mediate, quaedam immediate, vti ſupra demonſtratum. Forma autem in ipſa productione ex nihilo conſtitui ſolet: ſimul tamen & modum, & ordinem creationis, antea itidem expoſitum, huc referunt.

§. XIX.

§. XIX.

Praeter animam hominis Deus etiam alios ſpiritus, nullo cum corpore coniunctos, creauit, qui in ſcriptura ſacra *angelorum*, hoc eſt, nuntiorum, nomine veniunt; * eo quod Deus ſubinde in rebus huius orbis, hominum praecipue, diſpenſandis, illorum vtatur miniſterio. Qui, cum ob naturae ſuae praeſtantiam, primum praecipuumque inter res creatas teneant locum, ** illorumque & alias in ſcriptura ſacra ſaepe mentio fiat; de iis vt ſpeciatim agamus, res ipſa poſtulat.

* Vocem ebraeam מלאך ſi originem ac deriuationem ſpectes, nuntium, ſiue legatum, ad aliquid exſequendum ab alio miſſum, ſignificare, dudum viris doctis obſeruatum eſt. Sed &, ſi vſum ſpectes, generatim quidem itidem nuntium, ſiue legatum, ſpeciatim tamen eiusmodi ſpiritus, de quibus hic ſermo eſt, denotat. Neque de bonis tantum, ſed & de malis ſpiritibus adhibetur, vt *pſalm. LXXVIII, 49.* In generaliori illa ſignificatione etiam Chriſtus vocatur *angelus*, ſeu *legatus Dei*, *Exod. XXIII, 20.* alibique; itemque, *angelus foederis*; *Malach. III, 1.* De voce graeca ἄγγελος idem cenſendum. Generatim quemlibet nuntium ſeu legatum deſignat; quo ſenſu & Ioannes baptiſta *Matth. XI, 10.* & *Malach. III, 1. angelus* dicitur; ſpeciatim autem eiusmodi ſpiritus, de quibus hic ſermo eſt, vt *Ebr. I, 14.* & alibi ſaepius. In generaliori itaque ſignificatione vox *angelus* officii; in ſpecialiori, officii itidem, ſimul tamen, & quidem praecipue, naturae nomen eſt.

** In-

** Inter res a Deo creatas angelos quoque, siue spiritus, referendos esse, nemo, cui vlla scripturae sacrae est veneratio, dubitabit. Testatur namque scriptura, dari spiritus, vt a Deo ipso, ita & ab animabus hominum distinctos. Eadem testatur, quidquid in hoc vniuerso est, a Deo esse creatum. Ergo & spiritus isti a Deo creati sunt. Immo diserte Moses dicit: *igitur perfecti sunt caeli & terra,* וכל צבאם, *& omnis exercitus eorum; Gen. II, 1.* Per *exercitus* autem *caelorum* angelos etiam intelligi, ex *Nehem. IX, 6.* constat. Quaeri porro solet, quo tempore angeli sint conditi? Intra hexaëmeron eos conditos, non est, quod dubitemus. Illud enim, *in principio*, ita intelligendum est, quod nulla res creata adhuc exstiterit. Finito autem hexaëmero, *quieuisse* Deus dicitur, hoc est, nihil amplius creasse. Quonam vero istorum sex creationis dierum angeli conditi sint, certo definiri nequit. Recepta, simulque valde probabilis illorum est sententia, qui primo statim die, vna cum caelo supremo, eos productos, adserunt. Certe iam aderant, cum terra fundaretur, *Iob. XXXVIII, 4. 5.*

§. XX.

Quid spiritus sit, non aliter, quam ex proprietatibus, & operationibus eius, quae in scriptura sacra commemorantur, intelligitur. Has vero si iunctim sumamus, dici potest, spiritus nomine nobis venire substantiam materiae expertem, intellectu & voluntate, itemque potentia quadam agendi in corpora, & hinc varias operationes edendi, praeditam.

§. XXI.

Dari eiusmodi spiritus, etsi ipsa ratio, aut

aut experientia potius, ac totius orbis consensus, doceat; * omnium firmissime tamen scriptura ostendit, quam in omnibus istis locis, in quibus angelorum mentionem facit, allegoricis interpretationibus peruertere, nihil aliud est, quam in re seria puerorum more ludere. **

* Etsi omnium euidentissime ex scriptura sacra, dari eiusmodi spiritus, de quibus hic nobis sermo est, demonstrari queat, non tamen contemnenda, quae & ratio hac de re suppeditat. Haec namque primum euidenter docet, non esse ἀδύνατον, vt eiusmodi substantiae, materiae expertes, exsistant; si quis enim hoc admittere nolit, luculenta illi adferenda est ratio, cur hoc ἀδύνατον sit. Praeterea, ipsius mentis humanae exemplo illud comprobari potest; quam spiritum, seu substantiam materiae expertem esse, ipsa eius attenta consideratio quemlibet condocebit. Si ergo eiusmodi substantiae immateriales, cum corpore coniunctae, exstant, quid tandem obstat, quo minus & aliae exsistant, nullo cum corpore vnitae? Hoc vero si admittatur, merito postulatur ab omnibus, ne temere, & sine praegnanti ratione, reiiciantur testimonia illorum, qui aut per adparitionem eiusmodi spirituum, aut alias eorum operationes, de illorum se certiores reditos exsistentia, adfirmant. Si quis enim omnia ista testimonia reiicere velit, illi adserendum, eos, qui eiusmodi quid testantur, aut animum habuisse, alios decipiendi, aut ipsos deceptos fuisse. Vtrumque equidem interdum contingere potest, vt aliquis aut decipere alios velit, aut ipsemet deceptus sit. Sed, si quis cogitet, nullam temere totius orbis esse gentem, nec vllum inter tot, quae iam praeterlapsa sunt, esse saeculum, in quibus non quidam

dam exstiterint, qui de spiritibus eiusmodi, eorumque operationibus, testimonium aliquod perhibuerint; quod & vniuersalis illa, ac per totum orbem diffusa de iis fama satis superque comprobat; is facile intelligit, de tanta testium multitudine hoc adseri non posse. Sint, qui decipere alios velint! num de tot hominibus, locorum, temporumue maximo interuallo disiunctis, credendum, eos conspiratione velut facta, decipere orbem voluisse? Sint, qui interdum decepti sint! nec enim hoc abnuo; cum non ignorem, quanta vis sit imaginationis, praesertim, si adfectus vehementiores accedant. Quis vero inde colligat, semper erraſſe sensus, semper deceptos homines fuisse per vim imaginationis? Sunt namque profecto quaedam exempla ita comparata, vt nec fallaciae, nec errori aut deceptioni in iis relinquatur locus. Scio, testimonia aliorum hominum fidem tantum progignere humanam: quae, licet & hac in re sufficiat, obseruandum tamen, per testium, qui vera dicere & voluerunt, & potuerunt, multitudinem, eam adeo certam reddi posse, vt parum a demonstratione absit. Nec, quae speciatim de magorum & sagarum cum spiritibus malignis commerciis, hinc inde narrantur, omnia inter commenta sunt referenda. Sunt enim haec haud raro ita comparata, vt ex effectibus, qui a nullo mortalium profecti sunt, aut proficisci potuerunt, recte colligatur causſa, seu spiritus cuiusdam operatio. Atque idem de obsessionibus obseruandum; in quibus, etsi, quae a melancholia, aut aliis morborum generibus sunt, caute discerni velim ab iis, quae naturae operationes excedunt: talia tamen in iis subinde occurrere, quorum nulla, si daemonis potentia non admittatur, ratio reddi queat, nemo profecto negare poterit.

** In primo statim limine scripturae serpens ille

le, primorum parentum seductor occurrit, *Gen. III, 1. seq.* Hic solum eiusmodi animal, quod serpentis nomine venit, intelligi nequit, nisi dicere velimus, serpentes olim & rationis vsu instructos, & loquendi facultate praeditos fuisse. Seductor itaque ille, cum nec animal brutum esset, nec homo, sequitur, fuisse spiritum. Praeter homines enim non dantur substantiae rationis vsu pollentes, quam spiritus. Idque & scriptura diserte, *Ioan. VIII, 44. apoc. XII, 9.* alibique, confirmat. Alterum exemplum praebet sollemnis illa trium angelorum adparitio, quae Abrahamo obtigit, *Gen. XVIII, 2. seq.* quorum vnus increatus ille, seu filius Dei fuit; reliqui vero duo creati, qui Lothum cum familia ex Sodoma vrbe, ne vna cum impiis periret, eduxerunt, id quod diserte Paulus apostolus docet, hospitalitatis praemia ex eo commendans, quod Abrahamus inscius etiam angelos conuiuio excepisset; *Ebr. XIII, 2.* Quae ratiocinatio inepta foret, si homines, & non angeli proprie sic dicti intelligantur. Tertium argumentum historia tentationis Christi suppeditat; *Matth. IV, 1. seq.* in qua non tantum tentatoris, seu diaboli, sed & bonorum angelorum, qui, finita tentatione, Christo ministrauerint, mentio iniicitur. Atque per tentatorem homo aliquis intelligi nequit, cum Matthaeus non semel, sed saepius eum diserte *diabolum* vocitet, quo nomine absolute posito, non homo aliquis, sed infernalis genius designatur, qui & *v. 10. satanas* dicitur. Et nulla profecto ratio excogitari potest, cur, si homo fuisset, qui seruatorem tentauit, non aperte potius hoc dicere maluisset Matthaeus, quam eiusmodi vocibus vti, quae alias de spiritu maligno vsurpari solent. Praeterea, quod tentator Christum in pinnis templi constituit, aliter intelligi nequit, quam quod eum per aërem in hunc-

ce locum deduxerit. Per gradus enim tentatorem hominem vna cum Christo huc adscendisse, sine firmo satis fundamento adseritur. Nec Christo indignum erat, vt hac ratione ab infernali genio per aërem circumduceretur. Non quippe inuitus hoc patiebatur, sed vt certamen, quod nostri caussa illi subeundum erat, absolueret. Cumque in statu exinanitionis constitutus, longe grauioribus ab hominibus adfectus fit contumeliis, nemo mirabitur, quod libens volensque hancce diabolo in se ad certum tempus concesserit potestatem. Denique nec illud in hominem quadrat, quod tentator Christo, in monte altissimo constituto, omnia regna mundi, eorumque gloriam, & quidem ἐν στιγμῇ χρόνου, in *momento* vel *puncto temporis*, vt Lucas refert, *cap. IV, 5.* monstrauit. Nullum enim est dubium, quin illud arte quadam praestigiatrice, in aëre omnia regna mundi, velut in tabula quadam repraesentando, fecerit. Et, quis credat, hominem aliquem, & quidem Iudaeum, tam stolidum fuisse, vt regna mundi Christo polliceri auderet, quae ipse non habebat? aut tam impudentem, vt a Christo poscere auderet, vt se adoraret? Diabolum autem, vtpote τὸν ἄρχοντα τοῦ κόσμου τούτου, *Ioan. XII, 31. XIV, 30.* τὸν θεὸν τοῦ αἰῶνος τούτου, *II. Cor. IV, 4.* hoc sibi tribuisse, nemo mirabitur.

§. XXII.

Spiritum materiae expertem esse, vel ex operationibus, quae illi tribuuntur, intelligitur. Quo pacto enim fieri queat, vt res extensa cogitet, hoc est, intelligat, velit, libereque agat, mens nostra capere nequit. * Idque & scriptura confirmat, spiritum, voce pro angelo accepto, generatim

tim cuiuis corpori opponens. ** Ex eo vero, quod spiritus est materiae expers, sequitur, eum quoque esse simplicem, hoc est, nec ex materia atque forma, neque ex partibus integrantibus compositum; corruptioni, seu destructioni non obnoxium, adeoque & immortalem; & denique, certo quodam loco circumscribi non posse.***

* Res nobis hic cum illis est, qui concedunt, dari spiritus; concedunt etiam, eos intellectu ac voluntate praeditos; (quod & deinceps ex instituto demonstrabitur;) largiuntur denique, eos natura sua esse inuisibiles; sed materiae omnis expertes esse, negant. Ita non tantum gentilium quidam philosophi, Platonici atque Pythagoraei, sed plurimi etiam ex veteris ecclesiae doctoribus, sentiebant. His ergo hocce, quod ab operationibus spirituum desumitur, argumentum recte opponitur. Nimirum, non aliae nobis de spiritibus istis innotuerunt operationes, quam, quas in mente nostra obseruamus; ex quibus praecipuae sunt intelligere, & velle, seu cogitare. Hinc ergo recte concluditur, eos esse materiae expertes. In materia enim generatim spectata nihil aliud, quam extensionem, diuisibilitatem, facultatemque recipiendi motum, variasque figuras, deprehendimus. Haec autem, quocumque modo consideres, & in quamcumque verses partem, quacumque ratione disponas, nihil tamen, quod cogitationi, nedum multis cogitationum modis respondeat, inde elicies. Nec est, quod regeras, angelos nostra confessione, posse agere in corpora; vnde sequatur, si vel maxime mentem habeant immortalem, eos tamen corpore quodam subtili praeditos esse, quae & veterum fuerit sententia. Verum, caussa prius adfe-

renda erat, cur spiritus, seu substantia materiae expers nulla ratione in corpus agere queat? Exemplo animae nostrae contrarium iterum doceri potest, quam certos in corpore nostro motus excitare posse, cum ipsa materiae expers sit, experientia quotidiana omnes condocet.

** Angelos in scriptura sacra spiritus vocari, positum est extra controuersiam, & vel ex *Ebr. I, 14.* constat. Cum autem vox spiritus diuersas in sacris litteris habeat significationes, vti supra obseruauimus; eam aliquando ita vsurpari, vt materiae expertem substantiam significet, negari nequit. Ita sane Deus ipse spiritus dicitur, *Ioan. IV, 24.* Nullum itaque est dubium, quin eadem ratione vox haecce sumenda sit, quando de substantiis creatis, ratione praeditis, adhibetur. Hinc & ipse seruator spiritum eiusmodi *carnem & ossa habere* negat; *Luc. XXIV, 39.* Quod non ita intelligendum, ac si concedat, spiritus habere corpora subtiliora; sed, cum spiritum non cuilibet corpori, verum suo, quod iam erat glorificatum, opponat, indicat, eos omnis plane materiae expertes esse, &, si forte adpareant, ex aëre speciem quamdam corporis formare. Nec praetermittendum, quod Paulus, dum per Christum omnia, tum visibilia, tum inuisibilia, condita adserit, per *visibilia* quidem res corporeas, & materiales quasuis; per ἀόρατα autem, siue *inuisibilia* res omnes incorporeas, atque materiae expertes, quorsum diserte angelos refert, intelligat; *Coloss. I, 16.*

*** Simplicitas eiusmodi, quae spiritibus creatis tribuitur, ex eorum immaterialitate recte deriuatur. Quod enim ex materia & forma, itemque ex partibus integrantibus compositi non sint, eius rei ratio est, quod omnis materiae sint expertes. De aliis compositionis modis, e. g. ex subiecto & accidenti, hic sermo non est. Hos namque in spiritus creatos cadere,

cadere, nemo ignorat. Sequitur inde porro, ſpiritus corruptioni & deſtructioni non eſſe obnoxios, adeoque & immortales. Deſtructio enim in partium quadam ſeparatione conſiſtit. Quidquid ergo ex partibus compoſitum non eſt, illud quoque deſtrui naturaliter nequit. Atque hinc porro fluit, ſpiritus non *gratia Dei*, ſed *ſua natura* eſſe immortales. Alio tamen ſenſu dici poteſt, eos gratia Dei eſſe immortales; ſcilicet, quod non tantum eiusmodi naturam, quae deſtructioni obnoxia non ſit, munere Dei acceperint, ſed quod is etiam ſpiritus creatos deſtruere nolit, etiamſi id facere poſſet. Atque hoc veteris eccleſiae doctores ſibi voluiſſe videntur, quando principii loco ponunt, *ea, quae initium habuerunt, neceſſario finem habitura*, ſi ſcilicet Deus velit; atque hinc porro collegerunt, angelos non natura, ſed gratia eſſe immortales. Enimuero, ſi effatum illud, *quidquid ortum habuit, finem quoque habiturum eſt*, aliter, quam diximus, capiatur, admitti nequit. Sequetur enim inde, non tantum angelos, ſed & animas hominum natura ſua mortales eſſe. Haud dubie autem patres, qui illo principio vſi ſunt, indicare voluerunt, ſolum Deum independenter, abſolute, & ea ratione immortalem eſſe, vt nullo modo finem habere queat; ſpiritus vero creatos, dependenter, & ex voluntate Dei, ita quidem, vt, licet natura illorum in ſe ſpectata, corruptioni obnoxia non ſit, finem tamen, ſi Deus velit, habere poſſint. Fatendum autem, non ſatis commode eos hac in re loquutos, ſi modo omnino non errarunt. Ex immaterialitate ſpirituum etiam illud fluit, quod eo modo, quo corpora, in loco non ſint. Nullam enim extenſionem habent, nullasue partes, quibus loci partes reſpondeant.

§. XXIII.

Intellectu angelos praeditos, scriptura testatur, quando illis eiusmodi opera tribuit, quae sine intellectu peragi nequeunt; *Es. VI, 3. Eph. III, 10. Ebr. I, 6. I. Petr. I, 12.* item *II. Sam. XIV, 20.* Nec vllum est dubium, quin & se ipsos, & Deum creatorem, & res alias, praeter se, a Deo conditas, siue spiritus sint, siue corpora, cognoscant. * Cognoscunt etiam ea, quae in hocce mundo geruntur, seu eueniunt, etsi non omnia; sed, quibus aut ipsimet intersunt, aut, quae ratiocinatione, vel alio modo illis innotescunt. ** Ex iis, quae Deus ad hominum salutem reuelauit, itemque futuris contingentibus, tantum sciunt, quantum Deus illis reuelauit; absque reuelatione futura contingentia aut plane nescIunt, aut non, nisi per naturalem sagacitatem, ac vim coniectandi, qua homines multum superant, ea cognoscunt. *** Cogitationes etiam hominum non nisi ex signis & effectibus eos intelligere, vix est, quod dubitemus. *

* Possunt haec omnia, quae de obiecto cognitionis angelicae hic adserimus, partim ex comparatione eius cum cognitione humana, partim ex ipsa spiritus creati notione, suffragante & scriptura sacra, demonstrari. Cum ergo homo se ipsum cognoscat, eorumque, quae in se sunt, & a se fiunt, sibi conscius sit, id etiam, quin de angelis adfirmandum sit, nullum plane est dubium. Deum quoque, creatorem

rem suum, quod cognoscant, certum est, idque tum cognitione *naturali*, quae ex lumine naturae proficiscitur, & malis, bonisue angelis communis est, *Iacob. II, 19.* tum *supernaturali*, quae bonis angelis propria est; quorsum & intuitiua illa, summae illorum beatitudinis partem constituens, *Matth. XVIII, 10.* refertur. Quod etiam res alias, praeter se, a Deo conditas cognoscant, ex operationibus, quas scriptura illis tribuit, intelligitur. Vnum angelum alios cognoscere, inde constat, quod inter se colloqui dicantur; *Es. VI, 3. Zachar. II, 3.* Hominum animas cognoscunt, quia piorum deportant in sinum Abrahami, *Luc. XVI, 22.* Cumque boni angeli, vt πνεύματα λειτουργικὰ, a Deo mittantur ad custodiam hominum piorum, *Ebr. I, 14. psalm. XXXIV, 8.* hoc officio fungi non possent, nisi singulos homines, qua corpora etiam spectatos, adeoque res materiales cognoscerent.

** Quod non omnia, quae in hocce mundo geruntur, cognoscant, inde manifestum est, quod intellectus eorum, quantumuis excellens, limitibus tamen certis circumscriptus est, & finitus. Ex eo etiam, quod ea, quae cognoscunt, non vna eademque ratione cognoscant, sequitur, in quibusdam certam, in aliis incertam illorum esse cognitionem, atque coniecturis, seu argumentis probabilibus tantum inniti.

*** Quod ea, quae ad hominum salutem, immo & ecclesiae constitutionem, ex Numinis voluntate pertinent, non, nisi ex reuelatione diuina illis innotescant, constat ex *Eph. III, 10.* & *I. Petr. I, 12.* Nec futuros euentus, qui rationis vim superant, eos cognoscere, notum est ex *Marc. XIII, 32.* Rerum praeterea contingentium haec est indoles, vt, cum in iis nullum detur medium cognoscendi, ab intellectu finito, adeoque & angelico, cognosci nequeant.

Quare etsi angeli multo plura ex futuris, quae ex certis caussis, latentibus interdum & occultis, intuitu hominum, sed non intuitu spirituum, dependent, cognoscere queant, quam homines; eiusmodi tamen futura, quae vere contingentia sunt, nullo modo cognoscere possunt. Hinc & cognitio futurorum contingentium soli Deo, ceu character illi proprius, tribuitur; *Es. XLI, 23. XLV, 21.*

* Si enim directe & immediate angeli cogitationes hominum cognoscere possent, sequeretur, quod in aliis etiam angelis idem possent; cum nulla diuersitatis reddi ratio queat. Non autem credibile, angeli cuiusdam cogitationes aliis angelis ita patere, vt sine signis illis innotescant. Accedit, & praecipue rem conficit, quod cordium scrutatio, adeoque cogitationum absque signis cognitio, soli Deo iterum, ceu documentum omniscientiae eius, vindicetur; *I. Sam. XVI, 7. I. reg. VIII, 39. II. paral. VI, 30.*

§. XXIV.

De modo cognitionis angelicae ex comparatione cum humana iudicium ferendum, etsi per omnia non conueniant. Quae enim ex corporis commercio aliquid trahit, vt imaginatio, in spiritus, nullo cum corpore coniunctos, non cadit: quippe quibus tantum, quae intellectui puro propria sunt, tribui possunt. * Vt autem intellectus hominis purus etiam per ideas res extra se positas cognoscit, ita &, cur de angelis aliter censere debeamus, nulla adest ratio. Immo, cum res plurimas, quibus ipsimet praesentes non sunt, cognoscant, non

non aliter quam per ideas, eas cognoscere, manifestum est. ** Ideas porro eos inter se iungere, hinc & tum iudicare, tum ratiocinari, vel inde colligimus, quod intellectus eorum finitus, seu certis limitibus circumscriptus est. *** Qui autem, angelos res omnes in essentia Dei velut in speculo intueri, adserunt, nesciunt mea opinione ipsimet, quid dicant, statuantue. *

* Res vtique materiales atque corporeas angeli cognoscunt, vti antea dictum, sed non eo modo, ac homines. Imaginatio enim, qua homines res corporeas cognoscunt, cum ea, quae sensibus percepimus, iterum resuscitet ac repraesentet, angelis tribui nequit. Fatendum itaque, modum, quo angeli res corporeas percipiant, & perceptas sibi iterum sistant, minime nobis exploratum esse.

** Vt se ipsos angeli cognoscant, nullis opus habent ideis, cum eorum omnium, quae in se sunt, aut fiunt, intime sibi conscii sint. Bonorum angelorum cognitio Dei, quam intuitiuam vocant, quo pacto comparata sit, intelligetur ex iis, quae suo loco de hominum cognitione intuitiua dicemus. Reliqua omnia non aliter, quam per ideas cognoscere possunt, vti vel ex analogia humanae cognitionis intelligitur.

*** Secus scholastici doctores sentiunt, incaute intellectum diuinum cum angelico conferentes. Deo equidem eiusmodi idearum comparationes, atque ratiocinationes, tribui nequeunt; immo, Deus nullis plane ideis in rebus, quae actu exsistunt, cognoscendis opus habet. Sed angelicus intellectus cum finitus sit, adeoque non omnia simul complecti queat, longe rectius in hocce etiam capite cum humano intellectu comparatur, quam cum diuino.

* Quorumdam Romanae ecclesiae doctorum hocce commentum est, qui hac ratione euincere volunt, angelos in Deo omnia cognoscere, adeoque & hominum preces ad se directas, intelligere, hinc & recte inuocari. Verum, etsi angeli boni faciem Dei semper videant; *Matth. XVIII, 10.* nullibi tamen dicitur, quod in Deo tamquam in speculo omnia cognoscant. Quin, si hoc esset, angeli boni essent omniscii, & nihil omnino ignorarent; quod falsum esse, ex antea dictis constat.

§. XXV.

Voluntate quoque praeditos angelos, ex actibus eius, qui iis tribuuntur, liquet. * Estque & alias cum intelligendi facultate semper coniuncta voluntas. Vt enim intellectus, quid bonum, quidue malum sit, cognoscit, ita voluntas illud adpetit, hoc auersatur. ** Sed libera quoque est angelorum voluntas, etsi pro diuerso illorum statu, vt deinceps dicemus, diuersa quoque ratione haecce libertas sese exserat. ***

* Quales sunt adfectus angelorum, de quibus §. *sequenti* dicemus. Idem vero ex virtutibus etiam eorum, de quibus ibidem verba facimus, liquet. Certe nisi voluntate, eaque libera, praediti essent, non posset bonis obedientia tribui, *psalm. CIII, 23. Matth. VI, 10. Ebr. I, 14;* nec dici, malos per inobedientiam lapsos; *II. Pet. II, 4.*

** Vnde recte concluditur, vbi est intellectus, ibi etiam voluntas; certe, intellectus nullus vsus esset, si quis voluntate, ad ea sequenda, quae ille adprobat, fugienda autem, quae improbat, non gauderet.

*** Libertas a necessitate, praecipua est voluntatis proprietas; quae, si absit, voluntas vim suam atque

que efficaciam exserere nequit, adeoque vix digna est hocce nomine. Libertatem nimirum eam intelligimus, quae in indifferentia ad opposita consistit. Angelorum autem libertatem aliter se habuisse, cum omnes in statu, in quo conditi erant, adhuc exsisterent; aliter, cum quidam eorum lapsi essent, ex dicendis constabit.

§. XXVI.

Voluntatis porro commotiones, quae ex obiecto quodam bono aut malo, ei oblato, excitantur, quaeue *adfectuum* nomine veniunt, itidem non possunt non in angelis exsistere. Hinc & scriptura adfectus, vt gaudium, *Luc. XV, 10.* ac desiderium, *I. Pet. I, 12.* illis tribuit; quod tamen de commotionibus mere mentalibus est intelligendum. Pari ratione & certae in illis propensiones, seu inclinationes, non tantum naturales, sed & habituales esse possunt, quae, si in bona ferantur, *virtutum* sin in mala, *vitiorum* nomine veniunt.

§. XXVII.

Est quoque in angelis potentia, aliorum spirituum cogitationes certo modo adficiendi, adeo, vt in illis cogitationes, iis, quas ipsi habent, similes, exsistant; quam cogitationum communicationem admodum improprie *loquelam angelorum* vocare solent. Neque tantum hac ratione cum aliis angelis suas communicare cogitationes possunt, sed & cum mentibus hominum: quamquam horum etiam movere queant imagi-

nationem, & hac ratione cogitationes in iis excitare. Modus autem huius communicationis nobis plane ignotus est: quemadmodum nec id constat, quousque haec potentia pateat; itemque, an, & qua ratione, ab hominibus praesertim, impediri queat.

§. XXVIII.

Non minus & potentia agendi in corpora, eaque mouendi, variasque operationes hac ratione edendi, gaudent; *Genes. XIX, 10. 11. II. Reg. XIX, 35. psalm. LXXVIII, 49. actor. V, 19.* * Quod & exempla obsessorum, quae magno numero in historia euangelica occurrunt, confirmant. ** Magna equidem haecce spirituum est potentia, at suis itidem circumscripta limitibus. *** Hinc, licet mirabilia facere queant, miracula tamen, nisi ex potentia a Deo speciatim concessa, facere nequeunt; quippe quod soli Deo est proprium. *

* Etsi enim modus, quo hoc fiat, vt spiritus in corpus agat, ignotus sit, res ipsa tamen ideo in dubium non vocanda, per luculentissima quippe scripturae testimonia extra controuersiam posita. Modus etiam, quo anima nostra corpus proprium mouet, siue, qua ratione ad certos motus mentis, seu voluntatis, certi sequantur motus corporis, itidem nobis cognitus non est, nec tamen ideo quis negauerit, ab anima nostra corpus nostrum moueri, seu, ad certos motus mentis sequi certos motus corporis. ** De

** De obsessione, magia, & spectris, aliisque malorum angelorum operationibus, quibus probari solet, eos in corpora agere, & ea mouere posse, deinceps dicetur ad §. *XXXIX.* Addi adhuc possunt adparitiones bonorum angelorum, saepius in scriptura sacra commemoratae, *Gen. XVIII, 2. seq. Luc. I, 26. seq. II, 9.* alibique. Cum enim corpus aliquod ex aëre formatum adsumserint, in quo adparuerunt, id sane sine quadam in aërem, & quidem crassiorem, quem hunc in modum disposuerunt, vt corporis figuram atque colores exhiberet, actione fieri nequibat.

*** Magnam angelorum esse potentiam, scriptura testatur, dum eos ob fortitudinem & robur passim celebrat; *psalm. CIII, 20. Matth. XII, 29. Luc. XI, 21.* Immo *II. Petr. II, 11.* ἰσχύϊ καὶ δυνάμει μείζονες *maiores robore & potentia hominibus* dicuntur. Eadem tamen potentia certis limitibus est circumscripta. Hoc enim ni esset, infinita foret; quae soli Deo conuenit. Praeterea, cum imperio diuino sint subiecti, non omnia, quae volunt, eos facere posse, manifestum est.

* Ad miraculum enim requiritur, vt leges naturae a Deo stabilitae tollantur, vel suspendantur; quod, cum sine potentia infinita fieri nequeat, sequitur, solum Deum posse miracula edere. Solus quoque Deus leges istas constituit, solus ergo etiam eas tollere, aut suspendere potest. Spiritus autem creatus, cum potentia, & agendi celeritate longe maiori, quam homines, polleat, per caussarum naturalium, & quidem occultarum, combinationem, atque directionem, efficere equidem aliquid potest, quod hominum vires superat, iisque adeo mirabile videtur; id tamen pro miraculo proprie sic dicto minime habendum. Quodsi dicas, nobis non constare, annon Deus angelis potestatem, naturae

turae ordinem immutandi, saltem aliquando hoc faciendi, concesserit? respondemus, si ex concessione diuina miracula faciant, hoc ipso confirmatur, quod non id faciant propria potentia. Praeterea, malis angelis hanc potestatem a Deo vmquam concessam, nemo temere dixerit; bonis autem si concessam dicamus, tum primo dispiciendum, an miraculum aliquod ab angelo, & quidem bono, fuerit profectum, & an vere miraculum aliquod sit? & tum demum hoc admitti posset; sed eiusmodi rei cum nullum exemplum proferri queat, frustra quoque adseritur, angelis vmquam a Deo eiusmodi potestatem concessam esse.

§. XXIX.

Ingentem esse angelorum numerum, scriptura testatur. *Dan. VII, 10. Matth. XXVI, 53. Marc. V, 9.* * Sed certos quoque eorum esse ordines, vel ex *Coloss. I, 16. Ephes. I, 21. I. Thes. IV, 16.* constat. ** Donis porro tum naturalibus, tum moralibus quosdam praestare aliis, a vero non abhorret; specie autem, & essentia eos differre, sine fundamento adseritur. ***

* Quando *Dan. VII, 10.* dicitur; *millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia adsistebant ei*; & pari ratione *apocal. V, 11. & erat numerus eorum* μυριάδες μυριάδων, καὶ χιλιάδες χιλιάδων, non ita hoc capiendum, ac si numerus angelorum ibi determinetur; sed maximam illorum, & fere innumerabilem esse multitudinem, indicatur. Vt autem dici nequit, infinitum esse angelorum numerum, ita mentis contra infirmitatem proderet, qui numerum illorum, nemini quippe mortalium cognitum, definire aliqua ratione vellet. Placuit tamen nonnullis

lis veterum, eam esse rationem multitudinis hominum, ad angelorum numerum, quae est vnius ad nonaginta nouem. Id namque parabolam illam hominis suadere putant, qui centum oues habens, vnam amisit, quam, relictis nonaginta nouem, quaesitum abit, & inuentam humeris reportat; *Matth. XVIII, 12. 13. Luc. XV, 4.* Ia HILARIVS in *Matth. cap. XVIII.* & CYRILLVS Hierosolymitanus, *catech. XV. p. m. 218.* edit. TH. MILLES. Quae, quam lubrica atque infirma sint, nemo non intelligit. Legenda porro, quae hanc in rem differit DION. PETAVIVS, *dogm. theol. tom. III. de angelis, lib. I. cap. XIV. p. 45.*

** Certum angelorum, tum bonorum, tum malorum, esse ordinem, eiusque adeo intuitu discrimen aliquod inter eos intercedere, scriptura sacra aperte docet. Et de malis quidem angelis hoc constat ex *Luc. XI, 15.* vbi Beelzebub princeps daemoniorum vocatur, & *Matth. XXV, 41.* vbi diaboli, & angelorum eius mentio fit. Ad bonos quod attinet, apostolus *I. Thess. IV, 16. archangeli* mentionem facit, *idem* vero *principatum, potestatem, virtutem, & dominationem; Eph. I, 21.* rursus, *thronos, dominationes, principatus, & potestates; Coloss. I, 16.* memorat.

*** Certe, ex scriptura sacra nihil proferri potest, quo probetur, specie aut essentia angelos a se inuicem differre. Diuersa namque nomina, quae illis tribuuntur, ordinis solum a Deo, vt credere par est, ipso constituti, forte simul etiam donorum naturalium & moralium diuersitatem indicat; speciei aliquod discrimen inde colligere non licet. Donorum autem diuersitas cur iis tribui nequeat, non video; quin immo recte tribui, vel hominum exemplo condocemur.

§. XXX

§. XXX.

Duplex angelorum merito obseruatur status; alius ante quorumdam lapsum, seu *status gratiae;* alius post eum, seu *status gloriae*, ratione bonorum; *damnationis* autem, ratione malorum. Et in priori quidem variis eos gauisos gratiae diuinae donis, luce scilicet quadam singulari, ac sapientia, qua intellectum; qua voluntatem, amore summo Numinis, reliquas virtutes omnes complectente, non est, quod dubitemus. * Et hac ratione adseri solet, angelos quoque ad imaginem Dei esse conditos. **

* Finis cerre, ob quem Deus angelos creauit, vt per visionem Dei summa & aeterna beatitudine fruerentur, hoc postulabat, vt perfectiones, ad eam consequendam necessarias, iis conferret. Absonum etiam foret, si quis diceret, Deum velle finem, nec tamen media, quibus obtineri queat, concedere. Finem autem, quem diximus, Deo constitutum fuisse, exemplo angelorum bonorum luculentissime patet. Idem vero etiam iterum exemplo hominis condocemur, quem Deus ita condidit, prout finis, ob quem eum condidit, postulabat. Ipsa porro angelorum natura ac indoles, pariter ac eorum cum homine collatio, ostendit, perfectiones illas, in eos, vt finem huncce consequerentur, collatas, partim ad intellectum, partim ad voluntatem spectasse. In intellectu nimirum non poterat non adesse *lux*, seu *cognitio* longe excellentissima, earum praecipue rerum, quae ad finem istum consequendum cognitu erant necessariae; quorsum *fidem* nonnulli referunt, * qua firmiter,

ter, & sine haesitatione ea omnia credebant, quae Deus iis reuelauerat. Cumque maxima in illis etiam esset voluntatis sanctitas, summa inde oriebatur *sapientia*, in iis omnibus eligendis & consectandis, quae ad finem constitutum faciebant, sese exserens. Ex ista praeterea, qua pollebant, luce, seu cognitione Dei praecipue, rerumque diuinarum, non poterat non quoque in voluntate illorum summus excitari Numinis amor, qui simul fiduciam in Deum, obsequium, & reliquas virtutes omnes, quae in eos, ceu spiritus, cadebant, complectebatur. Summatim hoc ipse seruator indicat, quando *diabolum non perstitisse in veritate* dicit, *Ioan. VIII, 44.* Etenim ἡ ἀλήθεια veracitas, fidelitas, sinceritas illa, sine amore Numinis esse non potuit, vti hic per cognitionem sufficientem, atque effectui respondentem, excitatur. Libertate autem voluntatis in hocce statu angelos gauisos, vel lapsus malorum testatur.

** Diserte equidem hoc in scriptura sacra non dicitur. Neque ex *Iob. I, 6. II, 1. XXXVIII, 7.* hoc colligere licet, vbi angeli *filiorum Dei* nomine veniunt. Ita enim ob creationem etiam vocari potuerunt. Ex fine tamen, ob quem conditi sunt, ipsaque naturae angelicae indole, simulque comparatione cum statu hominum, hoc recte colligitur.

§. XXXI.

Status autem ille gratiae desiit, cum pars quaedam angelorum a Deo desciscceret; vnde *bonorum*, *malorumque* ortum est discrimen. Boni nimirum in sua erga creatorem obedientia perstiterunt, praemiumque eius, aeternam beatitudinem acceperunt, & ita in bono simul confirmati sunt. * Et hac

ratio-

ratione *ſtatum gratiae* excepit *ſtatus gloriae.* **

* Deus namque ex ſingulari gratia bonos angelos, eo quod in obedientia perſtitiſſent, lumine gloriae impleuit, vt ipſum intuitiue cognoſcere poſſent. Ideoque *faciem patris caeleſtis videre* dicuntur, *Matth. XVIII, 10.* Neque tamen mere ſpeculatiua eſt iſta intuitiua cognitio, quin potius ita comparata, vt ſummum, intenſiſſimumque in voluntate producat Numinis amorem. Hinc autem porro gaudium ſummum atque perenne, in laudes creatoris perpetuas, & nominis diuini celebrationem erumpens, *Eſ. VI, 3.* &, quidquid omnino ſpiritum aliquem felicem reddere poteſt. Atque haec eſt illa Dei fruitio, indeque reſultans beatitudo, per quam angeli boni ita confirmati ſunt, vt labi amplius nequeant. Etenim *Matth. XVIII, 10.* diſerte dicitur, quod *faciem Dei patris caeleſtis videant;* quae viſio citra controuerſiam ſtatum beatitudinis denotat, quocum confirmatio in bono eſt coniuncta. Idem inde etiam conſtat, quod *angeli electi* dicantur, *I. Tim. V, 21.* hoc eſt, per electionem Dei, gloriae iſtius atque beatitudinis, in qua viuunt, participes facti. Accedit denique, quod beati homines in ſtatu gloriae futuri dicantur ἰσάγγελοι, *Luc. XX, 36.* hoc eſt, ad eum beatitudinis ſtatum euehendi, in quo angeli boni iam verſantur. In bono autem licet ita confirmati ſint, vt peccare amplius nequeant, non tamen omni prorſus carent libertate. Plurima enim ſi illis ſe offerant bonorum genera, fieri poteſt, vt aliquod aut velint, aut nolint, aut prae vno alterum eligant. Peccare autem, ſiue mala eligere quod nequeant, adeo pro defectu quodam, aut imperfectione habendum non eſt, vt ſummae potius perfectionis ſit argumentum. Ceterum, quando angeli boni

boni ad hancce beatitudinem *electi* dicuntur, *I. Tim. V, 21.* non ita hoc intelligendum, ac si *merito* quodam suo hanc felicitatem consequuti sint. Quantumuis enim perfecta fuerit angelorum in statu gratiae obedientia, nihil tamen fecerunt, ad quod non obstricti essent; adeoque meriti ratio ibi locum non habet. Intuitu equidem obedientiae, ceu conditionis cuiusdam, electio ista facta est, sed nulla meriti cuiusdam, aut caussae, habita ratione, adeoque ex mera gratia, atque fauore benignissimo. Et eo modo etiam a Deo ab aeterno ista angelorum quorumdam beatitudo decreta fuit; neutiquam autem absolute, sine vllo ad conditionem, ex parte subiecti, respectu. Haec ex natura & indole decretorum diuinorum facile intelliguntur.

** Quodnam inter statum gratiae angelorum & statum gloriae intercedat discrimen, ex hactenus dictis manifestum est. Quae enim in statu gratiae ad summam perfectionem deerant, in statu gloriae consequuti sunt. Quamdiu status gratiae durauerit, certo definiri nequit. Illud dubio caret, angelos malos iam ante lapsos esse, quam homines; seductore eorum principe id agente, vt in eamdem miseriam, per diuinae legis transgressionem, detruderentur; *Gen. III, 4. 5. Ioan. VIII, 44. apocal. XII, 9.*

§. XXXII.

Operationes angelorum, in statu gloriae constitutorum, partim ad ipsam illorum beatitudinem spectant, dum intuitiue Deum cognoscunt, & amore intensissimo prosequuntur, hinc & beatitudine ineffabili fruuntur; * partim ministeriales sunt, quibus Deo, speciatim Christo θεανθρώπῳ, **

itemque hominibus inseruiunt. Et ad homines quidem quod attinet, non tantum piis singulis ministrant, *** sed in statu ecclesiastico, * ciuili, ** & oeconomico, *** conseruando & custodiendo, iussu Numinis diligentem operam nauant. Peculiari quoque officio extremi iudicii tempore, in colligendis piis, iisque ab impiis segregandis, ceterisque, ad exsequutionem iudicii huius spectantibus, peragendis, fungentur. *

* Atque in hisce quidem actionibus ipsa angelorum beatitudo consistit, secundum ea, quae ad §. *praecedentem* obseruauimus. His addi solent, quae istam beatitudinem augent, seu, vt alii loquuntur, accidentalem quamdam beatitudinem in angelis efficiunt; vt cognitio earum rerum, quas Deus iis speciatim reuelat, aut, quae per experientiam illis innotescunt, vt mysterium incarnationis, *Luc. I, 26. 31. II, 13.* conuersio hominis peccatoris; *Luc. XV, 7. 10.* vnde & singulari interdum gaudio perfunduntur; *Luc. XV, 10.*

** Actiones ministeriales angelorum, intuitu Dei, sunt, gloriae, atque laudum diuinarum celebratio; *psalm, CIII, 20. CXLVIII, 2. Es. VI, 2. Luc. II, 13. apoc. V, 9.* porro, cultus atque adoratio, quam Deo, & Christo etiam secundum humanam naturam, exhibent; *psalm. XCVII, 7. Ebr. I, 6.* Voluntatis denique diuinae exsequutio; *psalm. CIII, 20. Dan. VII, 10.* quorsum & spectat, quod iudicia Dei quandoque exerceant, *Gen. XIX, 11. actor. XII, 23.* Refertur quoque huc ministerium, quod Christo, quando adhuc inter homines versatus est, exhibuerunt; *Matth. IV, 11.* item, quando angelus conceptionem

eius

eius indicauit, *Matth. I, 20. 21. Luc. I, 32.* natiuitatem adnuntiauit, *Luc. II. 11.* in pasſione eum corroborauit, *Luc. XXII, 43. &c.*

*** Hinc Paulo dicuntur λειτουργικὰ πνεύματα, *administratorii spiritus*, vt vulgatus interpres hoc reddit, *in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis; Ebr. I, 14.* In ipsa iam infantia angelos nobis adesse, seruator docet, *Matth. XVIII, 10.* vnde de vitae progressu eo minus dubitandum, *psalm. XCI, 11. 12.* quod & de egressu ex hacce vita, vel ex *Luc. XVI, 22.* constat. An vero cuiuis homini angelus aliquis a Deo adiunctus sit, vt eius curam gerat, id vero est, de quo non omnes idem sentiunt. Nostrates opinionem de angelo tutelari non prorsus repudiant, praesertim, si & aliorum angelorum ministerium non excludatur; quamuis, certum eius in scriptura sacra non posse demonstrari fundamentum, agnoscant. Et recte quidem. Saepissime enim plurium angelorum, quibus piorum hominum custodiam Deus mandauit, mentio iniicitur, vt *psalm. XCI, 11.* alibique; numquam vnius. Ex *Matth. XVIII, 10.* nihil colligi potest. Ex *actor. XII, 15.* id sane constat, apud Iudaeos olim receptam fuisse hanc sententiam; inde autem concludere non licet, eam a scriptura sacra probari. Angelus denique ille sustentator Iacobi, *Gen. XLVIII, 16.* non creatus, sed increatus angelus, hoc est, filius Dei fuit, quippe qui eum redemit ab omni malo.

* Cum angeli ad ea omnia, quibus gloria Dei promoueri & amplificari potest, efficienda, sint promtissimi; dubium nullum est, quin id specialiori quadam ratione in statu ecclesiastico agant. Quod doctoribus, caussam Dei strenue agentibus, adsint, eorumque curam gerant, vel ex *Zach. III, 7.* constat. Cum lex Mosaica in monte Sinai promulgaretur, integri exercitus angelorum aderant. Id Stephanus

proto-martyr indicat, Iudaeos legem accepisse dicens, εἰς διαταγὰς ἀγγέλων, hoc est, ἐν διαταγαῖς, *actor. VII, 53.* Vocem enim διαταγὴ militarem esse, & aciem instructam quandoque denotare, viris doctis obseruatum est. Hinc & eodem fere modo ὁ νόμος διαταγεὶς δι' ἀγγέλων a Paulo dicitur, *Gal. III, 19.* conf. *Deut. XXXIII, 2.* Angelorum vero in statu ecclesiastico cura inde quoque intelligitur, quod idololatriae sese opponant; *ep. Iudae v. 9.* Etenim in tam multis horum verborum interpretationibus praeferenda hactenus recepta sententia, diabolum forte idololatriae caussa corpus Mosis proferri voluisse, eique obstitisse Michaelem archangelum, & ita idololatriam impediuisse. Ad ministeria angelorum in statu ecclesiastico referri etiam solent, quae circa conceptionem & natiuitatem Christi praestiterunt; de quibus iam antea dictum. Praesentia angelorum homines, cum alias, tum & in functionibus ecclesiasticis, ad modestiam & circumspectionem impellere debet; *I. Tim. V, 21.* Locum *I. Cor. XI, 10.* lubens praetermitto, cum non nesciam, quae viri docti de eodem disputent. De illis, qui litterarum, cumprimis sacrarum, studia tractant, adhuc addendum; cum plurima ecclesiae aut commoda, aut incommoda adferre queant, angelorum eos speciali quadam ratione curam experiri. Legenda, quae hac de re monet IO. CHRISTIANVS LANGIVS, in *protheoria eruditionis humanae vniuersae, cap. V. p. 178. seq.*

** Singulorum hominum curam cum Deus angelis demandauerit, sequitur multo magis, eorumdem in regnorum, rerumpublicarum, integrorumque populorum, hinc & regum ac principum fatis dispensandis, opera illum vti; quod & ex *Dan. X, 13. II. Reg. XIX, 35. Es. XXXVII, 36.* colligi solet. Neque tamen dixerim, singulis populis, aut imperiis, vel

vel rebus publicis angelum quemdam a Deo praefectum esse.

*** Qui in statu domestico, seu oeconomico viuunt, coniuges, parentes, liberi, non minus custodia angelorum indigent, quam, qui in reliquis statibus sunt constituti. Hanc ergo nec illis Deus denegat, conf. *Iob. I, 10.* Liberorum tutelam quod Deus angelis commiserit, seruator docet, *Matth. XVIII, 10.*

* Hoc ex processu extremi iudicii satis notum est; *Matth. XXIV, 31. XXV, 21. Marc. XIII, 27. I. Thess. IV, 15. 16.*

§. XXXIII.

Beneficia, quae Deus per angelos bonos in nos confert, grato agnoscere animo, angelosque ipsos, ceu Dei ministros amare, virtutes illorum, quae nobis innotuerunt, imitari, operamque dare, ne malis factis eos offendamus, nostri est officii; * at pro mediatoribus secundariis eos habere, eorumque expetere intercessionem, aut omnino adorare, atque cultu religioso prosequi, impium est, & a scriptura ipsa damnatum; *apoc. XIX, 10. XXII, 8. 9.* **

* Non itaque omnem honorem, sed eum, qui soli Deo debetur, seu adorationem religiosam angelis, aeque ac sanctis hominibus denegamus. Qui angelos, vt ministros Dei, amat, qui virtutes eorum admiratur, easque sibi in exemplum, quod imitetur, proponit; qui ita eos reueretur, vt ob eorum praesentiam nihil, quod turpe, aut parum decorum sit, facere audeat; honorem profecto haud exiguum illis exhibet. Atque ita de angelis non minus intelligenda, quae maiores nostri de sanctis, & honore his exhibendo profitentur, in *August. confess. art. XXI. p. 19.* & eius *apolog. p. 223.*

** Pro mediatoribus haberi nequeunt, cum vnicus noſter ſit μεσίτης ſiue mediator, Ieſus Chriſtus; *I. Tim. II, 5.* Nec interceſſione eorum indigemus, cum vnicum habeamus ſacerdotem ſummum, qui pro nobis intercedit; *Rom. VIII, 34. Ebr. VII, 25.* Adoratio porro pariter ac inuocatio, omnisque cultus religioſus, cum ſoli Deo debeatur, *Matth. IV, 10.* nulli creatae rei ſine piaculo tribui poteſt. Hinc & angelus, qui Ioanni adparuit, eiusmodi cultum admittere noluit; *apoc. XIX, 10. XXII, 9.* Nec negligenda ratio, quam angelus iſte adferebat, quod hominum fidelium σύνδουλος *conſeruus* eſſet. Indicare namque voluit, cultum, qui ſoli domino debetur, non ſine crimine tribui ſeruis eius. Accedit, quod ipſe apoſtolus cultum angelorum in haereticis diſerte damnet; *Coloſſ. II, 18.* *Nemo*, inquit, *vos ſeducat*, θέλων ἐν ταπεινοφροσύνῃ καὶ θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων, *volens in humilitate & cultu angelorum, quae non vidit ambulans* (ſeu, in ea, quae non vidit, penetrans) *fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuae.* Per θρησκείαν eum *cultum*, qui angelis exhibebatur, intelligere, ipſa vocis ſignificatio docet. Huncce cultum deinde ἐθελοθρησκείαν *v. 23*, vocat, ſuperſtitionis eum merito arguens, ſimulque, quid illud θέλων ἐν θρησκείᾳ ſit, explicans.

§. XXXIV.

Quosdam angelos in ſtatu gratiae, felicitateque, quae eum comitabatur, non perſtitiſſe, ſed Deo creatori ſuo ſeſe opponendo, & ab eo deſciſcendo, *domicilium ſuum deſeruiſſe*, *Iud. 6.* iam antea diximus. Vt autem omne peccatum ab amore ſui inordinato originem ducit, eodem modo in angelis lapſis rem ſe habuiſſe, vt credamus,

par

par est; amore hocce peruerso per ambitionem maxime se prodente, quae in apertam tandem rebellionem, & a Deo defectionem, erupit. *

* Scriptura sacra generatim saltem de lapsu angelorum malorum loquitur. *Diabolum non stetisse in veritate*, h. e. statu illo gratiae, in quo constitutus erat, excidisse, virtutesque, in quibus imago Dei exsplendescebat, amisisse, Christus pronuntiat, *Ioan. VIII, 44.* Ioannes ipse, *qui peccatum*, inquit, *facit, a diabolo est*, quia ἀπ' ἀρχῆς ὁ διάβολος ἁμαρτάνει, *diabolus peccat ab initio*; *I. epist. III, 8.* ab initio scilicet creationis, seu non multo admodum post, quam creatus erat. Pari ratione & Petrus Deum *angelis*, *qui peccauerunt*, (τῶν ἀγγέλων ἁμαρτησάντων) *non pepercisse* dicit, immo, *eos in tartarearum tenebrarum catenas praecipitatos coniecisse, ad iudicium custodiendos*; *II. ep. II, 4.* Iudas denique apostolus, *non seruasse* (malos angelos) τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν, *principatum suum*, ait, *sed dereliquisse* τὸ ἴδιον οἰκητήριον, *proprium domicilium suum*; *v. 6.* Vbi quidem nonnulli vocem ἀρχὴν de *principio*, siue *origine* capiunt, vt sensus sit, quod originem suam seu statum originalem, in quo conditi erant, non seruauerint. Sed nihil obstat, quo minus principatus, seu dignitas illa caelestis, quam per lapsum amiserunt, intelligatur; immo rectius intelligitur, cum inde sermoni sacri scriptoris maius robur ac emphasis accedat. Maximum enim inde angelorum istorum peccatum fuisse cognoscitur, quod, cum in summa dignitate pariter ac beatitudine fuerint constituti, vtriusque per ἀποστασίαν suam fecerint iacturam. Beatitudinem namque angelorum ab iis amissam, indicat, quando addit, eos *domicilium suum*, hoc est, beatitatis illam sedem, in qua Deo ipso, ceu summo bono, frui potuissent, *de-*

seruisse. Quemadmodum autem illud dubio caret, angelos quosdam peccasse, & hac ratione beatitudine, qua fruebantur, excidisse; ita, quodnam illud peccatum fuerit, scriptura diserte non exprimit. Primum eius initium ab inordinato sui ipsius amore recte deriuari, non temere quis dubitauerit. Cum enim summa legis in perfecto Dei amore consistat; *Matth. XXII, 37.* non potest non initium transgressionis fieri, quam primum vel leuissimo cordis motu ordo hicce turbatur, & aliquis se ipsum Deo ceu creatori suo praeferre incipit. Inordinatus porro iste sui amor cum in hominibus quidem diuersa ratione sese exserat, mox per voluptatem, mox per auaritiam, mox per superbiam; duo priora vitia autem quo pacto in merum spiritum cadant, vix intelligi queat; nihil aliud superest, quam vt concludamus, superbiam illud vitium esse, quo in malis angelis inordinatus ille sui amor sese manifestauerit, effeceritque adeo, vt statu gratiae exciderent. Atque haec sententia inde quoque confirmari solet, quod diabolus eadem ratione primos nostros parentes tentauerit, ad similitudinem cum Deo adfectandam illos incitando, *Gen. III, 5.* itemque, quod *ecclesiastic. X, 14.* superbia initium peccati dicatur: ἀρχὴ ἁμαρτίας ὑπερηφανία. Addunt nonnulli & locum *I. Tim. III, 6.* κρίμα διαβόλου, seu peccatum diaboli, in quod ne incidat episcopus, Paulus eum non vult esse νεόφυτον, τύφον fuisse, colligentes. Pluribus etiam hoc comprobat BRYANVS TVRNERVS, *de primi peccati introitu, siue de lapsu angelorum & hominum, tentamine*, Londini anno M DC XCI edito.

§. XXXV.

Cum autem princeps aliquis malorum angelorum memoretur, *Luc. XI, 15.* qui & κατ' ἐξοχὴν *diabolus* dicitur, *Ioan. VIII, 44.*

eique

eique regnum aliquod tribuatur; *Luc. XI, 18.* nullum prorsus est dubium, quin praecipuus aliquis ex angelis, seu princeps, cum integro angelorum exercitu, qui eius imperio subfuisse videntur, in Deum rebellauerit, & ita sibi suisque summam attraxerit miseriam. *

* Hinc etiam angelorum diaboli mentio iniicitur *Matth. XXV, 41. & apoc. XII, 7.* Videtur autem princeps ille daemoniorum, qui haud dubie vnus ex praecipuis angelis fuit, auctoritate sua, simulque & exemplo, & suasione reliquos, vt a Deo itidem desciscerent, induxisse. Quod cum ea ratione factum sit, vt omnes & singuli in defectionem istam consentirent, maximum inde discrimen, quod inter lapsum hominum & angelorum istorum intercedit, elucescit; simulque ratio intelligitur, cur hominum Deus misertus, seruatorem illis dederit, non autem diabolorum. Primi nimirum homines a diabolo seu serpente illo antiquo seducti peccarunt, cum princeps ille contra angelorum malorum, a semet ipso incitatus, defecerit. Posteri porro Adami actu praesentes non erant, vt consentire directe potuissent, dignique adeo erant commiseratione; cum angeli contra illi, qui nutum ductumque principis daemoniorum sequuti sunt, in istam defectionem directe consenserint. Supersunt tamen in hisce omnibus plurima, quae religiosa admiratione venerari potius, quam curiosius rimari, praestat.

§. XXXVI.

Per lapsum ipsum cum dona non tantum gratiae amiserint, sed natura illorum intime corrupta ac deprauata fuerit, fieri aliter non potuit, quam vt in locum lucis, seu

cognitionis spiritualis, ignorantia ac tenebrae, * in locum sapientiae stultitia, in locum amoris ordinati, quo Deum supra omnia amabant, philautiae prauae velut habitus aliquis, hinc & simul, quidquid prauorum adfectuum, quidquid vitiorum, seu prauarum propensionum cogitari potest, succederet. Facile inde etiam intelligitur, qualis istorum angelorum sit libertas.

* Idque Petrus innuit, quando σειραῖς ζόφου, *catenis*, seu *funibus tenebrarum* eos in tartarum detrusos, dicit *II. ep. II, 4.* & Iudas: *vinculis aeternis* ὑπὸ ζόφου *sub caligine* vel *in tenebris* eos seruari docens, *v. 6.* Supereſt vtique in iis naturalis quaedam scientia. *Credunt* enim *& diaboli, Deum esse, & contremiscunt; Iacob. II, 19.* Nec dubium est, quin per diuturnam experientiam insigniter eam augere queant. Hinc summa infernalis genii calliditas, ob quam & *antiqui serpentis* nomine venit, *apocal. XII, 9.* cuius fructus sunt αἱ μεθοδεῖαι τοῦ διαβόλου, *Eph. VI, 11.* Nihilosecius tamen est, atque manet in caligine, vinctus catenis tenebrarum. Ea enim scientia siue cognitio, quae cum summa voluntatis prauitate coniuncta est, miseriamque eius, qui ea praeditus est, non imminuit, sed auget, lucis nomine minime digna est, nec eo in scriptura sacra venit. Atque hinc, qualis theologia illa sit, quam nonnulli diabolis tribuere non dubitant, facile intelligitur.

§. XXXVII.

Viuunt mali angeli equidem iam in statu damnationis, sed vt vltimum supplicium illis adhuc immineat; * idque aeternum, eo quod redemtore, qui cum Deo eos reconciliaret, carent. ** *In

* In ſtatu damnationis viuunt, non tantum *priuatiue*, vt loqui ſolent, ob donorum gratiae pariter ac gloriae abſentiam, ſed & *poſitiue*, vt dolores infernales ſentiant. Id Petrus innuit, quando, *catenis tenebrarum eos in tartarum detruſos*, docet, *II. ep. II, 4.* Grauiores tamen poenas illis adhuc imminere, idem apoſtolus ſignificat, quando addit, *eos in iudicium reſeruari.* Quando autem in tartarum detruſi dicuntur, hoc ita intelligendum, vt illis ſimul concedatur poteſtas verſandi in hocce orbe, variasque operationes edendi. Nec ideo a poena liberantur, cum ob prauos adfectus, &, qui ex iis oriuntur, dolores grauiſſimos, infernum ſimul ſecum circumferant.

** Hoc diſerte Paulus docet, *non angelorum, ſed Abrahami ſemen Chriſtum adſumſiſſe*, adſerens, *Ebr. II, 16.* Hominum ergo ſolum, non angelorum eſt redemtor.

§. XXXVIII.

Operationes eorum ita comparatae ſunt, vt ſuum quidem aduerſus Deum & homines odium prodant, ſibi ipſis autem maximopere noceant, ſuamque augeant miſeriam. Nullam itaque praetermittunt occaſionem, damnum aliquod hominibus inferendi, cumprimis in peccata quaeuis praecipitandi, eosque in ſuae, qua ipſimet premuntur, miſeriae conſortium detrudendi; *Iob. I, 12. ſeq. Luc. XXII, 31. Eph. VI, 11. 12.* * Cumque eorum omnium, quae ad hominum ſalutem tendunt, infenſiſſimi hoſtes ſint, mirum non eſt, quod ſtatui eccleſiaſtico, ** ciuili, *** & oeconomico, * diuerſa ratione inſidias ſtruant; Deo

tamen

tamen subinde & ad homines tum pios tum impios castigandos, eorum vtente ministerio.

* Huc & spectat, quod Petrus dicit: *aduersarius vester (ὁ ἀντίδικος ὑμῶν) diabolus, circumambulat, tamquam leo rugiens, & quaerit, quem deglutiat; I. epist. V, 8.* Ob animum, quem semper habet, nocendi hominibus, maxime piis, vocatur ἀντίδικος illorum; alias vero eodem sensu *satan;* ob iram vero & crudelitatem, cum leone rugiente comparatur. Non autem princeps solum angelorum malorum hic intelligitur, sed omnes & singuli, quorum quidam huic, alii aliis hominibus insidiantur; & quod eiusdem sint indolis, merito omnes ἀντίδικοι atque diaboli dicuntur Notumque satis est, hisce vocibus in scriptura sacra spiritus istos malignos, quos diabolos inde vocamus, indicari; quod & ex armis illis, quibus apostolus nos contra hunc aduersarium pugnare iubet, quae sunt *sobrietas & vigilantia,* itemque *fides, v. 9.* patet.

** Varia quidem ratione, cumprimis inducendo homines in errorem, tenebrasque illorum intellectui obfundendo, ne veritatem perspiciant, *II. Tim. III, 4.* excitando pseudo-prophetas, atque haereticos, atque illorum conatus adiuuando, *II. Thess. II, 9.* Huc & doctrinae daemoniorum pertinent, *I. Tim. IV, 1.*

*** Idque itidem non vna ratione. Speciatim autem ad praua noxiaue principum consilia, quibus sibi & populo perniciem attrahunt, infernalem genium concurrere, non est, quod dubitemus. Exemplo Dauidis id patet *I. chron. XXI, 1.* referre huc etiam licet exemplum Achabi, *I. reg. XXII, 21. 22.* itemque locum *Dan. X, 13.*

* Illis, qui in statu oeconomico constituti sunt, nocent,

nocent, partim in peccata, quae tranquillitatem, felicitatemque huius ſtatus turbant, eos inducendo, partim varia mala illis adferendo.

§. XXXIX.

Speciatim & potentia, & nocendi animus, qui malignis hiſce ſpiritibus inſidet, in obſeſſione hominum, tum ſpirituali, tum corporali; * in magia, dum ſuam male feriatis quibusdam, ad nocendum aliis, operam exhibent; ** & denique per ſpectra, quibus hominibus illudunt, *** conſpicitur. Haec enim omnia qui aut negant, aut ad alias cauſſas ita referunt, vt ſpiritibus malignis nullus plane locus relinquatur, hoc demum agunt, vt ad res euidentiſſimas impugnandas, ſe animum obfirmaſſe ſuum, demonſtrent.

* Cum improbi homines ab infernali genio aut ita excaecantur, vt nec, quae ipſa luce clariora ſunt, euidentioraque, agnoſcant, quin potius veritatem apertam reiiciant, exſibilent, explodant, aut ad grauiſſima quaeque ſcelera, ad quae ceteroquin ipſa ratio obſtupeſcit, perpetranda impelluntur; merito pro ſpiritualiter obſeſſis, hoc eſt, talibus, qui, permittente ex iuſto iudicio Numine, ex voluntate & impulſu infernalis genii omnia agunt, habentur; conf. *Eph. II, 2. II. Cor. IV, 4. Luc. XXII, 3. Ioan. XIII, 27.* Interdum vero & corpus a diabolo, permittente Deo, inuaditur, & ab eo ita poſſidetur, vt inuito homine in eo & per illud operetur, doloribus quoque variis quandoque illud adficiat, aliaque ratione vim ſuam atque potentiam demonſtret. Et haec eſt *obſeſſio corporalis*; quam, ſi aliunde non conſtaret, ſcriptura ſacra exemplis & teſtimoniis

moniis tam luculentis comprobat, vt nemo, nisi qui illi fidem omnem denegat, de ea dubitare queat. Luculentum prae reliquis est, quod *Matth. VIII, 29. seq.* exstat. Ipsi enim daemones seruatorem adloquuntur: *Quid tibi nobiscum rei est, Iesus, Dei fili? Huccine venisti, ante tempus vexatum nos?* Immo ab eo petunt, vt sibi liceat, in porcorum gregem immigrare; idque cum impetrassent, eumdem in lacum praecipitem egerunt. Quis vero hoc de morbo quodam caperet? aut, num morbus ad Christum loquutus est, dixitque, venisse eum, vt ante tempus se vexaret? num petit ab eo, vt sibi in gregem porcorum immigrare liceret? Quid vero ineptius aut dici, aut cogitari posset? Non minus vero illustria sunt, quae *Luc. XI, 14. seq. Matth. XII, 22. seq. XVII, 15. 18.* leguntur. Contingere autem potest, vt non tantum impii, sed & pii homines, istam infernalis genii crudelitatem experiantur. Certe, ex Numinis permissione diabolum corpora piorum hominum, ad fidem illorum, aliasque virtutes illustriores reddendas, adfligere posse, non est, quod dubitemus, conf. *II. Cor. XII, 7. 9.* itemque *I. Cor. V, 5.* Vt obsessi ab ista potestate ac tyrannide diaboli liberentur, vnice precibus ad Deum fusis obtinendum. Potestas illa daemones eiiciendi apostolis concessa, *Marc. XVI, 17.* hodie cessat.

** Magiae dum hic mentionem facimus, non *naturalem* illam, quam vocant, sed illicitam, seu daemoniacam intelligimus, quando male feriati quidam homines infernalis genii opera, res quasdam mirabiles, & quae hominum vires superant, efficiunt, aut eiusmodi quid consequi adnituntur, quod itidem hominum ope consequi non possent. Licet autem omnes isti, qui spirituum exsistentiam & operationes in dubium vocant, eiusmodi magiam dari, strenue negent; id tamen profecto

sine

sine ratione faciunt. Quod vt ostendatur, duo paucis probanda sunt; primo, fieri posse, vt homo spiritus cuiusdam maligni opera & auxilio, ad aliquid efficiendum, vtatur; deinde, exempla testari, eiusmodi quid reuera factum esse. Prius quidem vt euincatur, reuocare nobis saltem in memoriam debemus veram & genuinam spiritus notionem. Secundum eam namque cum spiritus sit substantia immaterialis, intellectu & voluntate, simulque potestate mouendi corpora, variasque operationes edendi, praedita, prout luculenter supra ex scriptura sacra demonstrauimus; nihil profecto impedit, quo minus eiusmodi spiritus hominibus quocumque modo se manifestare, sub figura corporis cuiusdam iis adparere, cum illis colloqui, pacta inire, aliquid promittere, & in eorum gratiam praestare queant, quod hominum ceteroquin vires superat. Non equidem adsero, quod omnes magi explicite pactum cum spiritu maligno ineant; cum etiam eius opera sine pacto vti queant; nec tamen video, quid obstet, quo minus duae substantiae intelligentes, quarum ea, quae inuisibilis est, alteri certo modo se manifestat, mutuum consensum quocumque modo declarare possint, & sibi inuicem aliquid promittere. Stultum omnino est, atque ineptum, cum eiusmodi spiritibus pactum inire, quibuscum homines nullam habent iuris communionem; vnde & omni obligatione pacta ista destituuntur: stolidum quoque, pactis atque promissis illorum fidere, qui nullo religionis vinculo, quo minus ea violent, tenentur; immo & impium, malignorum spirituum opera quacumque ratione vti velle, quippe quod sine tacita summi Numinis abnegatione fieri nequit; sed haec omnia non impediunt, quo minus homines cum spiritibus istis, certo modo se mani-

manifestantibus, pactum inire, aut illorum quocumque modo vti opera queant. Quodsi quis aliam spiritus notionem animo suo sedere profiteatur, nostramque, seu receptam istam repudiet; illi luculenter probandum, nostram hancce, iis scripturae locis, in quibus de angelis sermo est, minime conuenientem esse. Quod, vt ego quidem existimo, nemo temere praestabit. Nec diuersas vocis significationes coniungere, aut in vnum conflare decet, sed separare potius, ac distinguere, atque hinc ex diuersis proprietatibus, quas scriptura aperte hisce spiritibus tribuit, veram ac genuinam eius notionem eruere. Cum ergo non sit ἀδύνατον, vt homines quandoque spirituum vtantur opera, eorumque commercio gaudeant; supereſt, vt ostendamus, hoc quandoque factum esse. Hoc scriptura autem tam aperte testatur, vt alia eius rei adferre documenta non necesse sit. Huc namque pertinent, quae Moses de magis aegyptiacis commemorat, virgas suas proiicientibus, vt statim in serpentes mutatae viderentur; *Exod. VII, 12.* Quod profecto sine opera cacodaemonis, summa celeritate serpentum quamdam formam oculis spectantium obiicientis, fieri non potuit. Nec est, quod dicas, ipsorum magorum sollertia & praestigiis id factum esse, vt pro virga serpens adpareret, vel alia ratione spectatores deciperentur. Diserte enim Moses dicit, feciſſe hoc magos istos בלהטיהם *incantationibus suis.* Accedit, quod vix credibile sit, Mosen istam magorum fraudem non fuisse manifestaturum, cum hac ratione omni eos exuere auctoritate apud Pharaonem potuisset. Praeterea, cum Moses *Deut. XVIII, 10.* eos, qui artibus illicitis ac superstitiosis dediti erant, quos Deus inter Israelitas tolerari nolebat, recenset, inter alios etiam מכשפים *praestigiatores* commemorat, hoc est, tales, qui non tantum sollertia qua-

quadam atque agilitate alios decipiebant, sed &, *qui magica arte sub oculis rem aliquam mutabant*, vt recte SEB. MVNSTERVS ad *h. l.* explicat. Sed addit quoque Moses *l. c.* eiusmodi hominum cohorti, ושואל אוב וידעוני ודורש אל־המתים & *interrogantem ob & idoni, & quaerentem a mortuis.* Quae verba LXX interpretes reddunt: ἐγγαστρίμυθος ἢ τερατοσκόπος ἢ ἐπερωτῶν τοὺς νεκρούς. Vulgatus autem: *neque, qui pythonas consulat, nec diuinos, & quaerat a mortuis veritatem.* Nimirum, licet vox אוב & in plurali אובות ceteroquin vtrem significet, vt *Iob. XXXII, 19.* & hinc ad ventriloquos seu ἐγγαστριμύθους significatio eius translata sit; in *hocce* tamen *loco*, vti & *Leu. XIX, 31.* & alibi, ipse potius spiritus malignus denotatur, qui certis artibus eliciebatur, vt euocaret mortuorum manes, qui responderent ad ea, quae ex iis quaerebantur, aut alia quacumque ratione futura indicaret. Hinc & mulier, quae eam artem tenebat, בעלת אוב *domina ob* seu *habens ob* vocatur; *I. Sam. XXVIII, 7.* Non itaque ipsa mulier erat *ob*, sed per *ob* respondebat ad ea, de quibus consulebatur. Quare & Saul rex eam ita adloquitur: *diuina mihi* באוב *per ob, & fac mihi adscendere, quem tibi dixero.* Quod quidem argumento est longe euidentissimo, daemonis maligni operam hic interceßisse. Consentiunt hac in re praestantissimi Ebraeorum magistri, non diffitente tandem, sed adeo indignante ANTONIO VAN DALE, vt hisce vtatur verbis: *quod minus mirum iis videbitur, qui norunt, Iudaeos post natum Christum nihil paene, praeter daemonas, seu diabolos somniasse; de origine ac progressu idololatriae ac superstit. differt. III. cap. IX. p. 607.* item *p. 617.* Nostra autem etiam ex loco *actor. XVI, 16.* confirmatur sententia, vbi mentio fit puellae, quae habuit spiritum Pythonis,

quem Paulus ex ea expulit. Certe, si spiritus maligni opera hic non interceſſiſſet, non potuiſſet eum eiicere Paulus. Signa denique atque portenta pſeudo-prophetarum atque ſeducentium, *Deut. XIII, 1.* non aliter, quam de iis, quae opera cacodaemonis edere ſolent, intelligi poſſunt. Hinc & tempore Chriſti Iudaei non dubitarunt, a ſpiritu maligno, Deo permittente, fieri poſſe τέρατα καὶ σημεῖα. Phariſaei namque Chriſtum accuſabant, quod miracula ἐν ἄρχοντι τῶν δαιμονίων faceret; *Matth. IX, 34. XII, 24.* neque eos confutat Chriſtus, negando, a diabolo ea fieri poſſe, quae pro miraculis habentur; quinimmo ipſe dicit, venturos pſeudo-Chriſtos & pſeudo-prophetas, qui *edituri ſint ſigna magna, atque portenta; Matth. XXIV, 24. & II. Theſſal. II, 9.*

*** Quaeſtio de ſpectris rurſus eo redit, an dentur ſpiritus, qui, permittente Numine, quandoque per ſigna externa hominibus ſeſe manifeſtare queant, vt illis illudant, terrorem incutiant, vel alio quocumque modo noceant? Si enim dantur ſpiritus, ſeu ſubſtantiae immateriales, intellectu, voluntate, ac potentia agendi in corpora praeditae, (quod hactenus luculenter euicimus) nihil quoque profecto obſtabit, quo minus aliquando ex Numinis permiſſione hominibus, ſiue viſum, ſiue auditum illorum moueant, ſeſe manifeſtare queant. Caute omnino ac circumſpecte hic incedendum, lubens fateor, cum per vim imaginationis, accedente adfectu vehementiori, fieri queat, vt aliquid videre aut audire nobis videamur, quod tamen non videmus, nec audimus; ne quid de aliorum fraudibus dicam, quibus aliquando in errorem aliquis induci poteſt. Nec tamen inde ſequitur, ſemper falli, aut decipi homines; cum interdum ea rerum ſit ratio, vt nec ſenſuum errori, nec aliorum deceptionibus locus relinquatur. Quid autem ambagibus opus? cum ſacra ſcriptura diſerte

diserte, quod spectra eiusmodi dentur, testetur. Non prouocabo nunc ad locum *sap. XVII, 3. seq.* vbi de spectris, Aegyptios terrentibus, sermo est, cum non nesciam, quae hic excipi queant. Spectrum illud Endoraeum, quod Sauli vltima fata indicauit, *I. Sam. XXVIII, 7. seq.* rem omnem conficit. Nec enim de alio, quam infernali genio intelligi potest. Ipsam enim Samuelis animam si Sauli adparuisse dicas, quae Romanae ecclesiae addictorum est sententia, eam artibus magicis e beatorum sedibus euocari potuisse, simul concedas, necesse est; quod nemo, nisi omni ratione destitutus, sibi persuadebit. Nec te hinc expedias, si cum NATALI ALEXANDRO *hist. eccles. vet. testam. aet. at. mundi* IV. *dissert. XXIII. p. 68.* adseras, *non artibus pythonicis eam* (Samuelis animam) *euocatam, sed Dei prouidentia, & imperio.* Cum enim artes necromanticae praecesserint, sequetur, Deum iis hoc dedisse, vt animam Samuelis e caelo mitteret; quo ipso & Saul, aliique, in ea confirmati fuissent sententia, ac si magicarum artium ea vis esset atque efficacia, vt animae beatorum ex caelis iis euocari possent; quod cum iustitia & sanctitate Dei non temere conciliaueris. Qui autem ad vatidicae mulieris praestigias cuncta referre voluerit, vt BALTH. BECKERVS, *mund. fascin. lib. III. cap. VI.* & ANTONIVS VAN DALE, *dissertat. de diuinat. idololatr. sub vet. testam.* addita eius *dissertationibus de origine & progressu idololatriae, cap. IX. p. 620, seq. & de orac. veter. gentilium dissert. I. cap. II. p. 24.* illi simul admittendum, vetulam istam ciuilium rerum peritissimam fuisse, tantaque sagacitate praeditam, vt promte futura praedicere potuerit; quod omnem fidem superat; ne dicam, quod nulla arte humana Samuelis vocem ita imitari potuerit, quin Saul, cui Samuel notissimus erat, quantumuis perterrefactus, statim fraudem animaduertere potuisset. Exstant vero & alia in scri-

ptura sacra de spectris testimonia. Ipsi namque discipuli Christi, cum magistrum in mari ambulantem conspicerent, spectrum sibi adparere, existimarunt; *Marc. VI, 49.* Quae opinio eos quoque inuasit, cum Christus post resurrectionem illis adpareret; *Luc. XXIV, 37-39.* Hoc ipso autem vt significarunt, se spectra, seu spirituum adparitiones credere, ita, Christum ideo eos reprehendisse, non legimus. Quod documento est, eos minime ea in re errasse.

§. XL.

Non tantum per creationem, sed & per rerum creatarum *conseruationem*, sapientissimamque *gubernationem*, Deus & bonitatem, & potentiam, & sapientiam suam in regno naturae manifestat. Quae quidem Numinis opera cum eius prouidentiam arguant, * de ea vt itidem agamus, res ipsa postulat.

* Per *conseruationem* & *gubernationem*, qua voce etiam concursum Numinis complectimur, actus externos prouidentiae intelligimus, vt prouidentia ipsa actus internos, seu immanentes, vti mox dicemus, denotat. Patet hinc, quo sensu conseruationem & gubernationem opera Dei vocemus, &, quod prouidentiam ipsam arguant, dicamus; simulque ordinis, quam hic innuimus, ratio inde constat.

§. XLI.

Prouidentiae autem nomine, si more humano de Deo loqui velimus, & intellectus & voluntatis quidam actus designatur. Vt enim pro omniscientia sua nouit, quae rerum ab se creatarum conseruationi inseruiunt, & ad finem, ob quem conditae sunt,

sunt, vbique, secundum ordinem a se constitutum, obtinendum sunt necessaria; ita, vt haec eueniant, vult, atque ita cuncta conseruat, dirigit, gubernat. *

* Vox *prouidentiae*, si vsum eius, receptumque loquendi morem spectes, curam quamdam, qua aut nostris, aut aliorum commodis sapienter prospicimus, denotat. Id enimuero non aliter, vti res ipsa docet, fieri potest, quam vt primo rite consideremus, in quo commodorum istorum consistat ratio; speciatim, vt ad ea, quae euenire possunt, vt damnum inde aut emolumentum percipiamus, cogitationes nostras dirigamus. Deinde, postquam haecce cognita nobis sunt, atque perspecta, vt ea nobiscum constituamus, decernamusque, quae ad finem obtinendum sunt necessaria. Atque haec quidem in ipsa hominum mente peraguntur. Vt autem effectus reuera sequatur, exsequutio eius, quod decreuimus, rite accedat, necesse est. Eodem itaque modo cum & diuinam prouidentiam, sed θεοπρεπῶς, concipere nobis liceat, tria ad eam requirere solent, πρόγνωσιν, seu *praescientiam*, qua omnia ea, quae rerum creatarum conseruationi, & ad certum finem directioni inseruire possunt, cognoscit; πρόθεσιν, qua ea, quae ad finem obtinendum necessaria sunt, decernit; & denique διοίκησιν, qua ea, quae decreuit, exsequitur, dum res creatas conseruat atque gubernat. Πρόγνωσις itaque atque πρόθεσις, quarum illa ad intellectum, haec ad voluntatem spectat, cum actus interni, seu immanentes sint, secundum nonnullos proprie prouidentiam absoluunt; cum διοίκησις sit actus externus, adeoque effectus potius, atque documentum prouidentiae diuinae. Alii, sumta voce in sensu latiori, διοίκησιν itidem ad ipsam prouidentiam referunt, aut in ea omnino praecipue prouidentiam

dentiam consistere, autumant. Quae cum circa vocis tantum vsum sit dissensio, non adeo magni momenti est.

§. XLII.

Is, qui rebus creatis hunc in modum prospicit, & solus prospicere potest, ipse est, qui omnia solus creauit, atque creare potuit, verus & vnicus Deus, * pater, *Matth. VI, 26.* filius, *Ebr. I. 3. Coloss. I, 17.* & spiritus sanctus, *Iob. XXXIII, 4.* adde *Ioan. V, 17. psalm. CIV, 30.*

* Est enim prouidentia, seu rerum omnium conseruatio ac gubernatio, non minus opus infinitae potentiae, quam creatio. Immo prouidentia est quaedam veluti creationis continuatio. Quare, sicuti solus Deus omnia creare potuit, ita solus etiam rerum creatarum gerere potest curam, vt conseruentur, & cuncta rite gubernentur. Accedit, quod imbecillitatis documentum esset, ab alio, quam opifice, rem foueri atque conseruari.

§. XLIII.

Deum rerum creatarum curam gerere, seu, quod perinde est, dari prouidentiam diuinam, & ex bonitate eius & sapientia, & potentia; non minus tamen & ex rerum creatarum indigentia, euidenter colligitur. Idem vero etiam scriptura sacra, *psalm. CIV, 1. seq. Iob. XXXVIII, XXXIX, XL. actor XVII, 25.* confirmat; confer. &, *Gen. I, 20. Es. XLV, 7. Amos. III, 6. Matth. X, 29. actor. XIV, 17. Sap. XIV, 3.*

§. XLIV.

Quae hic occurrunt dubia, etsi ratio ipsa

psa diluere queat, longe tamen plenius & euidentius hoc facit diuina reuelatio, in scriptura sacra nobis exhibita. Vtque haec regnum gratiae non minus, quam regnum naturae considerare docet, * ita in vtroque Deus certum agendi modum, ordinemque, eumque vt simpliciſſimum, ita & sapientiae diuinae conuenientiſſimum obseruat; secundum quem quidquid contingit, id absque prouidentia diuina contingere, dici nequit. ** Multa denique mala nobis videntur, adeoque cum prouidentia diuina pugnare, quae rectius considerata, bona sunt, & prouidentiam vel maxime comprobant. ***

* In vtroque, & naturae, & gratiae regno, sed diuersa ratione, prouidentia se diuina conspiciendam praebet. Vtrumque autem inter se comparare decet; cum subinde, quae in regno naturae mala nobis videntur, si secundum regnum gratiae spectentur, pro bonis sint habenda. Solui hinc facili negotio vexata illa quaestio potest, quae iam antiquiſſimis temporibus, multorum etiam sanctorum hominum animos sollicitos tenuit, vt ex *libro Iobi*, itemque *psalm. LXXIII, 2.* condiscimus: *cur improbis subinde cuncta prospere, atque ex voto succedere videantur, cum piis contra hominibus cum variis conflictandum sit calamitatum generibus?* de qua & inter ethnicos disceptatum fuisse saepius, vel ex SENECAE libro *de prouidentia* patet, quippe in quo ex instituto quaerit, *quare bonis viris mala accidant, cum sit prouidentia?* Habet equidem & ratio, quae hic respondeat. Primo namque negari nequit, maiorem plerumque hominum improborum felicita-

tem videri, quam reuera est. Fortuna splendidissima cum labore incredibili, maximis periculis, curis infinitis, plerumque est coniuncta. Quod si quis etiam omnia habeat, animi autem destituatur tranquillitate, non potest non miserrimus esse, quantumuis aliis censeatur felicissimus. Sic rursus illorum, qui miseri esse creduntur, longe maior subinde miseria esse existimatur, quam reuera est. Si quis nullorum sibi scelerum conscius sit, animumque adeo tranquillum habeat, quantumuis miser videatur, felicior tamen erit improbis, qui in maxima rerum omnium abundantia reuera longe sunt miserrimi. Deinde & in iudicio, de hominum aut probitate aut improbitate, facile decipimur. Cum dicimus, omnia improbo homini ex voto fluere, probo contra viro cum magnis calamitatibus esse conflictandum; constare nobis debet, qui pro improbo a nobis habetur, etiam talem esse; & reuera probum esse, qui talis nobis videtur. Saepe enim contingit, vt hypocritae maximi pro hominibus probis & virtuti deditis habeantur, vti contra nonnulli sine ratione male audiunt, & cum sint innocentissimi, in sceleratorum referuntur numerum. Esto vero, esse quosdam virtuti deditos sine sua culpa miseros, felices contra, qui non aliam, quam cupiditatem prauam, vitae suae ponunt regulam; rationi longe est conuenientius, colligere inde, dari post hanc vitam remunerationem recte factorum, scelerumque poenas, quam, Deum nullam rerum humanarum gerere curam. Atque ita etiam ratio se inde expedire potest. Planiora autem adhuc cuncta fiunt, si ad ductum reuelationis regnum naturae & regnum gratiae inter se conferamus. Hinc enim intelligemus, quae in illo mala nobis videntur, aduersa quaeuis ac varia calamitatum genera, quibus homines

mines pii aliquando tantum non obruuntur, in hoc omnino bonorum rationem habere, cum ad aeternam istorum salutem promouendam sint comparata. Atque hoc est, quod Paulus dixit, *Dei amantibus omnia* (adeoque aduersa quaeuis) *ad bonum conferre; Rom. VIII, 28.* Immo, *per multas miserias nos oportere in regnum caelorum intrare*, idem gentium doctor pronuntiat; *actor. XIV, 22.* idque ad exemplum Christi seruatoris, *Luc. XXIV, 26.* Atque hoc est *mysterium* illud *crucis*, quod homines improbi non capiunt; illi autem, qui seruantur, summam Numinis sapientiam potentiamque in eo agnoscunt; *I. Cor. I, 18. II, 6. 7.* Adeo ergo calamitates & adflictiones piorum in regno gratiae, malae non sunt, vt potius diuini amoris sint documenta; *Ebr. XII, 6. 7.* Atque ita dubium illud, quod omnium maximum videtur, facili negotio, ex vtriusque regni comparatione, tollitur.

** De regno quidem naturae hoc notum satis est, Deum certas leges constituisse, secundum quas omnis motus, omnesque operationes rerum creatarum eueniant. In quibus eo magis diuina sapientia eluceſcit, quo pauciores, quoue simpliciores sunt, sufficientes tamen, vt omnia per eas fiant, quae totius huius vniuersi, singularumque rerum creatarum conseruatio, & quarumdam propagatio, requirit.

*** Hoc de malis physicis est intelligendum. Ad mala enim moralia quod attinet, vti semper mala sunt, ita eorum origo non a Deo, sed ab ipsis hominibus, &, qui hos astutia sua in praeceps dedit, infernali genio, est repetenda. Nec quidquam hic occurrere, quo Deus, quod lapsum angelorum, hominumque permiserit, aut non impediuerit, iniustitiae argui queat; patebit ex iis, quae suo loco hac

de re disputabimus. Ad mala itaque physica quod attinet, haec si vere mala sunt, ex peccato iterum hominum originem trahunt, adeoque nihil inde, quod prouidentiae diuinae repugnet, colligi potest. Sed multa habentur mala, quae reuera mala non sunt. Quae in plantis quibusdam ac animalibus deprehenduntur venena, in se spectata, minime mala sunt, etsi talia sint intuitu hominum, aut aliorum animantium. Certa morborum genera ad sanitatem hominum conseruandam sunt comparata, adeoque minime mala. Ex ordine necessario, in societatibus, speciatim rebus publicis obseruando, multa incommoda fluunt; quibus dum premuntur homines, ea mala esse putant, cum tamen sine iis longe miserior foret illorum conditio. Imaginationis etiam, quod non negandum, in fingendis atque exaggerandis malis, ac calamitatibus, quibus se adfligi homines putant, mira est foecunditas. Plurimi se pauperes esse putant, quia tantum non habent, quantum habere vellent. Mirum hinc non est, medias inter diuitias quod nonnulli esuriant. Contemni se alii putant, quando honor, quo se dignos ipsimet iudicant, iis non tribuitur. Si aliis rursus non permittitur, vt agere ea queant, quae male sana libido suadet, miseros se & infelices conqueruntur, quod vndique obstacula sese offerunt, quae superare nequeunt. Et ita in aliis quoque quamplurimis res se habet. Quae quidem ab iis vrgeri solent, qui, num plus bonorum, quam malorum (physicorum) in hocce mundo sit? disputant; vti G. G. LEIBNITIVS, in *tentaminibus Theodiceae, de bonitate Dei, libertate hominis, & origine mali, part. III. §. CCLI. p. 431. seq.* Nec tamen haec vltra, quam par est, extendenda sunt. Quantumuis enim plurima pro malis habeantur, quae mala non sint, quantumuis plurima mala atque calamitates in hominum tantum imagina-

tione

tione consistant, aut tantae saltem non sint, quantas sibi esse persuadent; plurima tamen adhuc remanere, quae in se spectata, reuera mala sunt, hoc est, homines miseros reddunt, negari nequit. Sed cum ista mala physica ex moralibus, seu hominum peccatis, oriantur; facile iterum intelligitur, non Deo, sed hominibus ipsis eorum originem tribuendam, cunctaque ad primum peccati in orbem introitum redire; de quo suo loco ex instituto dicetur.

§. XLV.

Nihil autem est, in toto hocce vniuerso, quod non prouidam hancce Numinis curam experiatur, vti nihil omnino est, quodnon eadem indigeat. Homines, bruta, res inanimatae, paucis, res quaeuis, quocumque nomine veniant, hanccc Numinis benignitatem loquuntur. Vt enim nihil indignum fuit, quod a Deo crearetur, ita nihil etiam, quod ab eo conseruetur, ac dirigatur. * Homines tamen, speciatim fideles, primum praecipuumque inter haec omnia tenere locum, negari nequit. **

* Quod vt ratio ipsa omnes docet, ita & scriptura sacra confirmat. Ipse namque seruator adserit, singulorum passerum curam gerere Deum, vt & alendis iis cibum prouideat; *Matth. VI, 26.* & nullus in terram, nisi destinato Dei consilio, decidat, *Matth. X, 29.* Sed & agrestium liliorum vestitum quemdam, atque ornatum, curae esse summo Numini, idem nos admonuit; *Matth. VI, 29. 30.* Huc & illud *psalm. CXLVII, 9.* spectat: *Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum, inuocantibus eum;* item illud Iobi *cap. XXXVIII, 41. Qui praeparat coruo escam suam, quando pulli eius clamant*

ad

ad Deum, vagantes, eo quod non habeant cibos.

** Hoc ipse rursus seruator nos condocet. Cum enim volucrium caeli exemplo prouidentiam diuinam comprobasset, discipulos suos ita adloquitur: *οὐχ ὑμεῖς μᾶλλον διαφέρετε αὐτῶν; nonne vos multo eis estis praestantiores? Matth. VI, 26.* Et cum de liliis agri loquutus esset, addit: *Quod si terrestrem herbam, quae hodie est, & cras in clibanum conicitur, Deus sic vestit, οὐ πολλῷ μᾶλλον ὑμᾶς non multo magis vos? v. 30.* Rursus, cum de passerculis dixisset, nullum eorum sine destinato Numinis consilio in terram cadere, de discipulis suis statim subiicit: *at vestrum etiam capilli capitis omnes numerati sunt; ne formidaueritis igitur: longe passeribus antecellitis vos; Matth. X, 30. 31.* Ita ergo ipsemet seruator rationes nos subducere iubet: cum homines, cumprimis fideles, animantibus brutis, aut gramine etiam, floribusque agri longe sint praestantiores, eo maiorem etiam Deum eorum curam gerere; conf. & *psalm. XXXIII, 18. 19.*

§. XLVI.

Pro diuersis prouidentiae diuinae effectibus diuersi etiam eius actus, nostro concipiendi modo, constitui solent; a quibusdam quidem tres, *conseruatio*, *concursus*, & *gubernatio*; ab aliis duo, ita, vt concursus sub gubernatione comprehendatur. *

* Distinctius tamen incedunt, qui tres prouidentiae diuinae actus, conseruationem, concursum, atque gubernationem, constituunt. A gubernatione enim diuersum esse concursum, ex dicendis patebit. Triplex etiam hicce effectus, ex obiecti, circa quod prouidentia diuina versatur, diuersitate quodammodo

do resultat. Conseruatio enim ad res omnes spectat; in iis, quae mouentur, ad conseruationem accedit concursus; in iis denique, quae ratione vtuntur, ad conseruationem atque concursum specialiori quadam ratione gubernatio accedit. Ita adcurate hosce actus a se inuicem discernere licet.

§. XLVII.

Conseruari res omnes a Deo, certum est, etsi modus nobis non satis sit cognitus. * Diuersa tamen ratione, tum intuitu spirituum, tum intuitu corporum, & quidem tam eorum, quae semper permanent, vt caelum, quam eorum, quae intereunt equidem, sed propagantur, hoc intelligendum esse, res ipsa docet. **

* Quidquid tandem de modo conseruationis sit, res ipsa posita est extra controuersiam. Hoc namque est, quod Paulus docet: *in Deo sumus*, hoc est, ab eo habemus, quod exsistamus; *actor. XV, 28.* itemque *Ebr. I, 3.* φέρων τὰ πάντα, sustentans omnia, ne collabascant; & rursus, *Coloss. I, 17. omnia in eo consistunt*; conf. & *psalm. CXIX, 91. Es. XL, 26.*

** Spiritus enim a Deo creati numquam esse desinunt, adeoque & semper a Deo conseruantur. Corpora caelestia tam diu conseruantur, quamdiu Deus ea vult permanere. Reliqua autem corpora qua speciem equidem conseruantur, dum quibusdam destructis, alia iterum nascuntur, quamdiu Deo ita visum fuerit; qua indiuidua autem, quamdiu secundum leges naturae, a Deo ipso constitutas, persistere possunt.

§. XLVIII.

Concursus Dei in iis rebus creatis adsciscitur, quae & ipsae facultate se mouendi

di gaudent. Quem, qui ita explicant, quod Deus in prima creatione rebus eiusmodi vim operandi concesserit, reuera eum negant. Nec tamen eo vsque hicce concursus est extendendus, vt res creatae nihil plane, Deus autem omnia immediate agere censeatur, quippe quod sine impietate fieri nequit. Rectius itaque sentiunt, qui Numinis, ad omnes rerum creatarum motus, atque actiones, concursum statuunt, vt tamen res creatas ipsas, seu causas secundas, vi, qua pollent, agendi, atque aliquid efficiendi, non priuent. *

* Etsi causae secundae propria quadam vi atque potentia aliquid efficiendi, agendique polleant; Deus tamen ad omnes simul atque singulas illarum actiones & motus concurrit, ea quidem ratione, vt vna eademque sit actio, a Deo atque causis secundis profluens. Idque cum ex effectuum praestantia, nobilitateque, & sapientissima motuum atque actionum directione, ratio ipsa intelligat, luculentius tamen adhuc scriptura confirmat. Haec namque diserte docet, effectus quoslibet, non minus causis secundis, quam Deo ipsi tribuendos esse. Ita de hominis generatione Iobus loquitur: *Manus tuae fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu; memento, quaeso, quod sicut lutum effeceris me: nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum coagulasti? pelle & carnibus vestisti me, ossibus & venis compegisti me, &c. cap. X, 8. seq.* Pari ratione & rex sanctissimus Dauid de corporis sui in vtero matris formatione ita verba facit, vt eam Deo ipsi tribuat, *psalm. CXXXIX, 14. 15.* De generatione hominis quod diximus, id de aliis quoque

que cauſſarum naturalium effectibus teſtatur. De pluuia, rore, atque glacie, Deus ipſe ad Iobum: *Quis eſt pluuiae pater? vel quis genuit ſtillas roris? De cuius vtero egreſſa eſt glacies? & gelu de caelo quis genuit? cap. XXXVIII, 28. 29.* Sed & reliqua, quae ibidem ſequuntur, hoc mirifice confirmant. Idem vero & Paulus nos condocet, ad Lyſtrenſes verba faciens: *Tametſi non ſe reliquit* (Deus) *non teſtatum benefaciendo, de caelo nobis pluuias, frugiferaque dando tempora, explendo cibis ac laetitia noſtros animos, actor. XIV, 17.* Quae quidem, vt & alia eiusdem generis, quo pacto de Deo, niſi ad omnes cauſſarum ſecundarum motus & actiones concurreret, dici poſſent, non video. Quid vero pluribus verbis opus? Diſerte hoc idem gentium doctor teſtatur, in ſua, quam ad Athenienſes habuit, oratione, quando dicit, quod Deus *omnibus vitam, halitum, omnia denique, conferat; actor. XVII, 25.* itemque, quod *in Deo viuamus, moueamur, & ſimus;* hoc eſt, quod non minus motum, quam vitam ac exſiſtentiam ab eo habeamus; *v. 28.* Sunt vero haecce omnia de concurſu Dei generali & ordinario, ſecundum certum ordinem a Deo ipſo conſtitutum, intelligenda. A quo ſi ſpeciaſiori quadam directione, vel ordinis immutatione, aliaque ratione, Deus aliquando diſcedit, vt in miraculis fieri ſolet, id quidem documento eſt, quod & ipſa Numinis omnipotentia ſuadet, Deum non neceſſitate quadam, ſed liberrime, ad rerum creatarum motus atque actiones concurrere. Quod, vt iniquis impiorum hominum cogitationibus occurramus, haud perfunctorie obſeruandum. Cumque etiam Deus omnipraeſens non minus quam omnipotens ſit, recte dicitur, immediate eum, ſiue eſſentiam, ſiue virturem agendi ſpectes, concurrere; quod tamen intuitu cauſſarum ſecundarum, non ipſius effectus, eſt intelligendum. Hic enim

enim mediate, per cauſſas ſecundas, non autem immediate a Deo proficiſcitur.

§. XLIX.

Gubernatio eſt actionum omnium, humanarum praecipue, ad certum finem, eumque ex intentione Dei ſemper bonum, directio. * Dirigit autem Deus actiones hominum plerumque mediate, per lumen rationis & reuelationis, itemque per obiecta varia, quae illis offeruntur, aliarumque cauſſarum concurſum; interdum & immediate, ac praeter ordinem, per certos inſtinctus atque impulſus: ** dirigit tum piorum, tum impiorum actiones, illorum quidem, vt ſemper commodum inde percipiant; horum, vt, ſi ipſimet commodum inde percipere nolint, in poenam promeritam iis cedant; *** vtrorumque autem, vt bonitas, iuſtitia, & ſapientia eius magis magisque manifeſtetur. * Cumprimis in diuerſis hominum ſtatibus, eccleſiaſtico, ciuili, & oeconomico, gubernatio iſta diuina luculentiſſima ratione conſpicitur. **

* Gubernationis vox interdum pro ipſa prouidentia, qua omnes eius actus ſpectata; interdum ita, vt concurſum Numinis ſimul connotet; quandoque autem pro directione quadam ad certum finem, accipitur. Vltima ſignificatio nobis hic in cenſum venit; qua quidem ratione, ſpeciatim ad homines, vtpote rationis vſu pollentes, pertinet.

** Cum ad mentem hominis praecipue iſta directio,

rectio, siue gubernatio spectet; haec autem ex intellectu & voluntate, ceu praecipuis facultatibus, constet; distincta quoque ratione directio illa considerari potest. Intellectus itaque ordinarie per lumen rationis, atque reuelationis, vniuersalis scilicet illius, quae hodie in scriptura sacra continetur, dirigitur. Hinc enim quilibet homo, quid agere, quidue intermittere debeat, condiscere potest, vt & voluntati creatoris morem gerat, & suae quoque rite consulat saluti. Vt autem lumen reuelationis ad regnum gratiae, ita ad regnum naturae lumen rationis spectat; quod, licet hodie non sufficiat ad salutem consequendam, potest tamen hominem, ad lumen reuelationis quaerendum, ac inueniendum, manuducere, adeo vt per illud merito quilibet ἀναπολόγητος censeatur; *Rom. I, 20.* Huc vero & leges illae naturales referendae, quas hominum cordibus inscriptas Paulus docet, *Rom. II, 15.* Praeter ordinem vero Deus intellectum per reuelationes speciales dirigit, quae olim subinde piis sanctisque hominibus obtigerunt; *Ebr. I, 1.* & de quibus suo loco ex instituto dictum. Voluntatem autem hominis mouet ordinarie quidem per varia obiecta, quae illi partim vt bona, partim vt mala, aut etiam vt indifferentia, exhibentur, & quibus aut ad agendum, aut non agendum, ad adpetendum vel auersandum excitatur. Hinc enim omnes hominum actiones fluunt. Praeter ordinem Deus immediate per instinctus atque impulsus voluntatem hominum dirigit. Neque tamen statim quilibet instinctus atque impulsus, etiam illi, quorum caussam cognitam atque perspectam non habemus, pro diuinis, seu talibus, qui immediate a Deo excitentur, habendi. Possunt quoque subinde caussae naturales subesse, quae nobis cognitae non sunt; in quibus simul peculiaris quaedam Numinis directio aliquando accede-

re potest. Certe, instinctus eiusmodi, ad certum vitae genus eligendum, aut ad ea suscipienda, quae magnam saepe in ecclesia aut re publica rerum conuersionem post se trahunt, plurimum conferre, singularique adeo ratione Numinis prouidentiam in iis se exserere, & experientia docet, & historiarum monumenta testantur. Denique & per aliarum causarum concursum Deus voluntatem hominis mouet flectitque, atque ita ad id, quod sibi constitutum est, dirigit; cum alii hortando, monendo, suadendo, aliaque ratione, vt aliquid aut suscipiat, aut intermittat, eum inducunt.

*** Ad homines pios quod attinet, nullum est dubium, quin Deus omnes illorum actiones ita dirigat, vt in eorum commodum cedant; quod & apostolus testatur, *Rom. VIII, 28.* Quare & cum agunt, quibus calamitates atque aduersa sibi arcessunt, non sine sapientissima, benignissimaque Numinis hoc fieri directione, censendum est. Immo & quando Deus permittit, vt in peccata prolabantur, modo in iis non perseuerent, sed per poenitentiam ad pristinum statum redeant, vtilitatem inde percipere possunt; cum ad maiorem circumspectionem, ardentiusque vitae sanctae studium hac ratione excitari queant. Ad impios autem quod attinet, non minus & illi ex iis, quae per directionem Numinis eueniunt, commodum, si vellent, capere possent; cum Deus per res secundas atque aduersas homines quosuis ad veram perducere poenitentiam adlaboret. Quod si autem sapere nolint, & salutis media respuant, non inique Deus agit, si ea fieri permittat, ex quibus iustitia eius manifestetur. Dicentur hac de re plura in sequentibus.

* Hic namque finis vltimus est prouidentiae diuinae, conf. *prouerb. XVI, 4.* item *Rom. IX, 22. 23.*

** In

** In statu ecclesiastico directio haec diuina conspicitur, quando viros magnis virtutibus, ingeniique dotibus praeditos excitat, qui ad ecclesiae propagationem, incrementum, emendationem, plurimum conferunt; itemque, quando permittit, vt per haereses, schismata, tyrannorum vexationes, aliaque ratione, ecclesia adfligatur. In statu ciuili, quando ipsius nutu & directione summa rerum eiusmodi principibus confertur, a quibus bona aut mala in rem publicam redundant; conf. *I. Sam. IX, 17. X, 21. XVI, 7.* In statu domestico quam euidenter haecce Numinis directio se prodat, vel matrimonia testantur.

§. L.

Quae speciatim circa homines, praesertim fideles, se exserit Numinis prouidentia, tum in ingressu in vitam humanam, tum in eius progressu, & denique in egressu ex eadem, vel maxime conspicitur. Et in ingressu quidem tum concursum, tum gubernationem quamdam specialem, facili negotio deprehendere licet.

§. LI.

In progressu vitae humanae, actiones hominum varias deprehendere licet, easque tum bonas, tum malas. Et illarum quidem cum aliae ciuiliter, spiritualiter aliae bonae sint, diuerso etiam modo prouidentia diuina, siue concursum, siue gubernationem spectes, circa eas occupatur. * Id quod & de malis actionibus est obseruandum; ad quas Deus equidem generatim concurrit, vt tamen nulla peccati in eum

redundet culpa. Deus enim nulla ratione cauſſa, auctorque peccati dici poteſt.**

* Sermo hic nobis eſt de actionibus, in genere morum ſpectatis. De motibus enim, ſeu actionibus naturalibus, prout moralibus opponuntur, quid cenſendum ſit, ex hactenus dictis conſtat. Morales autem illae actiones cum iterum vel *bonae* vel *malae* ſint; de illis porro obſeruandum, quod in ſtrictiori ſenſu iſtae tantum bonae dicantur, quae ipſum ſpiritum ſanctum auctorem in hominibus, eius operationi non reſiſtentibus, agnoſcunt, hinc & *ſpirituales* vocari ſolent; in latiori vero, etiam hominum irregenitorum, adeoque & gentilium, quae cum lege diuina aliqua ratione conueniunt, ita dici conſueuerunt. Quarum quidem actionum cum interdum in vita ciuili, vt bonum publicum promoueatur, & aliorum commodis conſulatur, haud contemnendus vſus ſit, *ciuiliter bonae* adpellari poſſunt. Atque ad hasce actiones ciuiliter bonas Deus non tantum concurſu generali concurrit, ſed easdem etiam ita dirigit, vt, in quantum bonae dici poſſunt, eas adprobet, promoueat, & ad finem ſibi propoſitum deducat. Hinc & eiusmodi hominibus ſubinde Deus, ceu ſeruis ſuis atque inſtrumentis, ad maxima quaeuis perficienda, vtitur, vt vel Cyri, Perſarum regis, exemplo patet; *Eſ. XLV, 1. ſeq.* Immo & praemiis interdum, ſed quae huius tantum vitae ſunt, iſtas actiones adficit, largiendo eas obeuntibus honores, diuitias, proſperos ſucceſſus, & alia huius ſaeculi commoda. Atque hi ſunt ſerui in domo patris caeleſtis, qui *panibus circumfluunt*, *Luc. XV, 17.* a filiis, quibus deſtinata eſt hereditas, probe diſtinguendi; conf. *Ioan. VIII, 35.* Ad eas vero actiones, quae ſpiritualiter, adeoque reuera bonae, Deoque gratae ſunt, quod attinet, diuerſus iterum hominum conſiderandus ſtatus eſt. In ipſo enim con-

conuersionis actu cum homo nihil, Deus omnia agat, soli quoque Deo, quae fiunt, tribuenda sunt. Atque haec adeo ad *gratiam*, quam vocant, *operantem*, referuntur. Quando autem homo iam per conuersionem, regenerationemque, vires quasdam spirituales accepit, tum quidem ipse itidem aliquid efficere potest, sed non solus, cum & gratia diuina, vt *cooperans*, hic concurrat; immo id, quod praecipuum est, peragat.

** In malis actionibus hominum & concursus Numinis, & eius gubernatio, seu directio, considerari potest. Ad concursum quod attinet, iamdudum theologi monuerunt, in actione mala duo spectari posse, motum physicum, & ἀταξίαν illi adhaerentem. Atque ille quidem in se spectatus cum plane indifferens sit, nihil obstat, quo minus Deus ad eum concurrat. Concurrere autem omnino, rationes, atque scripturae oracula, quibus Deum ad omnes hominum motus & actiones concurrere, probauimus, euincunt. Ἀταξία autem ista actioni adhaerens, cum tantum ab hominis determinatione dependeat; nihil in isto concursu, quod sanctitati Numinis repugnet, deprehendi, manifestum est. Ad gubernationem, seu directionem quod attinet, Deus ita circa actiones malas versatur, vt, cum ipsemet eas detestetur, *psalm. V, 5. Es. LIX, 2.* homines etiam ab iis quouis modo auocare adnitatur, eumque in finem & prohibeat eas, & poenas grauissimas legis transgressoribus comminetur, *Exod. XX, 5. 7.* subinde & eas impediat, *Num. XXII, 12. seq. Gen. XX, 6. XXXI, 24. 29. psalm. XXXIII, 10;* aliquando permittat, *psalm. LXXXI, 13 actor. XIV, 16. Rom. I, 24. 28.* idque ob causas iustissimas, sanctissimasque, diuersas tamen; tum intuitu peccantium, siue hi in peccatis persistant, siue ad mentem meliorem redeant;

tum intuitu illorum, quibus per aliorum peccata incommodum aliquod adfertur. Quod cuncta tandem ad optimum finem dirigat, ex iis, quae generatim de eius gubernatione diximus, liquet.

§. LII.

In egreſſu ex vita humana, prouidentia diuina circa terminum vitae vel maxime ſe conſpiciendam praebet. Vnicuique enim hominum Deus vitae certum terminum praeſtituit; non equidem decreto quodam abſoluto, quod mutari nequeat, ſed ſecundum ordinem naturae, indolemque cauſſarum, quibus aut vita hominum prorogari, aut mors eis accelerari poteſt; ita tamen, vt etiam, ordine hocce naturae ſublato, Deus aut prorogare vitam, aut accelerare mortem queat; idque diuerſas ob cauſſas, & ob finem diuerſum, tum piis hominibus, tum impiis. *

* In celebri hacce, de vitae humanae termino, quaeſtione, duo itidem euitanda ſunt extrema; quorum alterum illorum eſt, qui, vitae humanae terminum, aeterna quadam & immutabili fatorum lege, aut decreto quodam diuino, ita fixum, firmiterque ſtatutum eſſe, exiſtimant, vt nulla ratione mutari queat: alterum vero illorum, qui cauſſis naturalibus, vt vitae rationi, conſtitutioni corporis, aliisque, eum ita tribuunt, vt diuinae prouidentiae nullam habeant rationem. Inter quae duo extrema, media via tutiſſima erit. Et primo quidem vitae humanae neutiquam fixum, immobilemque, atque fatalem eſſe terminum, promiſſiones

siones diuinae, de vita piis proroganda, *Exod. XX, 12. XXIII, 25. 26. Deut. XXX, 20. 1. reg. III, 14.* euincunt. Quae vanae essent, si fatali quadam & ineuitabili necessitate hominibus hoc vel illo tempore moriendum esset. Non tantum autem promissiones, verum & comminationes diuinae, vanae irritaeque essent, si fatalis vitae terminus omnibus hominibus esset constitutus. Comminationes puto de vita impiis breuianda; *Deut. XXX, 17. 18. psalm. LV, 24. CIX, 8. prouerb. X, 27. 30.* Preces porro piorum, quibus vel sibi, vel aliis vitam longiorem a Deo petunt, idem comprobant. Epaphroditum infirmum, mortique vicinum fuisse, Paulus adserit; *Philip. II, 27.* sed Deum misertum esse illius, vitamque ex mera gratia ei prolongasse. Pro filiolo suo Dauid orauit, *II. Sam. XII, 16. 22.* Cumprimis vero illustre admodum est exemplum Ezechiae regis, *Es. XXXVIII, 1. seq.* Cum enim is percepisset, tempus mortis suae instare, preces ad Deum fudit, quas etiam Deus exaudiuit, adeo, vt ipsius vitae quindecim adhuc annos adiiceret. Non vtique Ezechias vitae prorogationem a Deo petiturus fuisset, si sciuisset, fato quodam ineluctabili eius terminum esse constitutum. Vanae enim atque ludicrae fuissent preces. Porro, cum Deus precibus hisce aurem praebuerit, vitamque regis ad quindecim vsque annos prorogauerit, re ipsa demonstrauit, terminum vitae naturalem mutari posse. Qui Deum, cum adnuntiari Ezechiae iuberet, finem vitae instare, more humano simulatione vsum fuisse putant, aliudque prae se tulisse, aliud autem serio decreuisse; eiusmodi quid adferunt, quod & Deo indignum est, & verbis apertis scripturae sacrae repugnat, vti a me demonstratum in *animaduersionibus ad Petri Chauuini librum de relig. nat. cap. IV, §. X.* p. 466.

p. 466. seq. Hisce denique nonnulli addunt, medicae artis vsum & commendationem; *Syr. XXXVIII, 2.* Fruſtra enim morbis medicatas opponi potiones contendunt, ſiquidem & ſine iis mortem euaſuri ſint homines, quando fatalis vitae nondum adeſt terminus; hic autem ſi adſit, ad vitam prorogandam nihil valeant. Sunt tamen, ne quid diffitear, quae ad vltimum hocce argumentum regeri poſſunt. Inſignis enim, prorſusque egregius medicae artis, in variis morborum generibus, doloribus cumprimis leniendis, & ſanitate conſeruanda, vſus eſſe poteſt; etſi tum, quando fatalis vitae terminus adeſt, ad vitam prorogandam nihil valeat.

Non minus tamen & contraria reiicienda eſt ſententia, quae vitae humanae terminum ex cauſſis naturalibus ita deducit, vt nullus fere diuinae prouidentiae locus concedatur. Refellitur namque iſte error iisdem rationibus, quibus ſupra diuinam prouidentiam adſtruximus. Cum enim demonſtratum ſit, eam ad res omnes, etiam minutiſſimas, pertinere, praecipue autem circa homines, maxime pios, verſari; nullum plane eſt dubium, quin circa finem vitae cuiusuis hominis, ſingulari quadam ratione ſeſe exſerat. Id vero, cum ſecundum ordinem, a Deo ſemel conſtitutum, fiat, cauſſarum ſecundarum efficaciam cum Numinis prouidentia hic coniungendam eſſe, manifeſtum eſt. Simul tamen, cum Deus libertime agat, non poteſt ita ordini huic adſtringi, vt non integrum illi ſit, vitam nonnumquam aut prorogare, aut breuiare. Atque id quidem eſt, quod & ſcriptura ſacra docet; vt, cum *Iob. XIV, 5.* dicitur: *definiti ſunt dies eius*, (hominis) *numerus menſium eius* (eſt) *apud te*; (Deum enim Iobus adloquitur) *ſtatuta eius feciſti, quae non transgreditur.* Diſerte adſerit: dies hominis eſſe חרוצים *definitos*,

tos, determinatos, certa lege circumscriptos. Hanc enim vocis istius vim esse, viris doctis etiam Ebraeorum magistris, obseruatum est. Idem repetit, quando dicit: *numerum mensium* (hominis) *apud Deum esse;* & denuo, sed ita, vt oratio velut per gradus adscendat, cum, Deum omnino *statuta fecisse*, adfirmat, quae homo transilire nequeat. Quod tamen non ita capiendum, ac si Deus absoluto quodam decreto terminum vitae immutabilem hominibus constituerit: id enim cum scripturae sacrae effatis, quae antea attulimus, consistere nequit; sed quod Deus secundum ordinem naturae, per causas secundas sese exserentem, vnicuique certum terminum praescripserit, quem tamen ipse, si velit, mutare possit. Cum ergo dicit, hominem *statuta* ista non transgressurum, sensus est, quod in hominis viribus vtique positum non sit, vt ipsemet terminum istum naturalem mutet: ex quo tamen non sequitur, Deum illum mutare non posse. Atque ita intelligitur, mediam istam sententiam, quae certum vitae humanae terminum, sed mobilem, & Numinis voluntate mutabilem, statuit, ceu rationi pariter ac scripturae sacrae conuenientem, reliquis praeferendam esse. Ceterum, naturalis ille vitae humanae terminus, quem Deus constituit, tum secundum diuersas mundi aetates, tum pro singulorum hominum diuersitate, diuersus est. Ante-diluuianos enim homines longe maius temporis spatium viuendo emensos esse, quam qui post diluuium vixerunt, & adhuc viuunt, notum est. In causas autem istius rei inquirere, nostri non fert instituti ratio. Legenda, quae dixi, in *hist. eccles. vet. testam. tom. I.* ad *per. I. sect. I. §. XL. p. 166.* Ad singulos porro homines quod attinet, ob corporis constitutionem, conditionem aëris, vitae genus, temperantiam aut intemperantiam, aliasque causas, tum morales, tum naturales, con-

tingere potest, vt quorumdam breuior, aliorum longior sit vita. Sed huncce terminum Deus iterum varias ob caussas aut prorogare potest, aut breuiare; vtrumque & in piis hominibus, & in impiis. Piorum nimirum vitam nonnumquam in praemium virtutis Deus prorogat; *Exod. XX, 12. prouerb. III, 1. 2.* si scilicet videat, hoc saluti aeternae eorum non fore noxium. Cum eiusmodi enim conditione promissiones istae intelligendae sunt. Idem & quandoque facit ad vtilitatem, quam aut ecclesia, aut res publica ex iis percipere potest; *II. Cor. I, 8. 9. Philip. II, 27.* Rursus vero & eorumdem vitam breuiat, vt a seductione improborum conseruentur; *sap IV, 10. 11.* vtque calamitatibus publicis, aliisque malis, subducantur; *II. Chron. XXXIV. 28.* Pari ratione & impiorum vitae filum ante terminum naturalem abrumpit, vt illorum improbitatem hac ratione puniat; *psalm. LV, 24.* Qua in re subinde iudicia diuina luculenta quadam ratione sese produnt; etsi haud raro etiam occurrant, quae rationi nostrae sunt abscondita. Speciatim & eorum vitam breuiat, quando ex permissione diuina eiusmodi delicta admittunt, quae poenam post se trahunt capitalem; qua quidem vt homicidae adficerentur, Deus ipse constituit; *Gen. IX, 6.* aut aliud quid agunt, quo finem vitae sibi accelerant. Rursus tamen & impiorum vitam prorogat, vt peccata peccatis cumulando, grauiori deinceps, seueriorique poena adficiantur, aut vt in hacce etiam vita per liberorum calamitates, aliaque ratione, vindictam Numinis experiantur.

§. LIII.

Finis prouidentiae, vt ex dictis liquet, non alius, quam reliquorum operum diuinorum esse potest: bonitatis, potentiae, ac

ac sapientiae, immo & iustitiae diuinae manifestatio, indeque resultans summa Numinis gloria; *proverb. XVI, 4.* Idque cumprimis intuitu hominum, qui hac ratione ad quaerendum, hinc & colendum ac venerandum conditorem suum, inducidebent; *actor. XIV, 16. 17. XVII, 26. 27.* Simul tamen haec operum diuinorum consideratio ad lumen reuelationis inuestigandum, ac inueniendum, veramque adeo salutem consequendam, manuductio esse potest.

§. LIV.

Qui in operum diuinorum consideratione a recto aberrant tramite, in duo fere prolabuntur extrema; quorum alterum eorum est, qui rationi nimium tribuentes, vel ea potius abutentes, non credunt, quod credere debebant; alterum eorum, qui superstitione abrepti, quae non credere debebant, credunt. Sic, ad creationem mundi quod attinet, in priori classe collocandi sunt, qui aut ipsum mundum, aut saltem materiam semper exstitisse statuunt; aut mechanica quadam ratione, secundum leges motus, eam, quam hodie intuemur, mundi faciem exortam comminiscuntur, vel alia ratione gloriam creatoris imminuunt; ad posteriorem autem, qui, gloriam creatori debitam rebus creatis deferentes, idololatriae, aut crassio-

crassioris, aut subtilioris crimine se obstringunt.

§. LV.

Pari ratione in doctrina de spiritibus alterum extremum eorum est, qui spiritus exsistere negant, aut eorum operationes in dubium vocant, hinc &, quidquid de spectris, magia, & obsessione dicitur, inter friuola mortalium commenta, aut male sanae mentis insomnia referunt: alterum eorum, qui superstitione ducti, bonis angelis cultum, illis minime debitum, nec ab iis expetitum, deferunt, aut malorum etiam opera, ad facinora praua perpetranda, vti non dubitant.

§. LVI.

Sic & in doctrina de prouidentia nonnulli, Epicuri vestigia prementes, eam aut prorsus negant, casuique fortuito cuncta adscribunt; aut valde extenuant; imminuuntue: alii contra, in alterum extremum procurrentes, fatum aliquod Stoicum, non minore impietate, amplectuntur, aut etiam, quod non magnopere inde abludit, Deo eiusmodi decreta tribuunt, per quae homines omni priuantur libertate, & tantum non absoluta necessitas introducitur.

§. LVII.

Media vero inter hosce scopulos via, vt tutissima & optima, rationique pariter ac scriptu-

scripturae sacrae est conueniens; ita omni tempore a sapientissimis viris adprobata, hinc & defensa semper ac propugnata fuit, &, per varia licet fata, in ecclesia ad nostram vsque aetatem propagata.

§. LVIII.

Ex eo, quod Deus omnia creauit atque conseruat, sua sponte imperium fluit, quod ei in homines pariter ac spiritus, ceu rationis vsu pollentes, competit. Cum enim & quod sint, & quod viuant, non minus, ac omnia, quae habent, Dei vnice benignitati imputent, adeoque ex eo plane pendeant; facile intelligunt, Deo ius fasque esse, leges illis praescribendi, & ab illis exigendi, vt ad ipsius se componant voluntatem; *Ier. X, 7. 11. 12.* Cum vero Deo etiam potentia tanta sit, cui nemo resistere possit, ad plenum ei nihil deest imperium. Oritur hinc obsequium, ad quod tum spiritus, tum homines, vtpote ratione gaudentes, sunt obligati: ad quod etiam, si sapiunt, tanto promtiores erunt, quanto maiora sunt, quae per creationem a Deo acceperunt beneficia, & quo plures, quae eos ad hoc adducere debent, concurrunt caussae. Contenti porro sint donis, a creatore benignissimo in eos collatis; *Es. XLV, 9.* nec iis se efferant, cum nihil habeant, quod non acceperint; *I. Cor. IV, 7. psalm. VIII, 5.* quin potius gra-

to

to ſubinde, quae per creationem acceperunt, recolant animo; *pſalm. CXXXIX, 14.* ſeque ipſos ad ſpem & fiduciam in Deo ſolo collocandam, creationis recordatione, excitent; *pſalm. CXLVI, 5. 6.* Et ita efficere poſſunt, ne Deum poeniteat, quod homines fecerit; *Gen. VI, 6.*

§. LIX.

Vt inter res creatas omnes, ſpiritus, nullo cum corpore coniuncti, ſeu angeli, primum, praecipuumque locum tenent; ita maximum etiam potentiam, ſapientiamque Numinis concelebrandi nobis praebent argumentum; conf. *pſalm. CIV, 4.* Erga bonos angelos noſtro etiam tum demum recte fungemur officio, ſi illorum imitemur virtutes, & in hacce vita incipiamus tales eſſe, quales aliquando erimus, ſi ſcopo noſtro non excidamus, ἰσάγγελοι; *Luc. XX, 36.* Quas quidem inter virtutes angelicas humilitas eminet, quam adeo illorum exemplum nobis egregie commendat; *Eſ. VI, 2.* Malorum autem angelorum eo nos facile adducet conſideratio, vt vitia eorum fugiamus; non alio, quam vt infenſos Dei hominumque hoſtes decet, eos habeamus loco; hinc & ab illorum nobis caueamus inſidiis; inſultibus vero eorum fide & precibus fortiter reſiſtamus; *I. Petr. V, 8. II. Cor. II, 11. Epheſ. VI, 11. ſeq.*

§. LX.

§. LX.

Quemadmodum denique diuinae prouidentiae negatio pronisſima ad peſſima quaeuis via eſt; *ſap. II, 2. ſeq.* ita ſine vera eius, viuaque agnitione vera religio Numinisque cultus ſibi non conſtat. Namque & fidem excitat, atque corroborat, & vt in Deo ſolo fiduciam noſtram collocemus, efficit, *I. Petr. V, 7.* Efficit etiam, vt iis, quae nobis obtigerunt, ſimus contenti, & auaritiam, ceu radicem omnis mali, fugiamus; *Matth. VI, 25. ſeq. I. Tim. VI, 10.* Efficit porro, vt res creatas, quarum opera Deus vtitur, non alio, quam inſtrumentorum loco habeamus, nec ea, quae ſoli Deo propria ſunt, illis tribuamus. Efficit tandem, vt omnes, quae in ſtatu aut ciuili, aut eccleſiaſtico contingunt, mutationes, aequo feramus animo; cum certi ſimus, Deum omnia ad bonum finem dirigere.

LIBRI SECVNDI
CAPVT TERTIVM
DE
BEATITVDINE HOMINVM, CETERISQVE, QVAE EO PERTINENT.

Σύνοψις

Σύνοψις.

BEatitudo hominum consistit in eorum communione cum Deo, §. I.

Quae in hacce vita incipit, §. II.

in futura autem continuabitur, augebitur, & consummabitur, §. III.

Idque speciatim intuitu cognitionis nostrae; cuius indicatur modus, §. IV.

obiectum, §. V.

Voluntatis quoque vel maxime huc spectat perfectio; inque ea amor, §. VI.

Vnde & perfectissima sequitur cum Deo communio, itemque, imaginis diuinae perfecta restauratio, §. VII.

Voluptas porro, & ineffabile gaudium, §. VIII.

Corporum denique splendor gloriaque, §. IX.

Quae de sensuum externorum delectatione dicuntur, cum grano salis sunt accipienda; sed & generatim in dogmatis huius explicatione caute versandum, §. X.

Beatorum, & qua corporum claritatem, & qua dona accidentalia, quaedam erit inaequalitas, §. XI.

Electorum beatitudini opponitur damnatorum miseria, quae itidem in hac vita incipit, & ex defectu communionis cum Deo oritur, §. XII.

Hinc poenae illorum priuatiuae intelliguntur, §. XIII.

Positiuae poenae tum priuatiuis, tum iis, quae ex peccato naturaliter fluunt, opponuntur; eiusmodi poenas dari, probatur, §. XIV.

Poenae positiuae, praesertim, quae priuatiuis opponuntur, qua mentem, tum ad intellectum, tum ad voluntatem spectant, §. XV.

Poenae positiuae intuitu corporis, quae indirecte simul ad mentem pertinent, §. XVI.

Poenarum infernalium gradus, duratio, locus, §. XVII.

Caussae damnationis, §. XVIII.

Transitus ad beatitudinem pariter ac aeternae damnationis statum, fit per mortem temporalem, eius

itidem

itidem variae sunt causſae, §. XIX.

Status animae pariter ac corporis poſt mortem, §. XX.

Vt corpus aeque ac anima recte aut ſecus factorum praemium aut poenam ferat, mortuorum futura eſt reſurrectio; hinc & animae cum eodem corpore, quod habuimus, coniunctio, §. XXI.

Omnes itaque, ſine discrimine homines, impii pariter ac pii, reſurgent, §. XXII.

De cauſſis reſurrectionis quid obſeruandum? §. XXIII.

Mortuorum reſurrectionem excipiet extremum iudicium, quod aliquando fore, ſcriptura diſerte teſtatur, §. XXIV.

Iudex generatim quidem Deus, qua omnes perſonas ſpectatus, ſpeciatim autem Chriſtus erit, magna cum gloria adparituruſ; adſeſſores autem ſancti homines, §. XXV.

Iudicabuntur omnes homines ſuper omnibus factis, dictis, cogitatis; ſententia autem intuitu fidei, & incredulitatis finalis feretur, §. XXVI.

Proceſſus iudicii iſtius, §. XXVII.

Locus, tempus, item antecedentia & conſequentia, §. XXVIII.

Fontes errorum in doctrina de beatitudine & damnatione aeterna, §. XXIX.

item in doctrina de morte temporali, reſurrectione mortuorum, & extremo iudicio, §. XXX.

Verae doctrinae conſeruatio ac propagatio, §. XXXI.

Quem in vitae chriſtianae praxi vſum habeat doctrina de aeterna beatitudine & damnatione, §. XXXII.

item, doctrina de morte temporali, reſurrectione mortuorum, & iudicio extremo, §. XXXIII.

§. I.

VTi Deus, quem hactenus qua eſſentiam & attributa, qua opera etiam

in regno naturae spectata, considerauimus, summum hominum bonum est; ita summa illorum felicitas, seu beatitudo, in *communione* cum Deo, quam & *fruitionem* vocant, consistit. *

* Felicitas enim, seu beatitudo, in boni cuiusdam possessione consistit. Hoc facile per inductionem probatur, si, eundo per exempla, quaeramus, cur homines aut se ipsos, aut alios, pro beatis reputent? Summa itaque illa, de qua hic sermo est, beatitudo, non potest non in summi boni, quod solus Deus est, possessione consistere. Quae quidem possessio sine κοινωνία quadam esse nequit; qua voce scriptura sacra beatitudinem istam exprimit, *I. Ioan. I, 3.* Alias *fruitionem Dei* vocare solent, voce EX AVGVSTINO petita. Hic enim, cum discrimen, quod inter *frui* & *vti* intercedit, ostendisset; *res igitur*, inquit, *quibus fruendum est, pater & filius, & spiritus sanctus est, eademque trinitas vna quaedam summa res, communisque omnibus fruentibus ea &c. de doctrina christ. lib. I. cap. V.*

§. II.

Quamprimum homo per veram fidem, quae cognitionem sufficientem includit, cum Deo vnitur, communio etiam haecce cum eo, seu beatitudo, initium capit, *I. Ioan. I, 3.* Ex fide enim sequitur amor Dei sincerus, virtutes omnes, quocumque nomine veniant, complectens; *II. Petr. I, 5. seq.* quemadmodum rursus credentes a Deo se amari sciunt, cuius quippe per fidem facti sunt filii, *Ioan. I, 12.* adeoque & heredes vitae aeternae, *Rom. VIII,*

VIII, 17. Hinc manentes in amore Dei, manent in Deo, & Deus in iis; *I. Ioan. IV, 16.* simulque hac ratione in iis restauratur imago Dei, ad quam magis magisque transformantur, *II. Corinth. III, 18.* Qua quidem ratione non potest non in iis esse animi magna tranquillitas, *Rom. V, 1.* gaudiumque; *Rom. XIV, 17.* etiam in ipsis calamitatibus, quas euitare prorsus nequeunt, *Rom. VIII, 36.* *

* Dubitari itaque nequit, quin credentes in hac etiam vita, seu, in statu gratiae adhuc constituti, possint vocari beati, immo, reuera beati sint; etsi beatitudo haec tantum inchoata sit, non consummata, eaque valde imperfecta, hinc & multis parasangis a beatitudine, quae est futurae vitae, seu in statu gloriae, distans. Adest enim in hacce quoque vita ipsum summum bonum, seu Deus, quem non tantum, pro statu huius vitae, cognoscunt, sed & per fidem cum eo vniuntur; vnde & κοινωνία cum Deo, seu fruitio eius, & hinc porro amor Dei, ceteraeque virtutes; quae omnia vbi adsunt, ipsam quoque beatitudinem adesse, necesse est. Accedunt reliqua bona, quae statum gratiae comitantur, liberatio a maledictione legis; *Rom. VIII, 1. & 34. Gal. III, 13.* ab imputatione peccati, seu iustificatio; *psal. XXXII, 1. 2. Rom. IV, 7. 8.* adoptio in numerum filiorum Dei; *Ioan. I, 12. Gal. III, 26.* hinc & spiritus τῆς υἱοθεσίας *Rom. VIII, 15. 16.* inhabitatio totius sacrosanctae trinitatis, *Ioan. XIV, 23. I. Cor. III, 16. VI, 19. II. Cor. VI, 16.* Atque haec quidem ita comparata sunt, vt ipsius etiam spiritus sancti iudicio beatus censendus sit, qui tot, tamque eminentibus cumulatus est bonis. Diserte namque *beatus* vocatur, qui remissio-

nem peccatorum a Deo impetrauit, *psalm. XXXII, 1. Rom. IV, 7.* Atque seruator ipse *vitam aeternam*, hoc est, beatitudinem iam habere, dicit, qui in ipsum credunt: *qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, habet vitam aeternam &c. Ioan. VI, 54.* Immo, habent credentes in Christum ipsum *regnum Dei*, quippe *quod est iustitia & pax, & laetitia in spiritu sancto; Rom. XIV, 17.* conf. & *Matth. V, 3. seq.* Nec obstat, quod imperfecta sit ista beatitudo, itemque, quod occulta sit, suumque nondum exserat splendorem. Vera enim esse potest, etiamsi sit imperfecta: quemadmodum nemo negauerit, nos vere cognoscere Deum, quamuis haec cognitio adhuc sit imperfecta. Occulta quoque licet sit, reuera tamen adesse potest: namque adest omnino, quod occultum est; quod & diserte docetur *Coloss. III, 3. 4. I. Ioan. III, 2.* Et licet non plene suum exserat splendorem; sufficit tamen, quod eodem non destituantur; quin potius ad imaginem Dei transformantur, & quidem ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν, *a gloria ad gloriam, II. Corinth. III, 18.* Ita autem in adserenda ista credentium in hac vita beatitate versandum est, vt neutiquam nimis extenuetur, nec tamen discrimen, quod inter eam, & beatitudinem in statu gloriae intercedit, tollatur, vel eneruetur.

§. III.

Atque haecce beatitudo, qua credentes in Christum iam in hacce vita fruuntur, post mortem non tantum continuabitur, sed augebitur etiam atque consummabitur. Quae enim eam in hacce vita circumstant imperfectiones, plane remouebuntur, vt illud ἐκ μέρους *I. Cor. XIII, 9.* cesset, nihilque amplius ei addi queat; habita vtique naturae humanae ratione. * *Lon-

* Longe itaque maior, eminentiorque erit beatitudo, quam adhuc in ſtatu gloriae exſpectamus, ea, qua credentes in hacce vita potiuntur. Idque eſt, quod Ioannes indicat; quando dicit: *nondum manifeſtum eſt, quod erimus, I. epiſt. III, 2.* Ideoque & beatitudo iſta, ſeu vita aeterna, ceu ingens aliquod praemium, vel βραβεῖον rite in ſtadio currentibus, *Philip. III, 14.* itemque ceu corona, ita pugnantibus, vt & vincant, *II. Tim. II, 5. apocal. II, 10.* proponitur. De diſcrimine autem beatitudinis, quae huius, & quae futurae vitae eſt, quando quaeritur, num gradu tantum, an ſpecie differat? diuerſa vocis diſtinguenda eſt acceptio. Si enim in ſtrictiori ſignificatione accipiatur, prout intuitiuam Dei cognitionem, amoremque ſummum, perfectiſſimumque, & reliqua, quae ſtatui gloriae propria ſunt, denotat; facile conceſſerim, ſpeciei eſſe, quod hic intercedit, diſcrimen, adeoque eos, qui in ſtatu gratiae adhuc conſtituti ſunt, hoc ſenſu nondum beatos dici poſſe. Cum autem nihilo ſecius ſcriptura ſacra illis etiam, qui in ſtatu gratiae adhuc conſtituti ſunt, beatitudinem quamdam tribuat, vt antea oſtendimus; manifeſtum eſt, in latiori ſignificatione hancce vocem accipiendam eſſe: qua quidem ratione, quae huius & quae futurae vitae eſt, beatitudo, non ſpecie, ſed gradibus ſolum differet. Eſt namque vtrobique idem obiectum, Deus, ceu ſummum bonum; eſt vtrobique ſummi huius boni fruitio. Non minus enim in hac, quam in futura vita Deum cognoſcimus, licet, quae futurae vitae eſt cognitio, perfectior ſit, immo, ſi modum ſpectes, quadammodo diuerſa ab ea, quae eſt huius vitae, *I. Cor. XIII, 12.* Non minus quoque Deum in hac vita amamus, quam in altera vita amaturi ſumus, licet perfectiori modo amaturi ſimus, quam nunc amamus. Iuſtitia, pax & laetitia in ſpiritu ſancto, non minus in hanc, quam

in futuram vitam quadrant, *Rom. XIV, 17.* Eadem itaque vtrobique est beatitudo, licet gradibus plurimum differat. Et ita quidem facili negotio haecce componi poterit controuersia.

Ceterum, exspectandum esse post hanc vitam eiusmodi summae felicitatis statum, in quo homines probi recte factorum accepturi sint praemia, ipsa quodammodo nos docet ratio. Ex iustitia namque, atque prouidentia diuina hoc colligere licet. Cum enim viris probis, virtutique deditis, in hacce vita cum variis calamitatum generibus conflictandum sit, cum improbis contra cuncta ex voto fluant; aut fatendum esset, Deum nullam rerum humanarum curam gerere, quod impium pariter atque absonum foret, aut concedendum, recte factorum praemia, poenasque peccatorum, post hanc vitam homines manere. Ceteroquin namque iustitiae diuinae sibi non constaret ratio. Ethnicorum hinc etiam plurimos aeternam post hanc vitam agnouisse felicitatem, notum est; quamquam & per traditionem hac de re quaedam accipere potuerint. Testimonia eorum exhibent TOBIAS PFANNERVS, in *system. theologiae gentilis purioris, cap. XX.* §. *XIX. seq.* & PETRVS DAN. HVETIVS, in *quaestionib. Alnetanis, lib. II. cap. XXIV. p. 297. seq.* In scriptura sacra autem, noui praesertim instrumenti, tam saepe beatitudinis istius mentio iniicitur, vt nemini, qui eius auctoritatem admittit, dubium vllum supereresse queat. Diuersis vero insignitur nominibus. Subinde namque *vitae aeternae* nomine venit, eo quod felicitas illa summa, seu beatitudo, vitam aeternam electorum comitatur; *Matth. VII, 14. XXV, 46. Ioan, III. 15. XVII, 3.* quandoque & *caeli*, vt locus felicitatis istius pro re ipsa ponatur; *Matth. V, 12. Marc. X, 21.* aut *regni caelorum, Matth. V, 20.* Vocatur & βραβεῖον; *Phil. III, 14. corona* vincentibus destinata; *II. Timoth. II, 5.*

II, 5. apoc. II. 10. hereditas ἄφθαρτος, ἀμίαντος & ἀμάραντος; *I. Petr. I, 4.* & quae aliae sunt loquutiones eius generis, quae rem simul extra omnem dubitationem ponunt. Nec in veteri testamento ignotum fuisse hoc dogma, vel ex *ep. Iudae v. 14.* intelligitur. Cum extremo enim iudicio non potest non coniunctus esse status & gloriae aeternae, & aeternae damnationis; conf. & *psalm. XVI, 11. Es. LXV, 17. 18. Dan. XII, 2. 3.* In explicanda autem ista beatitudine aeterna, cuius notionem generalem iam tradidimus, ita versandum, vt ex altera parte crassiores hominum plebeiorum conceptus euitemus, ex altera τὸ καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν αἰώνιον βάρος δόξης, *II. Cor. IV, 17.* recte repraesentemus. Non enim ab omnibus hoc obseruari, experientia docet.

§. IV.

Non amplius itaque ἐκ μέρους Deum cognoscemus, neque δι' ἐσόπτρου ἐν αἰνίγματι, sed *a facie ad faciem* eum videbimus; *I. Cor. XIII, 12.* immo, *videbimus eum sicuti est, I. Ioan. III, 2.* Vnde colligere licet, sine interuentu idearum, quas effectus suppeditant, adeoque immediate Deum nos cognituros; quam quidem cognitionem *intuitiuam* vocare solent: certe, tam perfectam eam fore, vt omnis γνῶσις multo studio adquisita, immo, ipsa etiam fides, prout cognitioni intuitiuae opponitur, aut, quidquid in humana cognitione imperfectionem quamdam arguit, ab ea quam longissime sit remouendum. *

* Cognitio haec, quae beatitudinis in statu gloriae partem constituit, *visionis* nomine in scriptura

sacra exprimitur. *Beati, mundi corde,* inquit seruator, *quoniam Deum videbunt, Matth. V, 8.* Et Paulus apostolus: *nunc per speculum cernimus in aenigmate, tunc autem a facie ad faciem, I. Cor. XIII, 12.* Et iterum: *sine sanctimonia nemo dominum videbit, Ebr. XII, 14.* Quibus denique & Ioannes suffragatur: *scimus, quod si adparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est, I. ep. III, 2.* Atque haecce quidem effata de mentis, non de corporis visione, hoc est, de cognitione intellectuali, capienda esse, non temere quis abnuerit. Certe, vt mundities illa cordis, de qua loquitur seruator, *Matth. V, 8.* non corporis, sed animae est mundities; ita & visio illa Dei, quae eam sequetur, non de corporis, sed de animae visione intelligi potest. Sic & cognitio illa imperfecta *per speculum in aenigmate, I. Cor. XIII, 12.* citra controuersiam intellectus, non oculorum corporis est cognitio: hinc &, quae ei opponitur, cognitio a facie ad faciem, non alia, quam intellectualis esse potest. Disquiri etiam omnino solet, an oculis corporis essentiam Dei visuri simus? Quod licet nonnulli, iique minime contemnendi, viri ex nostratibus adserant, rectius tamen eos sentire existimo, qui hocce negant. Nullo namque idoneo scripturae testimonio probari hoc potest. Ad locum enim *Iob. XIX, 25. 26.* quod attinet, ibi visionem Dei ad גואל siue redemtorem, referendam, manifestum est; qui, cum simul homo sit, corpusque adeo humanum, etsi gloria caelesti perfusum, collustratumque habeat, oculis quoque corporis conspici atque videri potest. Praeterea, cum Deus spiritus, & quidem infinitus sit, quo pacto oculis corporis videri queat, nemo intelliget. Quod autem de oculis glorificatis, & ad eiusmodi perfectionem eleuatis, vt spiritum videre queant, dicitur, id eiusmodi est, vt itidem dubitem, an a quoquam capiatur. De intelle-

tellectuali itaque cognitione cum scripturae dicta antea adlata loquantur, viterius obseruandum, per visionem illam beatorum summam cognitionis perfectionem indicari. Quod cum itidem positum sit extra dubitationem, illud solum supereſt, qualis ista cognitio futura sit, & num specie, an gradu, a cognitione huius vitae differat? Hoc autem vtcumque diiudicare licebit, si eam, quae huius vitae est, cognitionem consideremus. Haec vero si ad substantias referatur, duplici modo sese habet. Vel enim ex effectibus ideas nobis formamus, quae substantiae cuiusdam naturam & attributa exhibeant; vel eamdem immediate, & in indiuiduo percipimus. Priorem cognitionem *abstractiuam*, posteriorem *intuitiuam* vocare solent. Deum itaque cum in hac vita non aliter, quam per effectus cognoscamus, manifestum est, eam cognitionem etiam esse *abstractiuam*. Immo etiam spiritus generatim non aliter in hac vita cognoscimus, quam abstractiua ista cognitione. Intuitiua autem cognitio in substantiis corporeis tantum locum habet, quippe quas immediate, ac in indiuiduo, & quidem per sensus percipimus; vnde & hoc intuitu *sensitiuam* vocare licet. Facile tamen aliquis in hanc ingredi sententiam posset, eadem ratione, qua nos substantias corporeas percipimus, ac intuitiue cognoscimus, etiam vnum spiritum alterum cognoscere, quae cognitio *intuitiua intellectualis*, seu spiritibus propria, dici posset. Cum enim credibile non sit, vnum spiritum alterum in indiuiduo non cognoscere; non aliter, quam eiusmodi cognitione intuitiua intellectuali (quam sensitiuae hic opponimus) hoc fieri potest: etsi fatendum sit, nemini mortalium indolem istius cognitionis exploratam esse, cum nemo eam in hac vita expertus sit, aut experiatur. Cum vero in altera vita futuri simus ἰσάγγελοι, verosimile admodum videtur, quod tum & homines

ista cognitione intuitiua non tantum angelos, sed & Deum ipsum sint cognituri. Atque hoc est, quod ex instituto sibi demonstrandum sumsit vir clarissimus C. A. HEVMANNVS, in *meditatione, de modo, quo visuri sumus Deum in vita aeterna*, quae in *actis erudit. Lipsi.* exstat, *anno M DCC XIV, mense Mart. pag. 108. seq.* Nec contemnenda est haec sententia. Etsi enim ἰσαγγελία illa non adeo vrgenda sit; cum non desint, quae adhuc excipi queant, quod ostendit auctor *obseruationum* in hancce *meditationem*; in *bibliotheca nouissima obseruationum, sect. VI. num. IV. p. 265. seq.* scripturae tamen dicta, quae hancce vitae aeternae cognitionem per *visionem* describunt, cognitionem quamdam, non modo cognitione huius vitae longe perfectiorem, sed ab ea quodammodo diuersam, innuere videntur; quod & speciatim loquendi ista ratio a Paulo vsurpata: *a facie ad faciem, I. Corinth. XIII, 12.* haud obscure confirmat. Quodsi diuersa est, nihil probabilius de eius modo dici potest: quamuis nihilominus iste nobis in hac vita adhuc obscurus sit, quippe quem, vt antea iam monuimus, nemo mortalium est expertus. Quod enim mystici quidam dicunt, se Deum intuitiue in hac vita cognouisse, aut eo, vt ita cognoscant, peruenire posse; eiusmodi est, vt non temere cuiquam hoc sint persuasuri. Ista autem, de qua loquimur, cognitio, cum naturae, quantumuis perfectae, & in pristinam integritatem restitutae, vires superet; recte adseritur, lumine quodam gloriae ad eam opus esse, quo Deus intellectum perfundit, & ad intuitiuam illam sui cognitionem aptum reddit. Vt enim in statu gratiae lumen aliquod gratiae, quod obiectis spiritualibus cognoscendis sufficiat, requiritur; *I. Cor. II, 14.* ita & in statu gloriae sese res habet. Potestque de vtroque statu intelligi, quod *ps. XXXVI, 10.* dicitur: *in lumine tuo videbimus lumen.*

§. V.

§. V.

Neque Deum tantum, tum qua essentiam, atque personas, tum qua attributa, seu perfectiones, sed & qua opera adcurate, pro modo tamen & indole humanae naturae, cognoscemus: adeoque & res plurimas extra Deum, eas praesertim, quarum ad beatitudinem, omnibus numeris consummatam, aliquid cognitio confert.* Neque speculatiua mere, aut theoretica haec erit cognitio, quippe quae sola hominem minime beatum redderet; sed practica, & cum amore coniuncta, eumque & incendens magis magisque, & augens.** Hinc vero & summam sapientiam hominibus beatis nemo denegabit, quippe quae ex ista intellectus perfectione, cui & voluntatis dispositio respondet, non oriri nequit.

* Vt enim Deus, qua essentiam, & attributa, atque personas, itemque, qua opera spectatus, obiectum praecipuum est cognitionis nostrae, in statu gratiae, ita multo magis erit in statu gloriae; sed ita, vt haec omnia longe perfectius, & quidem vi luminis gloriae, cognituri simus. Ea autem, quae a libera Dei voluntate dependent, eousque cognoscemus, quousque aut a Deo fuerint reuelata, aut per effectus ipsos nobis innotuerint. Quantumuis nimirum perfecta futura sit hominum in statu gloriae constitutorum cognitio, non tamen erit infinita. Ceteroquin namque dicendi forent omniscii; quod tamen soli Deo conuenit. Hinc & de rebus creatis quaedam ignorare possunt; conf. *Es. LXIII, 16.* Non enim credendum, praestantiorem

rem fore beatorum hominum cognitionem ipsa cognitione angelorum; qui itidem quaedam ignorant; *I. Petr. I, 12. Marc. XIII, 32.* Nec tamen rursus aliarum rerum, extra Deum, hominum praesertim, & quidem eorum, qui eiusdem beatitudinis sunt participes, illis deneganda est cognitio. Praeterquam enim, quod nulla adsit ratio, cur denegari debeat; eo magis potius illis adserenda venit, quo insignior ad beatitudinem eorum augendam inde fieri potest accessio, & quo vberius etiam laudes Dei celebrandi, eiusque amplificandi gloriam, inde enasci potest argumentum.

** Cognitio vtique mere theoretica atque speculatiua neminem beatum reddit. Potest enim aliquis miserrimus esse, etsi praestantissima, adcuratissimaque multarum rerum scientia sit instructus. Hinc & in statu gratiae ea demum veri nominis censetur cognitio, quae cum fide & amore est coniuncta, *Ioan. XVII, 3. I. Ioan. II, 4.* Immo & ipsa Dei cognitio, qua & se ipsum, & res a se creatas cognoscit, eodem modo est comparata, *II. Tim. II, 19.* Multo itaque magis & cognitio beatorum hominum talis erit, hoc est, practica, & ad Numinis amorem summum eosdem excitans. Idque etiam Paulus confirmat, quando de cognitione beatorum verba faciens, *tunc cognoscam*, inquit, *quemadmodum cognitus sum*, *I. Cor. XIII, 12.* Nimirum, cognitus a Deo ita erat, vt beneficiis simul ab eo cumulatus, vim amoris diuini experiretur; vnde & iterum Deum se cogniturum profitetur, perfecte quidem, sed ea simul ratione, vt & ipse ea cognitione ad vehementissimum eius amorem impellatur.

§. VI.

Cognitio haecce Dei eo comparata est, vt,

vt, qua voluntatem, amor eius magis magisque, ſemota itidem omni, quae in hac vita ei adhaeret, imperfectione, incendatur, in quo praecipuum beatitudinis caput conſiſtit. Ex voluntate enim, aut recte, aut minus recte diſpoſita, omnis hominum aut miſeria, aut felicitas oritur.* Amor autem hicce, qui & omnes virtutes modo longe eminentiſſimo complectitur, non tantum tam ſtabilis & firmus erit, ** vt numquam iterum ab eo homines dimoueri queant; *** ſed cum libertate, quae ſtatui beatorum conuenit, nec imperfectionem quamdam inuoluit, erit coniunctus.* Quod de amore diximus, & de *amore concupiſcentiae*, quem vocant, & *complacentiae* intelligi poteſt. **

* Diſceptare inter ſeſe ſcholaſtici doctores ſolent, num beatitudo praecipua quadam ratione ad intellectum, an ad voluntatem pertineat? ſeu, quod perinde eſt, num in viſione Dei potius, quam eius fruitione, ſeu amore, conſiſtat? Nec mirum, eos hac in re diſſentire, ita vt alii pro intellectu, pro voluntate alii militent, cum & alias longe ſit frequentiſſimum, vt quidam plus intellectui, alii autem voluntati, tribuant. Recte ſentiunt, qui, vtramque facultatem concurrere debere, contendunt, ſi homo beatus dici debeat. Praecipua tamen quadam ratione in voluntate, adeoque & amore, beatitudinem conſiſtere, negari nequit. Cum enim beatitudo ſummi boni poſſeſſione, atque fruitione, abſoluatur, vti ſupra ad §. *I.* docuimus; ſequitur, quod per voluntatem, ſeu amorem, praecipue

cipue reddamur beati; cum nemo intellectu Deum possideat, eoque fruatur, sed voluntate, seu amore. Bona praeterea & mala proprie obiectum voluntatis constituunt; vt verum & falsum, obiectum intellectus. Ex bonorum autem & malorum praesentia, omnis felicitas & miseria hominum oritur. Hinc & voluntas a quibusdam haud inepte facultas ἀγαθοειδὴς, *boniformis*, adpellatur. Cognitio insuper omnis eo comparata est, vt voluntas ad bonum amplectendum, malum autem auersandum, impellatur, quia hoc praecipue ad hominis felicitatem, seu beatitudinem pertinet. Vnde etiam, quod & antea iam obseruauimus, ea demum cognitio recte se habet, quae voluntatem, prout decet, mouet. Quo sensu & Ioannes *eum, qui diligit, Deum recte cognoscere*, pronuntiat *I. ep. IV, 7. §.* Idem porro mirifice hoc confirmat, quando beatitudinem praecipua quadam ratione in eo constituit, quod Deo similes futuri simus; caussam autem eius rei adfert: ὅτι ὀψόμεθα αὐτὸν καθώς ἐστι· *quia videbimus illum sicuti est, I. ep. III, 2.* Nimirum intuitio, seu visio Dei ad ipsam equidem beatitudinem itidem spectat; sed si praecipua quadam ratione in similitudine Dei, qua amorem, virtutesque inde fluentes, ponatur, suo modo etiam caussa istius beatitudinis censetur. Idque sibi vult Ioannes.

** Quod amor Dei omnes virtutes in se complectatur, notum est, & vel ex eo constat, quod in eo summa totius legis consistat, *Matth. XXII, 37.*

*** Vnde ἀναμαρτησία, hominibus beatis tribui solet. Ex perfectissima enim Dei cognitione non potest non oriri amor perfectissimus, intensissimusque, hinc & constantissimus. Accedit, quod nullae in statu gloriae futurae sint ten-

tentationes, ſatanae inſidiis ceſſantibus, mundi ſeductionibus remotis, carnis motibus prauis eradicatis.

* Etſi enim peccare nequeant, inde tamen libertas, circa plura, quae iis ſe offerunt, bona, diuerſo ſe gerendi modo non tollitur. Illud autem, *non poſſe peccare*, tantum abeſt, vt defectum quemdam arguat, vt ſummae potius perfectionis atque beatitudinis ſit indicium.

** Diuerſae iſtae amoris, quo Deum amamus, ſpecies, cum ex diuerſa diuinarum perfectionum ad nos relatione oriantur; nihil obſtat, quo minus in ſtatu gloriae, ſed modo longe perfectiori, eminentiorique, quam in ſtatu gratiae, locum inueniant. Repetenda hic ſunt, quae de hiſce amoris ſpeciebus dixi, *inſtit. theol. mor. part. I. cap. I. ſect. IV. §. CXVI. ſeq.*

§. VII.

Perfectiſſima hinc & conſequitur communio cum Deo, ſimulque plena & perfecta imaginis diuinae, ad quam olim homo conditus fuit, reſtauratio. *Similes* enim *Deo erimus, I. Ioan. III, 2.* prout naturae humanae hoc conuenit conditioni, hinc & eminentiori quodam modo *participes* τῆς θείας φύσεως, *II. Petr. I, 4.* Hereditatemque adeo, quam vt filii Dei in hac vita exſpectamus, *Rom. VIII, 17.* re ipſa poſſidebimus; neque amplius *in ſpe*, ſed re ipſa beati erimus, *ib. v. 24.*

§. VIII.

Voluptas hinc orietur animi incredibilis ac ineffabile gaudium, vltimumque vel-

ut

ut complementum ſummae beatitudini addet. Quod quidem gaudium vt maximum, ita puriſſimum erit, perpetuum etiam, & nullo viciſſitudinis metu interturbandum; abunde itaque & calamitates & adflictiones, quas pro Chriſto fideles in hac vita ſubierunt, compenſaturum. *

* Si enim beatitudo fidelium in hac vita cum gaudio quodam in ſpiritu ſancto coniuncta eſt, *Rom. XIV, 17.* multo magis perfecta illa atque conſummata beatitudo futurae vitae; conf. *Ioan. XVI, 22. I. Ioan. I, 4.* Ex cauſſis etiam, quae hocce gaudium progignunt, illud & ſummum, & puriſſimum fore, facile colligitur. Hinc & adflictiones, calamitatesque, quae beatis hominibus in hac vita ſubeundae fuerunt, eodem multis modis compenſantur. Intelligeturque tum abunde, verum eſſe, quod Paulus dicit, *calamitates huius vitae non dignas eſſe, quae comparentur cum gloria iſta, quae in beatis reuelabitur; Rom. VIII, 18.*

§. IX.

Ne quid autem beatitudini conſummatae deſit, corpora quoque noſtra, corpori ſeruatoris, maxima gloria & claritate ſplendenti, ſimilia erunt, *Phil. III, 21.* Corpora namque ſortiemur πνευματικὰ, *I. Cor. XV, 44.* omnis non tantum imperfectionis expertia, ſed & ſubtilia maxime, atque agilia, vt motu celerrimo ab vno loco in alium transferri queant; nullis inſuper morbis & mutationibus, multo minus morti, aut deſtructioni obnoxia; ingenti denique claritate, ſeu ſplendore fulgentia.

§. X.

§. X.

Quae de sensuum externorum delectatione dici vulgo solent, cum grano salis accipienda sunt, ne beatis in caelo triumphantibus aliquid tribuamus, quod ab illorum statu plane alienum est, aut carnis voluptatibus in beatitudine ista longe purissima locum faciamus. Est enim sedulo in dogmatis huius explicatione cauendum, ne crassiori quadam, atque carnali ratione beatitudinem futuram concipiamus. Quod oculis corporis Christum visuri simus, dubio caret; iisdem vero etiam ipsam Dei essentiam nos visuros, parum commode dicitur.

§. XI.

Non omnium beatorum, quoad corporum claritatem, donaque, quae vocant, accidentalia, eadem erit conditio. Vt enim sidera caeli luminis splendore ab se inuicem distinguuntur, vnumque altero praestat; ita diuersa erit corporum post resurrectionem claritas, *I. Cor. XV, 41.* Quod &, quo minus de donorum diuersitate intelligatur, non est, quod obstet; certe proportio, quae inter labores & praemia intercedere debet, id vel maxime suadet. *

* Si beatitudo in se spectetur, prout in visione atque fruitione Dei consistit, beatorum quamdam disparitatem aut inaequalitatem fore, dici nequit. Qui enim Deum videbunt, illum eodem modo videbunt; quod, licet de visione intellectuali intelli-

gendum sit, exemplo tamen visionis corporalis declarari potest. Namque etiam, qui oculis corporis aliquid vident, si modo oculos recte dispositos habeant, vnum idemque obiectum, eodem modo, vident. Licet autem intuitiuae cognitionis indoles non satis nobis explorata sit, non aliter tamen, quam ex natura & indole visionis, de ea iudicare licet. Quodsi ergo vna eademque ratione Deum cognoscemus, eodem etiam modo eo, ceu summo bono, fruemur. Certe contrarium ex sacra scriptura probari nequit. Qua corporis vero qualitatem, aut dona, quae vocantur, accidentalia, discrimen aliquod atque inaequalitatem fore, positum est extra controuersiam. Et sane, verba apostoli *I. Cor. XV, 42. seq.* non tantum corporum aliquam diuersitatem, sed & vnius prae altero ἐξοχὴν atque praestantiam, aperte indicant. Solis enim lumen non tantum diuersum est a lumine lunae, sed maius etiam eodem, atque praestantius. Idem patet ex *Dan. XII, 3.* De doctoribus namque, atque iis, qui multos eruditerunt ad iustitiam, propheta ibi ita loquitur, vt, praecipuam quamdam prae reliquis eorum fore gloriam, seu claritatem, indicet. Neque ceteroquin caussa fuisset, cur speciatim doctorum facere voluisset mentionem. Possem addere verba Christi: *in domo patris mei multae sunt mansiones, Ioan. XIV, 2.* Certe, veteris ecclesiae doctores magno consensu non tantum *amplam caeli capacitatem*, sed *gloriae* quoque *diuersitatem* hisce verbis indicari, contendunt. Non autem negligenda sunt loca, in quibus Deus *vnicuique secundum opera sua retribuere* dicitur, *Matth. XVI, 27. Rom. II, 6. I. Cor. III, 8. II. Cor. V, 10. apocal. XXII, 12.* Quod non ita capiendum, ac si operibus nostris certum gloriae gradum mereri queamus; hoc enim absonum esse, suo loco demonstrabitur; sed, quod tanta Dei sit benignitas, atque

dixeri-

δικαιοκρισία, *Rom. II, 5.* vt ex gratia omnia atque singula opera, obseruata in praemiorum distributione proportione, remunerari velit.

§. XII.

Quanta electorum beatitudo sit, eo clarius eluceſcet, si damnatorum consideremus miseriam. Quae quidem, vti itidem in hacce vita iam initium habet, in iis, qui non credunt; ita fontem & scaturiginem praecipuam agnoscit defectum communionis cum Deo, *Es. LIX, 2.* Hinc etiam *mors* illa *spiritualis; Epheſ. II, 1. Coloſſ. II, 13.* cuius deinceps mors *aeterna* quaedam velut est continuatio, ideo *mors secunda* dicta, *apoc. II, 11.* *

* Vt beatitudo per *vitam* & quidem *aeternam*, ita & status damnationis hominum impiorum saepissime per *mortem* in scriptura sacra describitur; conf. *Ezech. XVIII, 23. XXVIII, 10. Matth. IV, 16. Ioan. VIII, 51. 52. Rom. I, 32. VI, 23.* & alibi. Quo ipso & res ipsa, & fundamentum praecipuum damnationis, adcurate exprimitur. Quemadmodum enim ex separatione animae & corporis mors naturalis sequitur; ita separatio hominum a Deo praecipuum omnis miseriae, cui damnati sunt expositi, est fundamentum. Sua sponte vero etiam inde fluit, quod homines impii, *qui alieni sunt a vita, quae ex Deo est, Eph. IV, 18.* initium aliquod damnationis iam in se ipsis in hacce vita habeant. Mors enim aeterna est continuatio quaedam mortis spiritualis, in qua iam in hacce vita sunt constituti. Idem ex analogia mortis spiritualis, & poenarum infernalium, praesertim priuatiuarum, intelligitur. Plurima tamen accedunt, quae non tantum augent,

sed nouos insuper, eosque maximos, qua animam pariter ac corpus, dolores in iis procreant. Occurrunt vero in scriptura sacra & aliae voces, quibus poenae infernales damnatorum describuntur; vt ἀπώλεια, *perditio*, *Matth. VII, 13. X, 28. Ioan. XVII, 12. actor. VIII, 20. Rom. IX, 22*; ὄλεθρος, *interitus*, *I. Thess. V, 3. II. Thess. I, 9. I. Tim. VI, 9. lacus sine aqua*, *Zach. IX, 11.* φυλακή, e qua non datur egressus, *Matth. V, 26. Luc. XII, 58. I. Petr. III, 19.* τόπος τῆς βασάνου, *Luc. XVI, 28.* ἡ κάμινος τοῦ πυρός, vbi erit *clamor & stridor dentium*, *Matth. XIII, 42.* λίμνη τοῦ πυρός, *apocal. XIX, 20. XX, 10. 14. 15.* κόλασις αἰώνιος, *Matth. XXV, 46.* σειρὰ ζόφου, *II. Petr. II, 4.* ζόφος τοῦ σκότους, *v. 17.* & *epist. Iudae v. 6. 13.* & quae reliqua sunt eiusdem generis. Atque ex hisce locis cum etiam luculentissime pateat, eiusmodi damnationis statum impiis hominibus certo imminere; vt vlterius hoc demonstremus, necesse non est. Ipsa vero & hoc nos condocet quodammodo ratio, & iisdem quidem argumentis, quibus euincit, probis hominibus aeternam exspectandam esse beatitudinem, quae supra retulimus. Loca autem scriptorum gentilium de poenis infernalibus qui legere cupit, TOBIAM PFANNERVM adeat, in *systemate theologiae gentilis purioris*, *cap. XXI.* §. *VI. seq. p. 463. seq.* & PETRVM DANIELEM HVETIVM, in *quaestionib. Alnetanis*, *lib. II. cap. XXIV. p. 297. seq.*

§. XIII.

Sequitur inde, damnatos omnibus istis, quae communionem cum Deo consequuntur, siue mentem, speciatim intellectum & voluntatem, siue corpus, & reliqua spectes, destitui. Quae tantae gloriae priuatio haud exiguam miseriae illorum, in qua versantur, partem constituit.

§. XIV.

§. XIV.

Quae *positiuae* vocantur poenae, duplicis generis sunt; vel enim *priuatiuis* opponuntur, vel iis, quae per consequentiam naturalem ex vitiis mortalium fluunt, adeoque ex supremi Numinis arbitrio, ad augendam damnatorum miseriam, constitutae sunt. Cuiusmodi quidem poenas dari, etsi ipsa quodammodo ratio videat, euidentius tamen, & clarius scriptura sacra condocet; *Matth. III, 12. X, 28. XXV, 41. Rom. II, 8. 9.* *

* Vitia hominum ita comparata esse, vt pleraque incommoda varia secum coniuncta habeant, aut post se trahant, notum est. Quae quidem incommoda cum malum aliquod passionis sint, quod malum actionis insequitur, simulque Numinis, ceu iusti iudicis hic intercedat prouidentia, sapientissimaque directio; merito pro poenis diuinis habentur, sed pro talibus, quae per consequentiam naturalem ex peccato fluunt. Inter haec vero incommoda cum non vltimum locum quietis seu tranquillitatis animi defectus teneat, quem etiam post mortem eminentiori quadam ratione homines improbi sentient; recte quidem adseritur, damnatos in inferno poenis eiusmodi, quae naturaliter e peccatis fluunt, obnoxios esse. Praeter hasce autem & alias poenas experientur, quae naturaliter ex peccato non fluunt, sed libera, iustissima tamen Dei voluntate, sunt constitutae. Et has itidem *positiuas* vocare solent, aeque ac illas, quae priuatiuis opponuntur. Dari vero eiusmodi poenas, vtroque sensu positiuas, ex adlatis scripturae sacrae locis recte probatur. Diserte enim ignis infernalis

nalis in iis mentio iniicitur; quo nomine cum dolor aliquis exquisitissimus, quem damnati, etiam qua corpus, sentient, denotetur; manifestum est, poenas infernales neutiquam in nuda quadam priuatione, seu bonorum quorumdam absentia, consistere. Simul vero, cum, ignem istum infernalem per consequentiam naturalem ex peccato fluere, adseri nequeat, poenas altero quoque sensu positiuas dari, recte inde concluditur. Accedit, quod ignis iste, diabolo & eius angelis *praeparatus*, diserte dicatur, *Matth. XXV, 41.* Idque & iustitiam diuinam exigere, ipsa quodammodo intelligit ratio. Confirmant idem gentilium scriptorum testimonia, quae auctores antea laudati suppeditant.

§. XV.

Poenae positiuae, praesertim, quae priuatiuis opponuntur, ad mentem pariter atque ad corpus spectant. Et mentis quidem, siue intellectum, siue voluntatem consideres, non vna erit adflictio. Intellectus enim, siue Deum, siue se ipsos, siue alios homines, tum beatos, tum, qui eiusdem damnationis sunt participes, contemplentur, vbique noui doloris atque cruciatus argumentum deprehendet. * Hinc vero cum non possit non auersatio, odium, tristitia, inuidia, furor, desperatio oriri, voluntatis inde augebitur miseria. Quare & in malo semper occupata voluntate, damnati non quidquam aliud, quam quod Deo displiceat, agere possunt. **

* Deum non aliter, quam iustum, sed iratum iudicem contemplari possunt. *Ira* enim *Dei manet super*

super eos, Ioan. III, 36. Ad se ipsos si se conuertant, non possunt non pudore grauissimo subfundi, ob admissa scelera, stultitiam suam damnare atque detestari, ob neglectum tempus gratiae, ad desperationem etiam impelli, ob suppliciorum grauitatem. Beatos si intueantur homines, inque iis deprehendant, quos contemtui habuerunt in hac vita, non potest non ira & indignatio inde oriri. Sin inter miseriae socios videant, quos peccatorum socios habuerunt, vel quos dilexerunt, aut a quibus ad peccata seducti sunt, vel quos seduxerunt ipsi; diuersus inde adfectuum variorum, nouum dolorem adferentium, orietur conflictus.

** Disputari ea de re solet, an damnati nouis indies peccatis vetera sint cumulaturi? Sunt, qui hoc adfirmant, immo eousque progrediuntur, vt contendant, eos numquam non Deum blasphematuros. Sunt contra, qui eos ita compescendos, coërcendosque putant, ne amplius peccare possint. Id quidem certum, nihil eos agere, aut cogitare, vel suscipere posse, quod Deo placeat. Vnde hocce sensu, quod peccent, negari nequit. Eos autem Deum etiam blasphematuros, dubito, an solide probari queat. Certe, *apoc. XVI, 11.* de damnatis sermo non est. Et durum profecto, nec temere concoquendum, maximam hominum partem, vna cum angelis malis, in omnem aeternitatem creatorem suum blasphematuros. Hoc enim quo pacto cum sapientia Numinis, ad gloriam suam cuncta dirigentis, immo & cum sanctitate, iustitia & bonitate eius conciliari queat, non video. Ceterum, vt haecce omnia ad poenas positiuas, prout priuatiuis opponuntur, spectant, ita pleraque ita comparata sunt, vt per naturalem consequentiam ex peccato etiam fluant, & hactenus ad poenas positiuas, quae his opponuntur, referri nequeunt.

§. XVI.

Corporibus damnatorum excruciandis destinatus, immo praeparatus est ignis infernalis, *Matth. XXV, 41.* Quo quidem exquisitissimi dolores, quos in corporibus experientur, designantur. Idque adeo ad poenam positiuam, non tantum quae priuatiuae, sed & quae naturali opponitur, pertinet. Simul vero & haec in ipsam mentem redundabit poena, cuius dolores & adfectus ex doloribus corporis non possunt non insigniter augeri. Sensus externos poenarum non expertes fore, admodum credibile: nec tamen, vt coniecturis nostris nimium hic indulgeamus, consultum.

§. XVII.

Vt poenarum infernalium diuersos statuamus gradus, ipsa aequitatis diuinae ratio postulat. Vt enim delicto respondeat poena, par est. * Si durationem spectes, aeternas fore damnatorum hominum, aeque ac angelorum malorum poenas, scriptura tradit. ** Locus in hac vita frustra quaeritur, etsi certum iis destinatum, dubitari nequeat. ***

* Cum maxima, immo fere infinita illorum, qui damnantur, sit diuersitas, & quidam plura, grauioraque admiserint peccata, quam alii; quemadmodum & longe maior nonnullis opportunitas, media gratiae, per quorum vsum aeterna euitare supplicia potuissent, obtinendi, oblata fuit, quam aliis; aequitas

quitas sane ipsa, immo, iustitia postulat, vt magnam quoque poenarum infernalium statuamus diuersitatem. Quod enim proportio quaedam inter poenam atque delictum intercedere debeat, ipsa ratio omnes euidenter docet; conferenda, quae dixi, *institut. theol. mor. part. II. cap. IV. §. XIV.* Idem vero & scriptura sacra luculenter confirmat. Incolarum enim vrbium Sodomae atque Gomorrhae, itemque Tyri & Sidonis, tolerabiliorem fore conditionem, quam illorum, qui, reiecta clarissima euangelii luce, perseuerare in tenebris maluerunt, diserte seruator ipse pronuntiat, *Matth. X, 15. XI, 22. 24.* Si ergo quorumdam tolerabilior erit conditio, quam aliorum, certos poenarum gradus esse, necesse est. Pari ratione & seruum illum, qui, cum domini sui voluntatem cognitam haberet, eidem tamen morem non gessit, plures accepturum plagas, itidem seruator ipse docet; *Luc. XII, 47.* conf. & *Matth. XXIII, 15.* Atque hoc est, quod & scriptura sacra tam diligenter inculcat: Deum vnicuique redditurum secundum opera sua; quod sane, nisi proportione quadam inter poenam atque delictum obseruata, fieri non posset; conf. *Rom. II, 6. II. Corinth. V, 10.* Gradus equidem istos, seu proportionem, definire, nostrum non est: id tamen certum, eam in omnibus tam exactam fore, vt Deus, iudex ille iustissimus, nullius prorsus iniustitiae argui queat. Estque hoc haud perfunctorie obseruandum, vt variis dubiis, quae hic a quibusdam moueri solent, eo rectius occurrere queamus. Speciatim de infantibus gentilium multa disputari solent. Sunt enim magni nominis theologi, qui eos, praeterquam, quod visione atque fruitione Dei illis carendum sit, aliis poenis adfligendos, adserere nolunt: alii vero spem omnem salutis, per gratiam quamdam Dei extraordinariam illis neutiquam denegandam, existimant. Sed cum illud,

quod de gratia Dei extraordinaria dicitur, incerto admodum nitatur fundamento, nec integrum nobis sit, de mediis salutis aliud quid statuere, quam quod scriptura sacra statuere iubet; tutius omnino erit, si dicamus, statum, conditionemque illorum infantum, etsi a beatitudine excluforum, admodum tolerabilem fore.

** Negari equidem nequit, si ex sola ratione quaestio haec diiudicanda esset, ἀποκαταστάσεως adsertores dubiam forte secus sentientibus reddere posse palmam. Neque id quisquam infitias iuerit, grauissimas difficultates, quae doctrinam de origine mali, eiusque cum iustitia atque bonitate diuina conciliatione, premunt, facilius superari posse, si finis poenarum infernalium statuatur, quam si earumdem adseratur aeternitas. Verum, cum res omnis ad scripturae sacrae decisionem redeat, ista ἀποκαταστάσεως patronos parum iuuant. Hanc itaque si audiamus, aeternitatem poenarum infernalium testimoniis clarissimis, luculentissimisque, confirmatam videmus. Et primo quidem poena ista damnatorum subinde diserte *aeterna* vocatur; *ignis* scilicet *aeternus*, *Matth. XVIII, 8. XXV. 41. interitus aeternus*, *II. Thess. I, 9. vincula aeterna*, *epist. Iud. v. 6. caligo tenebrarum aeterna*, *ib. vers. 13.* Immo, quod praecipuum est, & omnem dubitationem eximere potest, *fumus tormentorum adscendere* dicitur, εἰς αἰῶνας αἰώνων, *in saecula saeculorum*, *apoc. XIV, 11.* & *cap. XX, 10. cruciandi* dicuntur *die & nocte* εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, *in saecula saeculorum.* Hac enim ratione cum alias ipsa Dei aeternitas describi soleat, non alia vtique, quam quae fine omni destituitur, intelligi potest. Eadem porro aeternitas quandoque per formulas negantes ἐμφατικῶς exprimitur: *vermis eorum non moritur, & ignis eorum non exstinguitur*, quod ex *Es. LXVI, 24.* aliquoties repetitur

titur *Marc. IX, 44. 46. 48.* Sic & *Luc. III, 17.* dicitur: *paleas comburet πυρὶ ἀσβέστῳ, igne inexstinguibili.* Ex beatitudinis quoque, qua electi gauisuri sunt, aeternitate, qualis poenarum infernalium aeternitas futura sit, colligi potest. Haec namque sibi inuicem opponuntur, *Dan. XII, 2. Matth. XXV, 46.* Vt ergo beatitudinis aeternitas finem habitura non est, ita nec alia damnationis aeternitas intelligi potest. Nec praetermittendum, quod Christus diserte adserat, *iram Dei manere super hominem incredulum, Ioan. III, 36.* Manente autem ira Dei, manet quoque damnatio. Denique & hoc addendum, quod *Luc. XVI, 26. chasma magnum confirmatum* dicatur, inter beatos atque damnatos, vt nemini ex vno loco, adeoque & statu, in alterum transitus pateat.

*** Locum certum poenis infernalibus destinatum, & res ipsa docet, & scriptura sacra testatur. Vocatur enim infernus *lacus sine aqua, Zach. IX, 11. φυλακὴ, e qua non datur egressus, Matth. V, 25. 26. τόπος τῆς βασάνου, Luc. XVI, 28.* & quae reliqua sunt, supra iam ad §. *XII.* adlata. Qui autem locum istum determinare audent, ingenii sui commenta narrant, aut coniecturas adferunt, quae eadem, qua adseruntur, etiam reiiciuntur facilitate. Rectius sapiunt, qui operam nauant, vt infernum euitent, quam, qui de eius loco curiose disputant.

§. XVIII.

Caussae damnationis diuersae sunt, pro diuersa, qua considerari potest, ratione. Alio enim modo, priuatiue si spectetur, alio modo, si positiue, hac de re pronuntiandum. * Et ad positiuam quidem damnationem variae caussae aliquid conferunt, quae iterum vel absolute, & per se, vel rela-

relatiue spectari possunt. Hinc namque intelligitur, quo pacto Deus etiam inter caussas damnationis, ac poenarum infernalium, referendus sit; non aliter scilicet, quam posteriori modo, seu, vt iustissimus iudex, qui hanc in improbos sententiam pronuntiauit. ** Finis vero est, iustitiae, veracitatis, atque potentiae, adeoque gloriae diuinae manifestatio. ***

* Poenis damnatorum priuatiuis (de quibus §. *XIII.* dictum) caussam efficientem adsignari non posse, notum est, cum caussa efficiens dici soleat, quae effectus reales, & positiuos producit. Generatim tamen caussae illae, quae effecerunt, vt homo in statum damnationis perueniret, etiam caussae poenarum, quae in priuatione beatitudinis consistunt, dici possunt.

** Poenarum positiuarum, quae priuatiuis opponuntur, caussa efficiens absolute talis, si animam spectes, ipsa est anima, per obiectorum variorum repraesentationem eiusmodi adfectus excitans, qui non possunt non dolores summos, atque cruciatus secum vehere, prout §. *XV.* obseruatum est. Corporis dolores, vnde animi cruciatus simul augebuntur, ignis ille infernalis procreabit, de quo itidem §. *XVI.* dictum. Addunt nonnulli malos genios, quod velut carnifices, & tortores damnatorum futuri sint. Sed abnuunt alii, cum & ipsi illi mali daemones torquendi sint, hinc & abyssum deprecentur; *Luc. VIII, 31.* loca etiam, quae vulgo adferri solent, de tortoribus, *Matth. XVIII, 34.* de plagis, *Luc. XII, 47.* & percussionibus, *prouerb. XIX, 29.* parabolica sint, vt nihil ex iis demonstrari queat. Quae poenarum, per consequentiam naturalem ex vitiis fluen-

fluentium, & hisce oppositarum, positiuarum ratio sit, facile ex dictis intelligitur. Quod si autem poenae infernales relatiue spectentur, dubium non est, quin Deus, ceu iustissimus iudex, earum caussa efficiens dici queat. Is enim *vnicus* iste *est legislator, qui potest seruare & perdere, Iacob. II, 12.* Hinc & retributio secundum cuiusque opera diserte ei adscribitur, *Rom. II, 6.* & *II. Tess. I. 6.* Cum vero Christo, ceu mediatori, simulque capiti, & regi omnium hominum, speciatim ecclesiae, potestas iudicandi a patre tradita sit, *Ioan. V, 22.* qui & orbem iudicaturus est ἐν δικαιοσύνῃ, *actor. XVII, 31.* hinc & ei speciaiiori quadam ratione damnatio ista impiorum tribuitur, *II. Thessal. I, 7. 8.* Ea nimirum ratione Deus damnationis caussa efficiens dicitur, quod Christus sententiam damnationis in impios atque incredulos pronuntiat, *Matth. XXV, 41.* quodue gratiam suam, quam increduli ipsimet prius repudiauerunt, iis subtrahit, vnde poenae istae priuatiuae non sequi nequeunt; & denique ignem illum praeparauit, qui corpora eorum est excruciaturus. In quibus nihil esse, quod iustitiae diuinae repugnet, facile intelligitur. Nec etiam alia, quae eum ad hoc inducat, *caussa* (*impulsiua interna*) est, quam iustitia eius vindicatiua: ad quam tamen & veracitas, in implendis comminationibus sese exserens, accedere, recte dicitur. Ad *caussam* autem, quam vocant, *impulsiuam externam*, quod attinet, dubium non est, quin quodlibet peccatum & a Deo nos seiungat; *Es. LIX, 2.* & quia totius legis transgressionem inuoluit, *Iac. II, 10.* Deus non aliter, quam morte aeterna, quae & alias spiritualis est continuatio, istud punire potest, iuxta comminationem, *Gen. II, 17.* Nec enim hic discrimen aliquod inter peccata intercedit, cum illud, quod a conditione subiecti desumitur, hic locum non inueniat. Quod grauiora alia, alia leuio-

ra

ra sint, id in graduum, quos poenae infernales habent, aestimabitur diuersitate: vnde nec illud discrimen nunc in censum venit. Vt autem peccata ista actu damnent, incredulitas finalis accedat, necesse est. Si enim homines ad Deum conuertantur, remissionem peccatorum omnium impetrant, vt adeo οὐδὲν κατάκριμα, *nihil, quod actu damnet, in iis sit, qui sunt in Christo; Rom. VIII, 1.* vnde & pro caussa impulsiua damnationis haberi nequeunt. Quodsi autem non conuertantur, incredulitas finalis efficit, vt actu damnatio sequatur. Quo quidem sensu nonnulli incredulitatem finalem praecipua quadam ratione, pro caussa impulsiua damnationis habent. De peccato originali idem, quod de reliquis peccatis, censendum, cum auersionem a Deo, & inclinationem ad praua quaeuis denotet, *Gen. VI, 5.* vnde & omnes *natura filii irae*, adeoque & aeternae damnationis rei sumus, *Eph. II, 3.*

*** Iustitia ista Dei, praesertim vindicatiua, quam Deus in puniendis damnatis demonstrat, quo pacto ex sanctitate Dei fluat, ostensum *cap. I. lib. II.* §. *XXXVII.* Manifestabitur namque tum δικαίωμα, *ius illud Dei*, quod in eo consistit, vt qui peccarunt, digni quoque suo merito sint, qui puniantur; *Rom. I, 32.* conf. & *Rom. II, 5. II. Thess. I, 6. 8. 9.* Veracitas Dei simul manifestabitur, dum damnati sentient, quod antea credere noluerunt, comminationes diuinas impleri. Potentia porro, quia adparebit, omnes hostes Christi ad scabellum pedum eius esse proiectos, *psalm. CX, 1. I. Cor. XV, 25.* neminemque adeo eius potentiae resistere posse; conf. & *II. Thess. I, 9.* Gloria denique Numinis, vt ex reliquis attributis, ita & ex iustitiae, veracitatis & potentiae diuinae demonstratione, elucescit.

§. XIX.

§. XIX.

Transitus ad beatitudinem pariter, ac damnationem aeternam, fit per mortem temporalem, quae proxime ex animae corporisque dissolutione oritur. * Caussae autem mortis vel morales sunt, vel physicae; & inter morales quidem quaedam generatim huc referuntur, vt diabolus, protoplasti, per quorum transgressionem mors naturalis quoque ad omnes homines peruenit, certo modo etiam ipse Deus: ** quaedam autem speciatim, vt ipsi morientes, & alii quoque homines, ac spiritus boni maliue, diuersa vtique ratione. *** Physicae autem mortis caussae in naturales, praeternaturales, & violentas diuidi solent. *

* Mors enim, si adcurate loqui velimus, non tam in ipsa animae, corporisque dissolutione consistit, quam eam consequitur. Dissolutio enim ista cum facta est, tum demum homo mortuus dicitur. Atque ita etiam intelligendum, quando mors per ἀνάλυσιν describitur; *Phil. I, 23. II. Tim. IV, 6.* Dissolutio autem ista tum contingit, quando corporis humani machina ita destructa est, vt suo amplius fungi munere nequeat, sed circulatio sanguinis prorsus cesset. Eamque non statim localem animae a corpore remotionem inferre, nonnulli monent, etsi ista remotio etiam mox sequatur, idque ex *act. XX, 9. 10.* probare solent.

** Quo pacto diabolus atque protoplasti inter caussas morales mortis referantur, facile intelligitur; ille quidem, dum homines ad peccatum seduxit, vnde non poterat non mors naturalis quoque

que consequi; vt adeo hac ratione recte homicida dicatur; *Ioan. VIII, 44.* hi autem, dum transgressione sua non tantum sibi ipsis mortem attraxerunt, sed effecerunt etiam, vt cum peccato mors ad omnes eorum posteros transiret, *Rom. V, 12. I. Tim. II, 14.* Ad Deum autem quod attinet, is hoc solum intuitu inter causas mortis referri potest, si mors vt poena consideretur, quam Deus ceu iudex iustissimus, ob legis transgressionem hominibus infligit; *Gen. II, 17. psalm. XC, 7. Rom. VI, 23.* Hoc vero de morte impiorum praecipue est intelligendum. Piorum enim mors, si adcurate loqui velimus, pro poena haberi nequit. Cum namque peccatorum omnium remissionem a Deo consequuti sint, poena amplius locum non habet. Namque, vbi non est peccatum, ibi quoque non est poena. Hinc & mors piorum hominum ita describitur, vt in ea nihil amplius, quod poenae rationem habeat, deprehendatur. Vocatur enim *somnus, Ioan. XI, 11. exuitio*, seu vestis depositio, *II. Cor. V, 4.* Immo eos, qui in se credunt, iam *habere vitam aeternam*, & *ex morte migrasse in vitam*, seruator ipse pronuntiat, *Ioan. V, 24.* Et iterum: *Quisquis viuit, & in me credit, numquam moriturus est, Ioan. XI, 26.* Nimirum, non ita hoc est intelligendum, ac si pii homines morti non essent obnoxii; quod qui adsereret, ipsa experientia refutari posset; sed quod mors piorum non habeat rationem poenae, aut indolem mortis, quin potius, vt transitus ad vitam meliorem consideretur.

*** Ipsi morientes, vel directe, vel indirecte, mortis suae caussa exsistunt. Directe quidem, si violentas ipsimet sibi inferant manus, quo ipso simul pro caussa physica mortis reputari debent; itemque, alia ratione morti se vltro offerendo. Indirecte autem, si talia agant, ex quibus non potest non mortis peri-

periculum consequi ; descendendo v. gr. in certamina , in quibus haud raro alterutri , aut vtrique parti pereundum est; aut adeundo loca , morbis, contagionem secum vehentibus, infecta; aut labores suscipiendo, quibus, dum iis ferendis pares non sunt, vitae finis acceleratur ; aut intemperantiae, adfectibusque vehementioribus indulgendo , & quae alia sunt eiusdem generis longe plurima. Alii homines inter causas mortis morales referuntur, quando per sicarios, aut veneno, aut simili modo aliquem interficiunt, vel auctoritate ac iussu suo, aut consiliis, aliaue ratione , necem cuiusdam promouent , aut eamdem, cum id facere possent, & deberent, ab eo non auertunt ; itemque, quando intemperantiae & adfectibus vehementioribus, quibus vitae finis attrahitur, occasionem praebent. Angelorum bonorum ministerio quod Deus vtatur , in hominibus vita priuandis, exemplo Herodis constat, *actor. XII, 23.* De angelis malis res manifesta ex iis est , quae supra de eorum studio nocendi hominibus, & quo pacto Deus nonnumquam illorum ministerio, in hominibus puniendis, vtatur, diximus.

* Ad causas mortis physicas , & quidem *naturales*, senectus ipsa referri solet, cum machina corporis ita sensim atteritur, & debilitatur, vt tandem deficiat ; vnde eius destructio , animaeque & corporis solutio sequitur. Quodsi per morborum varia genera hoc fiat, *caussae* inde oriuntur *praeternaturales*. *Violentae* autem, si per vim quamdam externam, gladium, laqueum, ignem, lapsum grauiorem, aliaue ratione, corpus ita laeditur, vt, eius inde sequi destructionem, necesse sit.

§. XX.

Anima per mortem a corpore separata, superstes manet, & statim aut in beatitudi-

nis, aut damnationis aeternae locum defertur. Medium enim quemdam inter beatitudinem ac damnationem ſtatum, ſcriptura ignorat. Corpus autem, ſecundum legem diuinitus conſtitutam in puluerem redit. Noſtri vero hic officii ratio poſtulat, vt illorum, qui pie ſancteque vixerunt, memoriam celebremus, & exempla aliis ad imitandum proponamus; corporaque, more in qualibet gente recepto, ſed absque oſtentatione, aut ſuperſtitione, ſepeliamus.

§. XXI.

Ne autem corpus, quo anima maxime, ad bene aut male agendum, inſtrumento vſa eſt, aut praemii, aut poenae expers maneat, mortuorum futura eſt reſurrectio; quam, licet ratio non capiat, ſcriptura tamen tam luculenter docet, vt negari nequeat, niſi huius ſimul in dubium vocetur auctoritas diuina. * Ita vero futura eſt haecce reſurrectio, vt anima eodem cum corpore, quod in hacce vita noſtrum fuit, iterum ſit coniungenda. **

* Non de ciuili quadam, aut ſpirituali, ſed ea, quae *corporis*, ſeu carnis dicitur, reſurrectione hic ſermonem eſſe, res ipſa docet. Haec autem in corporis eiusdem, quod morte proſtratum eſt, reſtitutione, animaeque cum eo vnione, conſiſtit. Ratio equidem ſibi relicta, quod eam non capiat, mirum non eſt, cum inter myſteria, quae Deus nobis reuelauit, mortuorum reſurrectio haud vltimum

teneat

teneat locum. Hinc & gentilibus, quorum intellectus adfectibus insuper corruptus erat, difficulter persuaderi potuit; immo, cum Paulus apud Athenienses resurrectionis mortuorum mentionem fecisset, quidam ἐχλεύαζον, eum *deridebant*, *actor. XVII, 32.* Recte tamen informata ratio facile adsequitur, fieri non tantum posse, vt Deus mortuos resuscitet, sed id etiam conueniens esse, etsi modum non capiat. Hoc ita se habere, intelliget, qui inter virtutes diuinas *potentiam*, *bonitatem*, atque *iustitiam* considerauerit. Potentia namque diuina cum immensa sit, efficit, vt *possit* suscitare mortuos, reliquae virtutes, vt & *velit*. Hinc & seruator Sadducaeos ad potentiam diuinam ablegauit: *erratis, nescientes potentiam Dei, Matth. XXII, 29.* Et Paulus idem innuit, quando dicit: *Quid? incredibile iudicatur apud vos, quod Deus mortuos suscitet? actor. XXVI, 8.* Bonitatis & iustitiae diuinae consideratio eodem nos ducit. Vti enim vitium & virtus totius hominis sunt, non autem vnius partis dumtaxat; sic retributionem vtrique propositam ad totum hominem, non ad partem solum illius pertinere, vt credamus, par est: quod & apostolus ipse significat, *II. Corinth. V, 10.* Patet vero resurrectio mortuorum cum ex veteri testamento, *Iob. XIX, 25. 26. pſ. XVII, 15. XXXIV, 21. Eſ. XXV, 7. 8.* collat. cum *I. Corinth. XV, 54. Eſ. XXVI, 19. XXXV, 10. LXVI, 13. 14.* inprimis *Daniel. XII, 2.* quo & illa loca referri possunt, quae de iudicio vniuersali loquuntur, *Gen. XVIII, 25. pſalm. L, 3. XCVIII, 9. Kohel. XII, 14.* & Henochi testimonium apud Iudam *ep. v. 14.* tum ex nouo, in quo magna testimoniorum & multitudo est, & perspicuitas. Christus ipse ex instituto eam euincit contra Sadducaeos, *Matth. XXII, 31. 32.* & Paulus contra eos, qui in ecclesia Corinthiaca illam negabant, *I. Cor. XV, 12. seq.* conf. & *Ioan. V, 28. 29.*

VI, 39. 40. XI, 24. 25. I. Cor. VI, 14. II. Cor. I, 9. &c. Tam arcto etiam vinculo resurrectio fidelium cum Christi resurrectione coniuncta est, vt ex hacce illa subinde deriuetur & demonstretur, conf. *I. Cor. VI, 14. XV, 12.* Non minus & ex inhabitatione spiritus sancti in cordibus fidelium eam apostolus euincit, *Rom. VIII, 11.*

** Dubitare hac de re non licet, quantumuis ratio modum non capiat, cum scriptura sacra diserte hoc adserat. Ipsa enim vox ἀνάστασις hoc nos condocet, quae eiusdem corporis erectionem, seu restitutionem denotat. Hinc & Paulus: *viuificabit mortalia corpora vestra;* vestra, inquit, hoc est, eadem, quae nunc habetis, *Rom. VIII, 11.* Et Iobus, *cap. XIX, 25. 26.* certo se scire, adfirmat, *eadem*, qua membra eius tegebantur, *cute*, se circumdatum iterum iri; se *ex sua carne visurum Deum.* Sic rursus Paulus: idem *corpus, quod satum cum corruptione ac deformitate, & omnium virium expers, & animale, suscitandum esse*, dicit, & caelesti gloria perfundendum; *I. Cor. XV, 42. seq.* conf. & *Philip. III, 21.* Idem corpus, quod *in monumento iacuit*, a Christo resuscitabitur, *Ioan. V, 28.* Exempla porro eorum, quos Christus, prophetae, & apostoli resuscitarunt, hoc quoque comprobant; cumprimis & resurrectio ipsius Christi, imaginem exactissimam nostrae resurrectionis exhibens; conf. *I. Cor. XV, 49.* Iustitiae denique diuinae hoc postulat ratio, cum iniquum foret, si aliud, & non illud ipsum, quo improbi peccarunt, corpus puniendum; aut aliud, nec illud ipsum, quo pii homines dura quaeuis, atque aspera perpessi sunt, praemio sit adficiendum; conf. *II. Cor. V, 10.* Dubia, quae hic mouentur, eum non morabuntur, qui expenderit, apud Deum non esse

ἀδύνατον

ἀδύνατον πᾶν ῥῆμα, *Luc. I, 37.* eumque longe plura efficere posse, quam nos cogitationibus nostris adsequi valeamus.

§. XXII.

Resurgent omnes homines, sine aetatis, status, aut alio quocumque discrimine. Idque finis resurrectionis, vt quilibet intuitu corporis etiam bene aut male actorum praemium, aut poenam referat, postulat.* Impii itaque pariter ac pii resurgent, cum iustitiae diuinae non minus intersit, vt illi qua corpora puniantur, quam vt hi eodem modo recte factorum praemium accipiant.**

* De fine proximo resurrectionis loquimur, qui intuitu *fidelium* est, vt ad plenam beatitudinis possessionem admittantur; intuitu autem *infidelium*, vt extremum supplicium subeant; conf. *II. Cor. V, 10.* Vltimum enim, diuinae gloriae in iustitia tum vindicatiua, tum remuneratoria, manifestationem esse, nemo dubitat.

** Impiorum resurrectio a nemine negari potest, nisi qui euidentissimis scripturae sacrae oraculis vim apertam inferre velit. Danielis testimonium notum est: *Et multi ex dormientibus in terra pulueris, expergiscentur, hi ad vitam aeternam, illi ad opprobria, & contemtum aeternum; cap. XII, 2.* Quibus verbis omnium hominum, tum piorum, tum impiorum resurrectionem vates sanctissimus innuit, dum nonnullos ad vitam aeternam, alios ad opprobrium aeternum resurrecturos, diserte adserit. Ad noui testamenti libros si progredimur, ipsum statim seruatoris effatum occurrit, quod omne prorsus dubium eximit: *veniet hora, qua omnes, qui in monumentis*

sunt, audient vocem eius; & prodibunt, qui bona fecerint, in resurrectionem vitae; qui vero male egerunt, in resurrectionem condemnationis, Ioan. V, 28. 29. Si *omnes, qui in monumentis sunt*, vocem seruatoris, homines resuscitantis, audituri sunt, ergo & impii; de quibus insuper diserte dicitur, quod illi, qui *male egerint*, hoc est, impii resurrecturi sint ad condemnationem. Quid vero luculentius, quam quod Paulus *actor. XXIV, 15.* dicit: *Spem habeo in Deo, fore, quam etiam ipsi exspectant, resurrectionem mortuorum, tum iustorum, tum iniustorum.* Non suam modo, sed Iudaeorum quoque hanc sententiam esse, apostolus profitetur, quod tum iusti, tum iniusti sint resurrecturi. Posset idem vlterius ex progressu extremi iudicii, vbi iusti ad dextram, iniusti seu impii, vtique a mortuis resuscitati, ad sinistram iudicis collocabuntur; *Matth. XXV, 33.* itemque ex retributione, quam quisque in corpore suo, quod per resurrectionem iterum accepit, feret, *II. Cor. V, 10.* probari, nisi plura addere, superuacaneum foret. Disquiri etiam solet, num omnes vno eodemque tempore sint resurrecturi? an vero duplex futura sit resurrectio, prima & secunda? quam nonnulli ex *apoc. XX, 5.* statuunt. Sed huius quaestionis diiudicatio ex iis petenda, quae de chiliasmo disputantur; de quo hic non agitur.

§. XXIII.

De caussis resurrectionis nihil dici potest, quod non sua sponte omnibus pateat, adeoque superfluum videri queat. Hoc saltem monendum, parum adcurate eos loqui, qui impios etiam, siue damnandos, virtute meriti Christi resurrecturos, contendunt. *

* Ecquis

* Ecquis enim est, qui nesciat, Deum esse, qui mortuos resuscitabit, quemue adeo caussam efficientem principalem dicere, moris est: conf. *Rom. IV, 17. II. Cor. I, 9.* Cum vero hoc eiusmodi sit, vt omnibus trinitatis personis sit commune, mox patri tribuitur, *Ioan. V, 21. II. Cor. IV, 14.* mox filio, *Ioan. V, 21. VI, 39. 54. XI, 25.* mox spiritui sancto, *Rom. VIII, 11.* Specialiori tamen ratione quadam, Christo ceu capiti humani generis, non tantum, qua Deus, sed &, qua homo est, potestas resuscitandi mortuos vindicatur, idque ex pacto illo, quo pater filio regnum tradidit, vt hominum genus sanguine suo redimeret, & μεσίτης esset inter Deum & homines; conf. *Ioan. V, 21. 25. 28.* Caussam, quam vocant, *impulsiuam internam*, esse iustitiam Dei, remuneratoriam quidem intuitu fidelium, intuitu autem incredulorum, vindicatiuam, ex fine resurrectionis intelligitur; *externam*, intuitu fidelium, esse meritum Christi, intuitu impiorum impoenitentiam finalem, ex iis, quae generatim de caussis obtinendae salutis subinde monentur, nemini obscurum esse potest. Fuerunt equidem nonnulli, qui contenderent, impios etiam vi meriti Christi resurrecturos. Notus prae reliquis hoc nomine est HENRICVS BOETIVS, theologus Helmstadiensis, cui cum FRIDERICO BALDVINO, theologo Witebergensi, hac super re controuersia intercessit; conf. HIERONYMVS KROMAYERVS, *hist. eccl. saec. XVII. p. 649.* ANDR. CAROLI, *memorabil. eccl. saeculi decimi septimi, part. I. lib. II. cap. XII. p. 327.* Verum, cum resurrectio improbis poenae loco sit, meritum autem Christi ad bonum aliquod, hominibus impetrandum, tendat; facile intelligitur, illud pro caussa impulsiua resurrectionis, intuitu impiorum, haberi non posse. In quibusdam equidem scripturae locis resurrectio mortuorum videtur merito Chri-

sti tribui, vt *Ioan. XI, 25. I. Cor. XV, 22.* At, ibi speciatim de resurrectione piorum sermonem esse, res ipsa docet. Quod si quis ita hoc explicaret, impios resuscitari, vt ob spretum per incredulitatem meritum Christi puniantur, eius quidem recte se haberet sententia: ἀκύρως tamen admodum loqueretur, qui diceret, impios ob meritum Christi resuscitari, vel meritum Christi esse causſam impulsiuam externam resurrectionis, intuitu impiorum.

§. XXIV.

Mortuorum resurrectionem statim excipiet extremum iudicium, per quod electi in plenam summae beatitudinis possessionem immittentur, damnati autem aeternis cruciatibus addicentur. Cuiusmodi iudicium aliquando fore, non inuita ipsa ratione, euidentissimis testimoniis scriptura docet; ex qua & constat, primis statim hominibus ex diuina reuelatione hoc innotuisse; * *Iud. vers. 14. 15.* conf. *Matth. XXV, 31. seq. act. XVII, 31.*

* Vniuersale aliquod hominibus omnibus instare iudicium, ipsa quodammodo ratio ex prouidentiae diuinae consideratione intelligit. Bonorum enim, malorumque cum hic commixta inter se fata, atque confusae vices sint; *Kobel. IX, 2.* immo, improbis saepius multa ex voto fluant, cum probis contra cum variis calamitatum generibus sit colluctandum; *ps. LXXIII, 3.* recte inde concluditur, Deum haec ita permissurum non esse, immo, per bonitatem, iustitiamque suam permittere non posse, nisi tempus futurum esset, quo quisque suarum actionum reddere rationem debeat. Confirmari haec egregie possunt, verbis Malachiae vatis, *cap. III,*

III, 16. 17. 18. Idem vero & animi, prauorum sibi conscii, vis testatur. Vnde enim istae, aut adcusationes, aut excusationes? *Rom. II, 15.* nisi ipsa ratio quodammodo dictitaret, supremum aliquem esse iudicem, qui dictorum omnium, factorumque rationem esset exacturus. De scripturae testimoniis nemo dubitat. Primis iam parentibus hoc a Deo reuelatum, ex *epist. Iud. v. 14.* recte colligitur. Certe & ipsa foederis gratiae, cum iis initi, hoc ratio postulat. Hinc & Abrahamus Deum orbis huius vniuersi iudicem, & quidem iustissimum, agnoscit, *Gen. XVIII, 25.* conf. & *psalm IX, 8. Kohel. XII, 14.* Ex noui testamenti libris conf. adhuc *Rom. II. 16. II. Cor. V, 10.*

§. XXV.

Generatim Deus ipse, qua omnes personas spectatus, iudex est; *Kohel. XI, 9. XII, 14. Rom. II, 5. 6. Ebr. XII, 23.* specialiori tamen ratione Christus, ceu regni, quod illi a patre traditum est, caput; *act. XVII, 31. Rom. II, 16. II. Cor. V, 10. II. Tim. IV, 1. Ioan. V, 22.* & quidem auctoritate non aliena, sed propria, *Rom. XIV, 10. 11.* * magna cum gloria, *Matth. XXV, 27.* cum tuba Dei, *I. Thessal. IV, 16.* & numeroso angelorum comitatu, qui sua in hocce actu ministeria Christo praestabunt, *Matth. XIII, 41. 49. XXV, 31. 32. Luc. IX. 26. I. Thessal. IV, 16. 17. II. Thessal. I, 7.* ** Adsessores autem Christi sanctos homines, speciatim apostolos, in hocce iudicio fore, ex *I. Cor. VI, 2. 3.* & *Matth. XIX, 28.* itemque *Luc. XXII, 29. 30.* nonnulli colligunt. ***

* Nimirum, quia Deus iure creationis rex atque dominus est omnium hominum, hinc & legislator, *Iac. IV, 12.* ideoque & iudex est, seu facultatem habet, rationem omnium ab hominibus exigendi, & vnicuique secundum opera sua reddendi, quae promeruit; *Rom. II, 6.* Quamobrem & generatim iudicium hoc Deo, *locis* iam *citatis*, alibique, adscribitur. Quod specialiori ratione Christus iudicium hocce administraturus sit, ex *locis citatis* itidem liquet. Referunt huc nonnulli & verba Esaiae vatis: *Iehoua iudex noster, Iehoua legislator noster, Iehoua rex noster, ipse saluabit nos; cap. XXXIII, 22.* cum omnia haecce epitheta egregie in Messiam quadrent. Est autem Christus iudex, non tantum qua Deus, sed & qua homo, adeoque, prout ex pacto cum patre caput & rex totius humani generis est constitutus. Atque id ipsemet nos condocet, quando dicit: *pater non iudicat quemquam, sed iudicium omne dedit filio, Ioan. V, 22.* Repugnare huic videtur alterum eius effatum, *ego non iudico quemquam, Ioan. VIII, 15.* & iterum: *est, qui quaerat, & iudicet*, scilicet *pater, v. 50.* Sed facile haec inter se conciliabuntur. Pater solus absque filio, eoque modo, quo filius οἰκονομικῶς ceu caput, & rex ecclesiae, non iudicat quemquam. Iudicat tamen cum filio, & per filium, qui vir ille est, *quem Deus iudicem constituit, actor. XVII, 31.* Rursus & filius non iudicat quemquam, seorsim a patre; *Ioan. VIII, 16.* eoque modo, vt mundum, seu homines vniuersos damnet, *Ioan. III, 17.* Rationem, cur pater omnem iudicandi potestatem filio dederit, ipse iterum seruator *Ioan. V, 27.* exponit: *& auctoritatem ei dedit, etiam iudicium exercendi,* ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστί, *eo quod filius hominis est*, hoc est, eo quod ex pacto cum patre humanam naturam induit, vt ea faceret, atque pateretur, quibus suis salutem

tem impetraret, hostium autem Dei regnum destrueret: hinc enim regnum, adeoque & potestas exercendi iudicium, illi debebatur. Spectant huc, quae Paulus de statu exinanitionis & exaltationis Christi differit, *Phil. II, 5. seq.* Christum vero, non aliena, aut delegata, sed propria auctoritate iudicium exercere, facile intelligitur. Etsi enim hoc faciat vt rex & caput ecclesiae, hoc tamen munere nemo, nisi qui & idem verus summusque Deus esset, fungi poterat. Praeterea, si secundum naturam diuinam spectetur, dubium nullum est, quin hoc faciat auctoritate propria, atque summa. Nec aliter se res habet, secundum humanam naturam, quippe quacum ob personalem vtriusque naturae vnionem, omnis maiestas diuina est communicata; *Colloss. II, 9.*

** Magna cum gloria, seu in splendore diuinae maiestatis, se venturum ad iudicium, ipsemet iterum seruator testatur: *Cum autem venerit filius hominis in gloria sua, nec non omnes sancti angeli cum eo, tunc sedebit in throno gloriae suae, Matth. XXV, 31.* Vbi & in aduentu, & in sessione in throno, diuinae maiestatis splendor designatur. Neue aliam, quam diuinam, adeoque infinitam gloriam intelligamus; Christus *se venturum* dicit, *in gloria patris sui, Matth. XVI, 27.* hoc est, ea, quam cum patre, διὰ τὸ ὁμοούσιον communem habet. Ita autem comparata erit haecce gloria, vt mortalium omnium oculis conspici queat, *Matth. XXIV, 30. XXVI, 64.* De tuba Dei, quae aduentum domini comitabitur, itemque de voce archangeli, Paulus ita loquitur: *ipse dominus descendet e caelo,* ἐν κελεύσματι *cum hortationis clamore, cum voce archangeli, & tuba Dei, I. Thess. IV, 16.* Vbi quidem, quod ad vocem archangeli attinet, sunt, qui hoc ita explicant, quod Christus ipse iussionis suae efficacia se demonstraturus sit principem angelorum; eo quod vnum tantum archangelum

lum ſcriptura commemoret, qui ſit Chriſtus ipſe. Verum, non omnium haec eſt ſententia. Licet enim Chriſtus recte archangelus adpelletur; poteſt tamen & inter creatos angelos quidam princeps eſſe, qui archangeli nomine veniat. Certe, interpretatio iſta, qua per *vocem archangeli* vox ipſius Chriſti intelligitur, nimis coacta eſt; quin potius videmus, quod apoſtolus archangelum hunc diſerte a domino, ſiue Chriſto diſtinguat. Ad *tubam Dei* quod attinet, eius alibi quoque, *Matth. XXIV, 31.* & *I. Corinth. XV, 52.* mentio iniicitur, quam proprie intelligendam eſſe, variae rationes ſuadent. Angelorum praeterea ingens erit multitudo, ad iudicis augendam gloriam, atque maieſtatem; *Matth. XXV, 31. Luc. IX, 26.* Atque hi etiam Chriſto, ceu iudici, in iudicandorum congregatione, in piorum ad beatas ſedes deductione, & impiorum ad infernum detruſione, miniſteria ſua praeſtabunt; quod ex locis iam adlatis patet.

*** Scilicet, vt ſententiam Chriſti calculo ſuo adprobent, prout *apoc. XIX, 1. 2.* hoc exprimitur.

§. XXVI.

Iudicabuntur omnes homines, nemine excepto, *II. Cor. V, 10. Rom. XIV, 10.* pii pariter ac impii, viui ac mortui; quorum illi transmutandi prius, & in occurſum domini rapiendi ſunt, *I. Theſſ. IV, 16. ſeq.* hi autem a mortuis reſuſcitandi.* Nec homines tantum, ſed & angeli mali, *II. Petr. II, 4. Iud. v. 6.* Iudicabuntur porro ſuper omnibus actionibus ſuis, non tantum factis, *Rom. II, 6. II. Cor. V, 10.* verum & dictis, *Matth. XII, 37.* immo & cogitatis; *Kobel. XII, 14. Rom. II, 16. I. Cor. IV, 5.* ſed ita,

vt

vt sententia demum intuitu aut fidei, aut incredulitatis finalis, ferenda sit. **

* Vnde & in symbolo, vt vocatur, apostolico, dicitur, quod Christus venturus sit, *iudicare viuos & mortuos*. De immutatione autem viuentium, qua corpora illorum in eum statum perducentur, in quem perducuntur, qui a mortuis resuscitantur, dicit apostolus, quod futura sit ἐν ἀτόμῳ ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ, *I. Cor. XV, 52.* Quando nimirum in nubibus in occursum domini subuehentur, continget illa mutatio, qua corpus mortale in immortale, corruptibile in incorruptibile, animale in spirituale transmutabitur, obseruato in reliquis discrimine, quod inter electos ac damnatos intercedit.

** Quatenus scilicet vtraque, tum fides piorum, tum incredulitas impiorum, ex operibus cognoscitur. Vnde mirum non est, quod subinde in sententia ista iudiciali operum iniiciatur mentio, *Matth. XXV, 35. & 36.* item *42. & 43. Rom. II, 6. seq. II. Corinth. V, 10.* Nimirum iudicii extremi non alia ratio esse potest, quam iustificationis in hac vita, cum illud sit huius velut exsequutio. Vt ergo tantum per fidem iustificamur, *Rom. III, 28.* ita tantum intuitu fidei electi in extremo iudicio ab omni poena absoluentur, praemiumque referent. Vtque incredulitas est caussa proxima condemnationis, *Marc. XVI, 16.* ita eius quoque intuitu, sententia pronuntiabitur in impios. Per opera autem cum vtraque manifestetur, horum mentionem fieri, nemo mirabitur.

§. XXVII.

Processus iudicii huius ita instituetur, vt caussae cognitionem, quam alii *iudicium discussionis* adpellitant, * excipiat sententiae pronuntiatio, seu *iudicium*, quod vocant,

cant, *retributionis*; eaque sententiae pronuntiatio, pro illorum, qui iudicantur, diuersitate, vel *absolutoria* erit, vel *condemnatoria*. Vltimo tandem loco sequetur exsequutio, *Matth. XXV, 46.*

* Non ac si seruator, ceu iudex, discussione illa, seu inquisitione, tum demum instituenda, opus habeat, sed vt iudicii istius iustitia omnibus manifestetur. Nec operosa erit ista inquisitio, quia ob iudicis omniscientiam, *Mal. III, 5. Ioan. II, 25.* & cuiusque hominis conscientiam, cuncta vnico velut momento temporis in apricum producentur. Manifestabuntur autem hac ratione omnia hominum opera, etiam maxime occulta, *Rom. II. 16. I. Cor. IV, 5.* tum bona piorum, tum mala impiorum; illa quidem, ad fidem eorum comprobandam, simulque gratiae ac benignitatis diuinae magnitudinem exhibendam; haec autem ad pudorem improbis incutiendum, & iudicii diuini iustitiam demonstrandam. Ad peccata piorum hominum quod attinet, ea per conscientiae dictamen & illis in memoriam reditura, vt eo magis diuinae misericordiae magnitudinem agnoscant, a vero non abhorret: an vero aeque ac peccata impiorum publicanda sint, de eo non vna omnium est sententia. Qui hoc adfirmant, ad ea scripturae loca prouocant, in quibus dicitur, quod omnia hominum opera in iudicium producenda sint; *Kohel. XII, 14. Rom. II, 6. II. Cor. V, 10.* Putant etiam, iudicis iustitiam exigere, vt omnia causae momenta ex vtraque parte expendantur; in maiorem quoque clementiae Dei, & meritorum Christi laudem, hoc cessurum, & quae alia sunt, eiusdem generis. Sed potior mihi illorum ratio esse videtur, qui hoc negant. In processus enim iudi-

iudicialis descriptione *Matth. XXV, 31. seq.* nulla istius rei fit mentio. Repugnant promissiones diuinae, quod *peccatorum nostrorum amplius recordari nolit. Es. XLIII, 25. Ier. XXXI, 34. Mich. VII, 19.* Opera quidem omnia secundum effata antea adlata, proferentur in iudicium, sed non ideo statim omnia publice recitanda sunt. Iustitiae diuinae ratio satis sibi constat, si ea opera, propter quae impii condemnabuntur, publice recensentur. Ad clementiae, & meritorum Christi laudem celebrandam, satis est, si ipsis electis peccata, quorum remissionem impetrarunt, non sint ignota; conferenda BALTHASARIS BEBELII *dissertatio, de peccatis electorum, in iudicio extremo non publicandis*, quae exstat in *sylloge tractatuum, de statu, loco, & vita animarum, postquam a corporibus discesserunt &c. part. II, p. 259. seq.*

§. XXVIII.

De loco extremi iudicii hoc solum constat, quod in aëre & nubibus futurus sit; *I. Thess. IV, 16. 17. Matth. XXIV, 30.* Ad tempus autem quod attinet, diem quidem certum a Deo constitutum esse, nouimus, *actor. XVII, 31. Rom. II, 5.* eumque fore diem saeculi nouissimum, quo & resurrectio mortuorum, & consummatio rerum omnium futura sit; *I. Cor. XV, 23. 24. II. Petr. III, 10. 12.* simul tamen eum nobis incognitum esse: cum Deus noluerit, vt a quoquam sciretur, *Marc. XIII, 32.** Interim ex certis signis, a Deo ipso reuelatis, generatim, tempus extremi iudicii adpropinquare, cognosci potest; quae vel *remota* sunt, vt haereses,

reſes, & varia calamitatum publicarum genera, vel *propiora*, inter quae reuelatio antichriſti haud vltimum locum tenet. ** Atque, vt haec ad antecedentia extremi iudicii pertinent, ita conſequens erit, mundi conſummatio, qua caelum & terra, & quae in iis ſunt, corpora, igne peritura ſunt; *II. Petr. III, 7. 10.* ***

* Equidem apoſtoli iam ſua aetate de vltimo tempore ita loquuti ſunt, vt proxime illud inſtare, exiſtimaſſe, videri queant; conf. *I. Cor. X, 11. Philipp. IV, 5. Iac. V, 8. 9. I. Ioan. II, 18.* Quod autem non ita capiendum eſt, ac ſi cenſuerint, vltimum illum tam cito venturum diem, cum Paulus diſerte moneat, non tam propinquum eum eſſe, vt nonnulli ſibi perſuadeant; *II. Theſſ. II, 2.* ſed cum in vltimo temporum interuallo ſe conſtitutos intelligerent, & coram Deo mille anni ſint ſicut vnus dies, *II. Petr. III, 8.* hoc intuitu non ſine ratione, vltimum illud iam inſtare tempus, dicere potuerunt: quamquam quaedam loca a viris doctis de iudicio, ſiue clade, quae Iudaeis imminebat, explicentur.

** Inter ſigna *remota* merito referuntur, deſtructio vrbis Hieroſolymae, adnuntiatio euangelii in toto mundo, immo & certo modo fata, quae eccleſia chriſtiana ſubitura erat, antequam antichriſtus reuelaretur; conf. & *Matth. XXIV, 3. ad 29.* Signa *propiora* non vnius generis ſunt, cum quaedam longiore, quaedam breuiore interuallo iudicium extremum praecedant: quorum adeo illa *propinqua*, haec autem *proxima* dicere poſſes. Ad priorem claſſem omnium conſenſu refertur *reuelatio antichriſti, II. Theſſ. II, 3. ſeq.* cuius plenum excidium, ſeu regni eius deſtructionem nonnulli addunt,

addunt, quam cum externa Romanae vrbis deuastatione coniunctam fore, contendunt, ex *apoc. XVIII, 2.* Ad haec, seu propinqua signa, referri porro solet insignis quaedam, atque notabilis Iudaeorum conuersio; quam tamen cum non omnes concedant, acriter subinde hac super re disputatum fuit. Qui eam defendunt, non tantum ad varia veteris testamenti loca, *Deut. IV, 29. 30. seq. Es. X, 21. 22. Hos. III, 4. 5. Zephan. III, 8. 9. seq.* aliaque prouocant; sed cumprimis luculentum illud Pauli effatum, *Rom. XI, 25. 26.* vrgent. Nec dubitamus hic subscribere sententiae beati IO. GERHARDI nostri, qui, cum talem conuersionem, qualem chiliastae somniant, quae cum reductione in terram Canaan, & regno Christi terreno coniuncta sit; itemque talem, qualem Romanae ecclesiae addicti comminiscuntur; non minus absolute vniuersalem omnium omnino Iudaeorum, merito reiecisset; talem, qua *insignis quaedam iudaicae gentis multitudo conuertenda* sit, admittit; recteque addit; *Qualis & quanta praecise futura sit Iudaeorum conuersio, ante oraculi apostoli complementum perfectum, apodictice sciri nequit;* in *tractatu theologico, in quo praecipua chiliasmi fundamenta solide destruuntur, cap. IV. p. 279.* vbi & *p. 272.* & *277.* veteres ecclesiae nostrae doctores laudantur, qui itidem insignem quamdam Iudaeorum conuersionem statuerunt. Iudaeorum huic conuersioni notabili addunt nonnulli gentilium, qui hactenus nondum conuersi sunt, quamdam ad ecclesiam christianam accessionem. Et sane, cum per beati Lutheri nostri reformationem noua lux in ecclesia oborta sit, nihil obstat, quo minus eius radii etiam ad gentiles diffundantur, vt quidam adhuc ex eorum numero ad Deum conuertantur. Nec vero inde inferendum, quod denuo orbi vniuerso euangelium sit adnuntiandum. Hoc

enim licet a quibusdam adseratur, non video tamen, quo id fiat fundamento. Certe ex loco *Matth. XXIV, 14.* hoc probari non posse, antea iam obseruauimus. Tandem & *spem quamdam meliorum temporum*, seu florentiorem ecclesiae statum nonnulli hisce signis addunt. A qua etiam sententia omnes illi, qui insignem quamdam Iudaeorum conuersionem statuunt, non adeo alieni esse possunt. Quae si ita explicetur, vt salua maneat foederis gratiae, quae in nouo testamento est, qua media gratiae, qua reliqua omnia, oeconomia, adeoque ab omni errore chiliastico repurgetur; non video, cur tolerari nequeat. Neque acriter super eiusmodi quaestionibus cum quoquam disceptare fas est, quae ad fidei fundamentum non pertinent. Id tamen obseruandum, posse diuersa & hanc accipi sententiam ratione. Vel enim ita intelligi potest, quod statim post feliciorem illum ecclesiae statum sequuturum sit extremum iudicium; vel ita, vt per hominum securitatem iterum summopere obscurandus sit ecclesiae splendor, hinc & hostes grauissimi illi excitandi; quorsum nonnulli illud, quod *apoc. XX, 8. 9.* de Gogo & Magogo narratur, referunt, quorum exercitus numerosissimus populum Dei in magnas angustias sit redacturus. Atque posterius quidem si adseratur, facilius sententia, de meliori ecclesiae statu sperando, conciliatur cum iis scripturae locis, in quibus tempora, diem extremum proxime antecessura, ceu misera, calamitosa, omnisque boni expertia, atque sterilia describuntur. Tum quoque non obstabit huic sententiae locus ille, *Luc. XVIII, 8.* de quo tam vehementer disputatum fuit, licet vel maxime recepta eius explicatio retineatur. Ad signa denique proxima extremi iudicii ea referri solent, quae seruator *Matth. XXIV, 29.* commemorat:

Pro-

Protinus autem post illius temporis calamitatem, sol obscurabitur, neque luna suum splendorem emittet, & stellae de caelo cadent, caelique potestates concutientur. Lucas autem hoc ita exprimit: *Et erunt signa in sole, & luna, & sideribus, & in terris tantus trepidantium gentium angor, mari, undisque resonantibus, vt homines eorum metu, & exspectatione, quae orbi immineant, exanimentur: nam caelestes potestates concutientur; cap. XXI, 25. 26.* quamuis, quo haec referenda sint, disputetur. Supereſt *signum* illud *filii hominis*, cuius solus Matthaeus meminit, *cap. XXIV, 30.* & de quo variae exstant virorum doctorum sententiae, atque coniecturae, quas in compendio legere licet apud IO. GE. DORSCHAEVM, ad *Matth. l. c.* Non contemnenda plane videtur sententia HVGONIS GROTII, per signum hocce doctrinae euangelicae restaurationem, seu ab erroribus, quibus sub Romanorum pontificum tyrannide obscurata erat, repurgationem, opera cumprimis beati Martini Lutheri nostri factam, intelligentis. Certe, doctrina euangelica pura signum filii hominis dici potest, cum Christus non alia magis ex re, quam ex pura euangelii adnuntiatione, agnoscatur. Ordo porro narrationis & temporis, in ea obseruatus, accurate respondet, si proxime antecedentia verba ad calamitates, quas ecclesia per haereticos varios, ipsumque tandem antichristum experta est, referamus. Experientia etiam docuit, post antichristum detectum, doctrinae purae splendorem iterum effulsisse. Quodsi autem, vt nonnullis placet, signum hocce vna cum aduentu Christi simul adpariturum statuatur, tum quidem fatendum, nihil certi de eo adseri posse.

*** De re ipsa nullum inter eos, qui scripturae sacrae agnoscunt auctoritatem, est dubium. Disserte enim haec testatur, caelum atque terram, hoc

est, mundum huncce periturum; *psalm. CII, 26. 27. Esa. LI, 6. Luc. XXI, 33. I. Cor. VII, 31. I. Ioan. II, 17.* mundi, omniumque rerum in eo finem fore, *Matth. XIII, 39. seq. XXVIII, 20. I. Petr. IV, 7.* Et igne quidem eum comburendum, ἐμφατικῶς Petrus docet, *II. epist. III, 7. 10.* Ita vero hoc esse intelligendum, vt angeli atque homines ab ista destructione excipiantur, res ipsa docet. Hoc ergo vt positum est extra controuersiam, ita de eo solum quaeri solet, num quoad ipsam substantiam mundus destruendus sit, an quoad qualitates, vt immutatio potius quaedam sit, quam destructio. Posterius qui defendunt, primum ad ea scripturae loca prouocant, in quibus terrae aeternitas quaedam tribuitur, vt *psalm. CIV, 5. Kohel. I, 4.* Deinde ad *Es. XXX, 26.* vbi longe maior terrae atque caeli, speciatim solis & lunae perfectio, quae futura sit, describitur, quam huius mundi est. Ad eam vero perfectionem videtur mutatione quadam perducendus. Idem porro ex *Rom. VIII, 21.* colligunt, cum, si res creatae prorsus adnihilentur, de iis dici nequeat, quod a *seruitute corruptionis*, siue *vanitatis*, liberentur. At firmiora sunt, quae pro priori sententia adferuntur. Differte namque *ps. CII, 27.* de terra atque caelis dicitur: *ipsi peribunt, at tu perstabis, & omnia ista sicut vestimentum veterascent.* Cum vestimentum veterascit, mutatur quidem, sed ita, vt penitus tandem destruatur, & dissoluatur, non autem, vt sub alia facie adpareat. Et hinc intelligetur, quod porro additur: *veluti pallium mutabis eos, & mutabuntur;* conf. *Ebr. VIII, 13.* Pari ratione & *Esa. LXV, 17.* Deus, *se nouum caelum, nouamque terram,* hoc est, mansionem illam beatorum, *creaturum,* pronuntiat, *nec prioris vllam amplius fore memoriam.* Id, cuius nulla amplius mentio facienda, qua ipsam

ipsam subsistantiam periisse, necesse est. Sic & seruator, *caelum & terra*, inquit, παρελεύσονται, *transibunt*, vel *peribunt*, vt non amplius exsistant; quod & oppositum, perpetua verbi diuini duratio, aperte indicat. Idem & Paulus confirmat, τὰ βλεπόμενα, *quae videntur*, seu res visibiles huius mundi, πρόσκαιρα, *temporalia*, cito transitura esse, adserens, τὰ δὲ μὴ βλεπόμενα, seu, quae ad mundum spiritualem pertinent, esse αἰώνια, *aeterna*, semper duratura; *II. Cor. IV, 18.* Quid denique luculentius, quam illud Ioannis: *Primum caelum & prima terra transiit, & mare non est amplius; apocal. XXI, 1.* Ad rationes, pro mutatione antea adlatas, facile respondetur. Cum terra aeterna dicitur, aeternitas non absolute, sed relatiue spectata intelligitur, intuitu aliarum rerum, vti hominum, quorum vita tam longam durationem non habet, quam terra. Vaticinium Esaiae *cap. XXX, 26.* in sensu spirituali, de felici statu noui testamenti accipiendum esse, ea, quae praecedunt, euidenter docent; conf. *v. 19. 20. 21.* Res denique creatae a seruitute, sub qua gemunt, non minus liberantur, cum non amplius exsistunt, quam cum aliam faciem induunt.

§. XXIX.

Sunt & ea, quae hactenus exposuimus, sacrae doctrinae capita, ita comparata, vt in iis itidem subinde a recto tramite homines aberrent. Fontes autem errorum facile in quibusdam intelligemus, si duo extrema & hic obseruemus, in quorum alterutrum, qui sibi non cauent, prolabuntur. Sic nonnulli, quae de aeterna beatitudine traduntur, aut plane non credunt, vel saltem gloriam eius valde imminuunt; aut carnales, crassioresque notiones de ea

animo concipiendo, beatitudinem, nomine isto indignam, sibi fingunt. Poenas infernales itidem nonnulli aut omnino negant, aut valde extenuant; alii ita exaggerant, vt iustitiam diuinam in immanem crudelitatem commutent.

§. XXX.

Mortem temporalem nemo negare potest, nisi experientiae stulto ausu repugnare velit. Errorem, de statu medio animarum, ethnicae philosophiae incautus vsus primum introduxit, superstitio auxit, & commodorum, quae inde percipiebantur, ratio exornauit, ac inexpugnabilem reddidit. Quod autem hic per superstitionem peccatum, id rursus per rationis abusum ceu alterum extremum, contigit, in doctrina de resurrectione mortuorum, eiusdem praesertim corporis, quam non aliam ob caussam tam pertinaciter nonnulli impugnant, quam, quod ratione sua eam capere nequeant. Sed & quam facile ratio prauis adfectibus corrumpatur, aut aliorum auctoritate abripiatur, illi exemplo suo ostendunt, qui regnum aliquod Christi externum, per mille annos duraturum, ante extremum iudicium adhuc exspectandum censent.

§. XXXI.

Quo facilius autem est, hosce errores ex scriptura sacra refellere, quoue apertius eorum plerique ipsa christianae religionis

gionis fundamenta conuellunt, ac labefactant; eo maiori constantia doctrina vera iis opposita, in veteri pariter ac nouo testamento, ad nostram aetatem vsque conseruata ac propagata fuit.

§. XXXII.

Quae nostri hic sint officii, quilibet facile intelligit. Considerandum praecipue est, veram beatitudinem in hac vita inchoari, in altera continuari & consummari. Qui ergo in hac vita beati esse nolunt, nec in altera erunt. Et, qui ita initium beatitudinis per fidem in se habet, is quoque spem habet vitae aeternae certam & viuam, *I. Petr. I, 8.* quae illum itidem in hac vita beatum reddit; *Rom. VIII, 24.* qua qui praeditus est, se ipsum purificat, quemadmodum & Deus purus est; *I. Ioan. III, 3.* adeoque & sanctitati summo studio operatur, sine qua nemo Deum videre potest; *Ebr. XII, 14.* ac euitat, quae introitum in vitam aeternam impediunt: cuiusmodi sunt omnia opera carnis, *I. Cor. VI, 9. seq. Gal. V, 21. apoc. XXI, 27.* Tantae autem gloriae, cuius beati participes erunt, consideratio efficit, vt aduersa quaeuis, ac calamitates, aequo ac patienti ferant animo, *Rom. VIII, 18. I. Cor. XV, 19.* Damnationis contra aeternae diligens & attenta consideratio, vt paedagogia ad veram poenitentiam esse potest, ita eo quoque nos adducet, vt saluti nostrae cum timore & tremore operemur; *Phil. II, 12.* §. XXXIII.

§. XXXIII.

Pari ratione mortis temporalis, & eorum, quae eam consequuntur, recta consideratio, impiis manuductio erit ad poenitentiam, piis excitatio, ad vitam caute instituendam. Quo sensu ex mortis consideratione vera oritur prudentia, *psalm. XC, 12.* Nec est, quod pii homines eam extimescant, quippe quae illis saltem est transitus ad vitam; conf. *Ebr. II, 14. Ioan. V, 24. XI, 25. 26.* Immo, eo minus eam extimescunt, quo certiores sunt de resurrectione mortuorum, in qua corpus ab omni imbecillitate liberum, & maxima gloria circumfusum, recipient; *I. Cor. XV, 19.* cuius contra recordatio impiis non potest non esse terribilis, nisi forte & hinc occasio illis, vitam emendandi, oriatur. Atque sic etiam extremi iudicii consideratio non potest non pios magno solatio perfundere, spem viuam in illis augere, & ad mala quaeuis forti animo toleranda, promtos reddere; *Rom. VIII, 18. I. Petr. I, 4. 5. 6.* quemadmodum impiis nihil tristius potest obtingere, quam status illius, qui certo illos manet, imago; & si forte de eo aut numquam, aut raro cogitent, suo tamen tempore experientur, quae nunc vilipendunt; *Rom. II, 9. 10. II. Thessal. I, 7. 8.* nisi & hinc occasio illis praebeatur, mentem meliorem induendi; conf. *actor. XXIV, 25.*

INSTI-

INSTITVTIONVM THEOLOGIAE DOGMATICAE

LIBER TERTIVS

DE

HOMINE, TVM IN STATV INTEGRITATIS, TVM IN STATV POST LAPSVM SPECTATO.

LIBRI TERTII

CAPVT PRIMVM

DE

STATV INTEGRITATIS

VBI DE IMAGINE DEI, ITEMQVE DE FOEDERE OPERVM.

Σύνοψις.

STatus, in quo homo conditus a Deo, fuit ſtatus integritatis: quaenam in eo conſideranda? §. I.

Homo ad imaginem Dei conditus eſt, §. II.

Quo pacto Deus, cum ad eius imaginem homo conditus dicitur, conſiderandus ſit? §. III.

Imago Dei, ratione intellectus, §. IV.

ratione voluntatis, §. V.

& reliquarum mentis facultatum, §. VI.

Dona iſta, quae hac ratione homini collata ſunt, quo ſenſu fuerint naturalia? §. VII.

Acceſſerunt dona corporis eximia, ea tamen recte aeſtimanda, §. VIII.

De ſtatu matrimoniali, paterno, ciuili, herili, ante lapſum, §. IX.

De dominio rerum, homini in ſtatu integritatis a Deo conceſſo, §. X.

Cultus diuinus in ſummo Numinis amore conſiſtebat, qui & per obſequium ſeſe exſerebat; cultus externus pro indole iſtius ſtatus concipiendus, §. XI.

Leges, hominibus in ſtatu integritatis datae, tum abſolutae, tum hypotheticae, §. XII.

An, & quousque modum, Numen colendi, ſub ſchemate foederis concipere liceat? §. XIII.

Quid

Quid per foedus operum in statu integritatis intelligatur? §. *XIV.*
Quaenam in eo speciatim obseruanda? §. *XV.*
Partes, seu personae contrahentes, §. *XVI.*
Conditio, seu lex foederis istius, §. *XVII.*
Promissio, §. *XVIII.*
Comminatio, §. *XIX.*
An sacramenta in statu integritatis fuerint? §. *XX.*
Violatio foederis, huiusque abrogatio, §. *XXI.*
Fontes errorum in hoc ce sacrae doctrinae capite, §. *XXII.*
Veritatis conseruatio & propagatio, §. *XXIII.*
Vsus doctrinae huius, in praxi vitae christianae, §. *XXIV.*

§. I.

STatus ille, in quo homo a Deo conditus erat, cum, qua hominem ipsum, qua reliquas res creatas, labis omnis, atque vitii expers esset, merito *integritatis* dicitur. In cuius consideratione, tum ad hominem ipsum, tum ad modum, quo Deum creatorem suum colere debebat, respiciendum est.

§. II.

Et hominem quidem ad *imaginem Dei* conditum esse, constat; * qua voce, in strictiori significatione accepta, virtutes diuinae, quae in anima eius exsplendescebant, denotantur. ** Id quod tum ex ipsa Dei, ceu exempli, quod imago haec exprimebat, speciatim Christi seruatoris, qui est *splendor gloriae patris, & character substantiae eius*, *Ebr. I, 3.* consideratione, tum

tum ex imaginis istius in credentibus restauratione, aliaque ratione, intelligitur.***

* Tam luculenta hac de re sunt verba Mosis, vt nullum prorsus dubium admittant: *Et creauit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creauit illum, masculum & feminam creauit eos; Gen. I, 27.* In quibus diuini scriptoris verbis primo *caussam efficientem* imaginis diuinae obseruare licet; quae est Deus trinunus. Ille enim ipse Deus, qui antea in multitudinis numero dixerat: *faciamus hominem*, est, de quo Moses porro dicit, quod hominem ad imaginem suam creauerit. Nec est, quod quemquam suffixum singularis numeri in voce בצלמו moueat, cum antea cum suffixo pluralis numeri dictum sit: בצלמנו כדמותנו *ad imaginem nostram, ad similitudinem nostram.* Nihil enim aliud inde colligi potest, quam, eumdem illum Deum vnum esse ratione essentiae, qui ob pluralitatem personarum etiam in multitudinis numero loquutus fuerat. Eum porro, qui ad imaginem Dei conditus est, seu subiectum, vt in scholis loqui amant, Moses voce אדם designat, quae hic non pro nomine proprio primi hominis, sed pro toto genere humano, adeoque vtroque sexu accipienda est. Hoc enim luculenter ex eo patet, quod addit: *masculum & feminam creauit eos*, scilicet, ad imaginem suam. Ad feminam autem, seu Euam, non minus quam ad Adamum, imaginem diuinam pertinuisse, inde quoque constat, quod nulla ratio reddi queat, cur illa non minus, quam hic, eius fuerit capax. Iam ad rem ipsam quod attinet, condidisse Deum, Moses ait, hominem בצלמו *in imagine sua.* Etsi enim LXX interpretes particulam ב per κατὰ, & vulgatus per *ad*, vertant; retineri tamen vsitatam eius significationem posse, nonnulli monent, hoc sensu,

quod

quod Deus in homine exstare suam imaginem voluerit. De voce צלם itidem constat, quod semper σχέσιν, seu relationem quamdam vnius rei ad alteram, cui similis est, denotet. Qui autem paullo adcuratius hac de re philosophantur, ad imaginem proprie sic dictam tria requiri, docent; 1) similitudinem, vt illud, quod imago alterius dicitur, illi sit simile; idque 11) non tantum qua essentiam generatim spectatam, sed & qua notionem propriam; cum effigies, generatim hominem exhibens, non possit imago Petri & Pauli dici: vnde porro 111) sequitur, vt imago quodammodo a prototypo, seu, cuius est imago, dependeat, immo, tanto perfectior censeatur, quanto propius ad prototypum accedit. Atque haec omnia etiam in imaginem Dei, ad quam homo creatus fuit, quadrare, ex iis, quae dicentur, manifestum fiet. Licet autem hac ratione discrimen aliquod inter *imaginem* & *similitudinem* intercedat, cum vna res alteri similis esse queat, etiamsi non statim eius imago dici possit: hoc tamen discrimen non semper obseruatur, adeoque minime in censum venit, cum *v. 26.* Deus dicit: *faciamus hominem* בצלמנו כדמותנו *in imagine nostra, in similitudine nostra.* Quando denique a Mose additur: *ad imaginem Dei creauit illum*, non pro inani hoc habendum est repetitione, sed emphasin potius habet plane singularem. Indicare namque hisce verbis diuinus scriptor voluit, probe obseruandum esse, ad cuius imaginem homo conditus sit, *ipsius* scilicet *Dei*, simulque ostendere, non ad angelorum, aut alterius cuiuscumque rei creatae, sed *solius Dei*, imaginem hominem conditum esse.

** Diuersa ratione imaginem intelligi, constat. In latiori enim ambitu accepta, ea omnia, in quibus conuenientia quaedam hominis cum Deo conspicitur

tur, denotat, adeo vt ipsam essentiam animae spiritualem, eiusque facultates naturales, intellectum & voluntatem, immortalitatem etiam, qua homines in statu integritatis gaudebant, & dominium in res creatas, complectatur. In strictiori autem tantum virtutes illas intellectus & voluntatis, quae similibus in Deo virtutibus respondent, & quae praecipuum illud primorum parentum decus constituebant, a Deo iis concreatas, designat. Posterior significatio etsi praecipua sit, &, vbi de imagine Dei proprie sic dicta sermo est, in censum veniat; prior tamen itidem aliquando in scriptura sacra occurrit, nec in patrum quoque scriptis infrequens est. In scriptura sacra eam occurrere, vel ex *Gen. IX, 6.* liquet, vbi legis, qua sanguinis humani effusio prohibetur, haec a Deo ipso adfertur ratio, quod *homo ad imaginem Dei sit conditus.* Ea vero lex cum generatim de omnibus hominibus loquatur, simul adeo innuit, omnes sine discrimine homines imaginem quamdam creatoris sui circumferre. Hoc autem cum de imagine Dei, speciatim sic dicta, dici nequeat, quippe quam per lapsum primorum parentum amissam, ex aliis scripturae dictis constat; nihil aliud superest, quam vt in generaliori significatione accipiatur, secundum quam hodie adhuc omnibus hominibus tribui potest. Et ita quoque *Iacobi III, 9.* hanc vocem sumi, res ipsa docet.

*** Ad methodum inuestigandi imaginem diuinam haec spectant. Si enim cognoscere velimus, in quo imago Dei ante lapsum constiterit, primo quidem Deum ipsum, eiusque perfectiones, eas nimirum, quarum suo modo homo etiam particeps fieri potest, diligenter considerare iuuabit. Ex prototypo namque omnium rectissime de ectypo, seu imagine iudicare licet. Has vero perfectiones scriptura sacra τὴν δόξαν, *gloriam, claritatem* Dei vocat, quam

quam adeo & homo ante lapsum habuit, sed qua post lapsum destituitur: ὑστερῆνται τῆς δόξης τοῦ θεοῦ, *Rom. III, 23.* quam tamen, qui in Christum credunt, iterum *retecta intuentur facie*, ita vt *transformentur in eamdem imaginem*, ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν, *a gloria ad gloriam*, *II. Cor. III, 18.* Ad hoc prototypon etiam Petrus nos ducit, dum *sanctos* nos *esse* iubet, *quemadmodum & Deus ipse sanctus est*; *I. epist. I, 16.* ex *Leuit. XI, 44. & XIX, 2.* immo, ipse seruator, dum τελείους nos esse vult, *quemadmodum & pater noster in caelis perfectus est*, *Matth. V, 48.* Deinde speciatim Christum considerare iuuat, qui cum ipsemet sit ἀπαύγασμα τῆς δόξης *patris*, suo exemplo omnium rectissime nos condocet, quo pacto diuinae virtutes in homine exsplendescant. Hinc & ὑπογραμμὸν *nobis reliquit*, *vt ipsius sequeremur vestigia*; *I. Petr. II. 21.* quemadmodum & ad sui imitationem nos inuitat, vt hac ratione & in nobis imago diuina restauretur, *Matth. XI, 28. 29.* Iuuabit itaque adcurate vitam seruatoris contemplari, vt in eius amore, sanctitate, patientia, humilitate, ceterisque virtutibus, imaginem Dei quam clarissime conspiciamus. Namque & haec ad δόξαν illam pertinent, qua se filium Dei vnigenitum demonstrauit, *Ioan. I, 14.* Praeterea ex legis consideratione cognoscere imaginem diuinam licet. Est enim lex diuina sanctitatis, iustitiae, ceterarumque Dei virtutum nitidissimum speculum. Cumque summa omnium virtutum diuinarum in amore purissimo, quo & se, & res a se conditas, amat, consistat, vti supra demonstrauimus; summam quoque legis in amore, quo Deum, aliosque homines amare debemus, consistere, seruator ipse docet, *Matth. XXII, 37. 39.* Tandem & ex renouatione, seu sanctificatione, imaginem Dei cognoscere licet. Ad eamdem enim imaginem, quam in Adamo amisimus, per Chri-

stum

ſtum iterum renouamur. Vnde &, qualis illa imago, quam amiſimus, fuerit, conſtat. Renouamur autem ad *cognitionem, ſecundum imaginem eius, qui creauit nos; Coloſſ. III, 10.* itemque ad *iuſtitiam veram & ſanctitatem, Epheſ. IV, 24.* Sed & qua omnes mentis facultates ſanctificamur, adeoque & renouamur, vt hac quoque ratione imago Dei in nobis reſplendeſcat, *I. Theſſ. V, 23.* Atque ita ſummatim, in quo imago Dei conſtiterit, intelligitur, de qua deinceps diſtinctius exponemus.

§. III.

In Dei, ceu prototypi, conſideratione, non ipſa eſſentia in ſe ſpectata, aut trinitas, aut trinitatis vna perſona, nec attributa ſoli Deo propria in cenſum veniunt, ſed ea, quae & tribus perſonis ſunt communia, & rebus etiam creatis, ſpeciatim hominibus, certo modo conueniunt, & in ſcriptura ſacra ad imaginem Dei referuntur.

§. IV.

Si ſpeciatim intellectum conſideremus, imaginem Dei in *luce*, ſeu *cognitione*, & *ſapientia* conſiſtere deprehendimus. Luce namque diuina ita perfuſus erat, vt & Deum, resque diuinas, pro modo equidem intellectus humani, ſuisque adeo limitibus circumſcripti, prout tamen hoc ſufficeret, recte cognoſceret; & rerum quoque creatarum, quas noſſe hominis intererat, naturam, indolemque perſpectam haberet. * Ad iſtam autem cognitionem plane eximiam cum ſumma voluntatis

tatis accederet sanctitas, integritasque, non poterat non inde sapientia, status istius felicitati respondens, efflorescere. **

* Intellectus virtutes praecipuas duas esse, *cognitionem*, quae & *lucis* nomine in scriptura sacra venit, ac *sapientiam*, notum est. Ad cognitionem itaque quod attinet, & primo quidem rerum diuinarum, dubium prorsus nullum est, quin Deum, qua essentiam, qua voluntatem spectatum, in tantum primi parentes cognouerint, in quantum, vt recte eum colerent, hoc necessarium erat. Nec tamen ita solius naturae viribus omnia tribuenda, vt non quaedam ex speciali etiam reuelatione illis innotuerint. Quod quidem de lege ista positiua, de non comedendo fructu arboris cognitionis boni & mali, satis constat. Sacrosanctae itidem trinitatis mysterium illis cognitum fuisse, dubitari nequit. Qui enim Deum, vti est, hoc est, vnum in essentia, & trinum in personis, non cognoscit, eum non recte cognoscit. Homines autem in statu integritatis, & ad imaginem Dei conditos, Deum non recte cognouisse, quis dixerit? Disputari equidem, etiam inter nostrates, scio, num ex reuelatione Dei speciali, an vi imaginis diuinae, illis concreatae, primi parentes mysterium hocce trinitatis cognouerint? Sed cum nullum cogitari principium queat, quod ad tanti mysterii cognitionem eos perduxerit, illorum partibus lubens accedo, qui, ex reuelatione hoc illis innotuisse, contendunt. Quod autem reuelationi isti promte, & sine vlla aut haesitatione, aut dubitatione, adsensum praebuerint, id quidem ex imagine diuina, illis concreata, deriuandum esse, nullus plane dubito. Num vero mysterium incarnationis Christi cognouerint? & quae alia sunt eiusdem generis, inter otiosas, &

ineptissimas scholasticorum merito referuntur quaestiones. Cognitio haec rerum diuinarum non mortua erat, aut otiosa, sed viua, efficax, & ad Deum, quem vt summum suum bonum cognoscebant, summo quoque amore prosequendum, hinc & ad obsequium in omnibus illi praebendum, efficaciter eos exstimulans. Atque hoc, vti res ipsa docet, ita ex renouatione ad imaginem diuinam intelligitur; conf. *psalm. XXXVI, 10. I. Ioan. I, 5. seq.* Rerum porro naturalium eximiam homines in statu integritatis habuisse notitiam, non negabit, qui considerauerit, quo excellentiori quisque ingenio praeditus est, eo facilius eum rerum omnium, quae se ei offerunt, naturam perscrutari. Forte & hic aliquid primo homini concessum fuit, quod hodie nobis non satis notum est. Certe, quod animantibus cunctis nomina imposuit, id singulari eum rerum naturalium notitia instructum fuisse, arguit; praesertim, si nomina, quae illis imposuit, ipsam animalium expressisse naturam statuamus, vt vero simile videtur, & ex veteribus praeter alios censet EVSEBIVS, *praepar. euangel. lib. XI. cap. VI.* Suis tamen & haec eius notitia circumscripta fuit limitibus: nec dubium, quin experientia, aliaue ratione augeri potuerit. Certe quaedam primos parentes ignorasse, historia lapsus satis superque nos condocet.

** Solet equidem ipsa rerum tum spiritualium, tum naturalium notitia, *sapientiae* nomine comprehendi. Longe enim vsitatissimum est, vt illi, qui per compendium loqui volunt, imaginem diuinam constitisse dicant, in *sapientia* & *iustitia*. Qui tamen adcurate loquuntur, cognitionem a sapientia discernunt. Magna nimirum quis rerum variarum cognitione, seu, vt hodie loqui amant, eruditione potest esse praeditus, qui tamen non est sapiens.

ens. Sapientia enim est eiusmodi perfectio mentis, qua quis mala a bonis rite discernit, vt illa euitet, haec consectetur. Quod, vt quis rite faciat, sufficienti quidem rerum cognitione instructus esse debet: non minus tamen voluntatis sanctitas, atque integritas, accedat necesse est. Prauis namque cupiditatibus, vitiisque si homo corruptus sit, caligo hinc intellectui obfundetur, vt bonum a malo non rite discernat, aut, si discernat, nihilosecius tamen saepius pro bono malum amplectatur, quod stultitiae est argumentum longe certissimum. Interim, cum mali, bonique discretio actus intellectus sit, recte sapientia ad intellectum refertur, etsi etiam voluntatis puritas integritasque ad eam concurrat. Atque haec qui considerauerit, sapientiam quoque ad imaginem diuinam spectasse, facile intelliget. Excellens enim rerum diuinarum humanarumque notitia cum voluntatis integritate, sanctitateque, non poterat non hominem, in statu integritatis constitutum, ad eligenda semper, atque consectanda optima quaeuis, aptum reddere. Id vero sapientiae opus est. Erat tamen & haec, aeque ac ipsa cognitio, finita, suisque cirmcumscripta limitibus, vti euentus docuit. Nam ergo vltra, quam par est, extendenda; at nec extenuanda nimis, aut omnino primis parentibus deneganda.

§. V.

Ad voluntatem quod attinet, non poterat non homo Deum, ceu summum, quod intime cognitum habebat, bonum, summo amore complecti, & ita cum eo vniri. Qua quidem ratione cum amor eius ordinem rectum obseruaret, beatus

non tantum merito censebatur, sed sanctitate quoque, iustitia, ceterisque virtutibus omnibus, quae ex hocce fonte fluunt, ornatus. *

* Summam voluntatis perfectionem in amore recte ordinato consistere, notum est. Tum autem homo recte amat, quando Deum supra omnia, se ipsum vero, atque alios homines secundum ordinem a Deo praescriptum amat; *Matth. XXII, 37.* Atque talis erat hominum in statu integritatis constitutorum, imagineque diuina gaudentium, amor. Hinc vero & reliquae non possunt non, ceu ex fonte vberrimo, fluere virtutes. Enimuero, qui Deum super omnia, se ipsos autem, & reliquas creatas res non nisi secundum ordinem a Deo praescriptum amabant, non poterant non se ab aliis omnibus, quae ordinem hunc amoris turbare, & labem quamdam ipsis adspergere apta erant, seiungere atque separare, vnde *sanctitas*; quam & in Deo, ceu prototypo, ad imitandum sibi propositam, conspiciebant, *I. Petr. I, 16.* Non quoque poterant non erga omnes ita, vt decet, se gerere, omnibusque, quae cuique debebantur, tribuere, vnde *iustitia.* Cumque & hac ratione ab omni fuco, fraude, & hypocrisi essent alienissimi, sinceritas, seu ἀλήθεια, *veritas*, inde sequebatur. Atque haec omnia iunctim complectitur Paulus, nouum induere hominem iubens, *qui creatus sit secundum Deum,* ἐν δικαιοσύνῃ καὶ ὁσιότητι τῆς ἀληθείας, *in iustitia & sanctitate veritatis*, hoc est, vera, sincera, ab omni fuco & hypocrisi aliena, *Epheſ. IV, 24.* Tametsi autem speciatim sanctitatis ac iustitiae mentio fiat, non tamen excludendae sunt reliquae virtutes, quae ex amore Dei fluunt, & quarum exercitium in statu integritatis locum habere potuit. Ceterum, licet

cet homo in ſtatu integritatis conſtitutus, Deum ſummo amore proſequeretur, & hinc ad bona quaeuis atque praeclara impelleretur; ita tamen ſimul comparatus erat, vt ab amore iſto diſcedere, adeoque per peccatum iſta felicitate excidere poſſet. Cum ergo ne beatis in aeterna vita quidem, nec angelis in bono confirmatis libertas deneganda ſit, multo minus eam homini ante lapſum abiudicare licet. Libertatem intelligo, non tantum a coactione, quia voluntas hominis numquam cogi poteſt, ſed etiam a neceſſitate, ſiquidem nec per internum, nec per externum principium, ſiue ad bonum ſolum, ſiue ad malum adſtringeretur; conf. *Eccleſ. XV, 14. 15. ſeq.* Poterat itaque homo peccare, adeoque hactenus libertas illa non in nuda ſpontaneitate, ſed indifferentia ad vtrumque oppoſitorum, cum inclinatione tamen quadam ad bonum, conſiſtebat. Cum ergo extra omnem poſitum ſit controuerſiam, libertate arbitrii hominem in ſtatu integritatis gauiſum; ſequitur inde, vt etiam legem diuinam implere, & adcurate ſeruare potuerit. Et quis hac de re dubitaret? cum amor Numinis ſummus, qui imaginis diuinae partem conſtituebat, ſumma ſit totius legis, *Matth. XXII, 36. 37.* Quia autem per huncce ipſum amorem arctiſſime cum Deo coniunctus erat, & Deus viciſſim cum eo, fieri aliter non poterat, quam vt a ſpiritu ſancto ſubinde ad bona quaeuis excitaretur, & ad exſequenda, quae ſibi propoſuerat, corroboraretur. Atque hoc eſt, quod dici ſolet, hominem in ſtatu integritatis ad bona quaeuis edenda, perficiendaue, gratia diuina adiutum fuiſſe.

§. VI.

In iis mentis facultatibus, quae ſine corporis quodam commercio ſibi non conſtant,

stant, nulla prorsus fuisset ἀταξία. Hinc & imaginatio numquam exorbitasset, aut limites, a ratione constitutos, migrasset; nec a corporis motibus turbari vlla ratione mens potuisset, aut voluntas ad adpetenda, quae adpetere nefas est, abripi; quare & adfectuum violentum impetum numquam experta fuisset. Quin potius harmonia, atque pulcherrimus motuum corporis, cum mentis imperio concentus tranquillitatem summam, felicitati eius addidisset.

§. VII.

Recte autem ista dona *naturalia* vocantur: non quidem, quod ipsam hominis naturam seu essentiam constituant, aut ex ea necessario fluant; sed quod eam perficiant, eidemque ita inhaereant, vt per naturalem generationem ad omnes Adami posteros potuissent propagari, si hic in statu integritatis permansisset.

§. VIII.

Nec praetermittenda sunt corporis dona, eximia vtique atque praestantissima. In quibus rite aestimandis sedulo considerandum, in statu integritatis homines quidem, qua corpus etiam, omnis vitii atque labis expertes fuisse, hinc & nec morbis, nec morti, aut aliis calamitatibus obnoxios; homines tamen fuisse, adeoque & cibo & potu, & quiete opus habuisse; certis quoque

quoque mediis ad vitam conseruandam locum fuisse. Falluntur itaque, qui eiusmodi corpus homini in statu integritatis tribuunt, quod pro corpore humano, quale illud est in hac vita, haberi nequit. Nec enim ex statu gloriae, qui post hanc vitam futurus est, statum integritatis in omnibus aestimare licet.*

* Duo sunt, quae hic de corpore humano in censum veniunt; alterum, quae eius ante lapsum fuerit conditio? alterum, an, & quousque imago diuina in eo refulserit? Ad prius quod attinet, eximiis prorsus praestantissimisque dotibus quin corpus quoque praeditum fuerit, non est, quod dubitemus. Quid enim aliud, quam longe praestantissimum, & in suo genere perfectissimum, ex manibus artificis, sapientia infinita gaudentis, exire poterat? Cogitare namque nos decet, Deum ipsum fuisse, qui corpus hominis e terra formauerit, *Gen. II, 7.* Interim tamen verum corpus fuit, carne, ossibus, venis, sanguine constans, adeoque cibo & potu, itemque quiete, etsi haec omnia sine molestia, sineque infirmitate vlla fuerint, opus habens. Quod autem ad posterius nostrae considerationis caput attinet, an, & quousque in corpore quoque hominis imago Dei refulserit? apud omnes recte sentientes in confesso est, & ex antea quoque dictis luculenter constat, praecipue, seu πρώτως imaginem Dei in mente hominis, & perfectionibus illis habitualibus supra commemoratis, constitutam fuisse; nec tamen negandum, corpus humanum itidem quibusdam praeditum fuisse dotibus, quae creatoris imaginem retulerint. De immortalitate corporis hoc positum est extra controuersiam; resque ipsa docet, inter eam, & immorta-

litatem Dei conuenientiam quamdam intercedere. Sunt tamen, qui & reliqua, quibus homo animalibus brutis praestat, huc referunt. Caute vero haec omnia accipienda sunt, ne, dum qua corpus conuenientiam quamdam inter Deum & hominem quaerimus, illi ea tribuamus, quae tribuere non oportebat.

§. IX.

Idem & de rebus aliis, quae sequuturae fuissent, si homines in statu integritatis permansissent, existimandum. De matrimonio, & liberorum procreatione eo minus dubitandum, quia diserte matrimonii institutio ante lapsum hominum memoratur. Nec enim matrimonium in se spectatum, cum perfectione status integritatis pugnat. Aliam autem humani generis propagationem, quam, quae fit per maris & feminae coniunctionem, qui fingunt, primos parentes non homines, sed nescio quid, fuisse, sibi persuadent. De statu paterno res manifesta est. Imperium ciuile, prout hodie illud comparatum est, cum maximam hominum inaequalitatem, adeoque imperfectionem inuoluat, in statu integritatis locum habuisse, non temere quis crediderit; etsi non negem, certum quemdam inter homines ordinem in eo esse potuisse. De statu herili, & seruitute quid censendum sit, ex dictis itidem patet.

§. X.

Concesserat quoque Deus homini domini-

minium in res creatas orbis huius inferioris, praesertim animantia bruta; vt hac quoque ratione Deum, ceu supremum rerum omnium dominum, referret. Cuius quidem dominii quin effectus quidam prorsus singulares in statu isto integritatis futuri fuissent, non est, quod dubitemus. * Quae autem post lapsum ex necessitate quadam introducta sunt dominia rerum particularia, prout hominum prauitatem, indolemque maximopere corruptam arguunt, statui integritatis, ceu summae, quae in homines, qua hancce vitam, cadit, perfectionis, tribui nequeunt. **

* Pertinet itaque dominium illud in res creatas orbis huius inferioris, praesertim animantia bruta, ad imaginem diuinam, & quidem, si in strictiori significatione ista vox accipiatur, vt consequens aliquod; sin in latiori, vt pars quaedam. Dominium autem hocce non tantum ius, seu facultatem rebus creatis, ex quibus homines commodum percipere poterant, vtendi, quam eximiam post lapsum adhuc homines habent, denotat, sed etiam potentiam, vel solo nutu animantia bruta ad obsequium flectendi, & hinc periculum omne, quod hodie ab iis hominibus imminet, euitandi. Id quod vel inde, quod Adamus brutis animantibus omnibus nomina imposuisse dicitur, haud obscure intelligitur; *Gen. II, 19.*

** Quod si ergo quaeras, prout a nonnullis quaeri solet, an dominia rerum in statu integritatis locum habitura fuissent? primo quidem discrimen inter dominium vniuersale & particulare probe tenendum. Id namque certum est, & extra omnem dubitationem positum, Deum Adamo, in statu in-

tegritatis constituto, facultatem rebus omnibus, ex quibus vsum capere poterat, vtendi, concessisse. Quae facultas, an dominium vocari debeat? disputari solet. Negat hoc SAMVEL PVFENDORFIVS, communionemque priuatiuam, neutiquam autem dominium, aut proprietatem, aut communionem positiuam, in statu hominum ante lapsum fuisse, contendit; *de iure naturae & gent. lib. IV.* §. *III.* & alibi. Adfirmant rursus alii, & pro dominio rerum in statu integritatis acriter pugnant. Sed omnis illa, si adcuratius consideretur, in meram λογομαχίαν abit quaestio. In eo enim omnes consentiunt, Deum primo homini facultatem, rebus creatis vtendi, concessisse; supereſt solum, an recte vocetur dominium? Quod qui adfirmant, aliter hanc vocem accipiunt, quam qui negant. Illi dominium in eo constituunt, quod res quaedam plene ad aliquem pertineat, etsi aliorum exclusio cum ista possessione coniuncta non sit, sed eam demum sequatur; hi vero formalem velut rationem dominii in aliorum exclusione collocant. Atque eadem ratione voces, *communionis* & *proprietatis* diuerso sumunt modo. Etenim si per *dominium* intelligas facultatem, ex Dei concessione rebus creatis vtendi, quam nonnulli *dominium generale* vocant, quin in statu integritatis locum habuerit, negari nequit; sin possessionem, cum aliorum exclusione coniunctam, quae *particularis dominii* nomine venire solet, secus existimandum. Idque rationibus luculentissimis demonstrari potest. Cum enim summa rerum omnium semper futura fuisset abundantia, terrae fecunditate per maledictionem nondum sufflaminata; *Gen. III, 17.* cum in perfectissimo etiam omnium hominum erga se inuicem amore, auaritiae, liuori, cupiditatique, plura, quam quibus nobis opus est, possidendi, nullus fuisset locus; ratio nulla

nulla excogitari potest, cur dominia eiusmodi, cum exclusione aliorum seu iure, alios ab vsu rei, quae nostra est, arcendi coniuncta, introduci debuerint. Caussa namque introductorum eiusmodi dominiorum alia reddi nequit, quam hominum indigentia, prauique eorum adfectus. Est porro vero admodum simile, non statim post lapsum primorum parentum, sed multiplicato paullisper genere humano, dominia ista introducta fuisse; cum, quam diu intra pauca capita genus humanum substitit, rationes antea adlatae, quae istam introductionem postulabant, sponte sua cessent. Num vero per diuisionem, an per occupationem, introductio ista facta sit? disputare, huius loci non est.

§. XI.

Iam, si modum, Deum, ceu creatorem colendi in statu integritatis spectemus, is in summo isto, quo homo eum prosequebatur, amore consistebat; ex quo non poterat non summa eius veneratio, laudumque celebratio, & obsequium perfectissimum, voluntati diuinae in omnibus praestandum, consequi. Quod quidem obsequium vt externo quodam documento omnibus constaret, Deus arborem scientiae boni & mali in paradiso constituit, addita seueriſſima prohibitione, ne eius fructibus homo vesceretur, nisi sibi suisque posteris, cum morte temporali & aeterna, mala quaeuis conciliare vellet. Cultus vero Dei externus non aliter concipiendus, quam prout statui integritatis is est conueniens;

niens; cauendumque sedulo, ne eum ex nostri saeculi moribus aestimemus.

§. XII.

Leges illae, quarum obseruatione homo ante lapsum obsequium suum erga Deum demonstrare debebat, eaedem erant, quae & hodie tum ex lumine rationis, tum ex reuelatione diuina nobis notae sunt, & quarum summa in dilectione Dei & aliorum hominum consistit, *Matth. XXII, 37.* * Hisce autem legibus, quae *naturales*, & quidem *absolutae* dici possunt, alias adhuc Deus addidit, quas *positiuas*, aut *hypotheticas* vocare licet; de sanctificando sabbato, de matrimonio rite ineundo, deque non comedendo fructu arboris scientiae boni & mali. **

* Cum lex naturae nihil sit aliud, quam aeterna, immutabilis, ac sanctissima Numinis voluntas, prout hominibus, vt ei morem gerant, est patefacta; nemo profecto negare potest, ius naturae in statu integritatis fuisse, nisi Deum ipsum, aut summam eius sanctitatem negare velit. Cumque Deus, dum hominem ad imaginem suam condidit, simul hancce legem cordi eius inscripserit; dubitari rursus nequit, quin serio voluerit, vt actiones suas ad illam componeret. Et vnde, quaeso, sanctitas illa & iustitia, quae partem imaginis diuinae constituebant, *Ephes. IV, 24.* aestimanda, nisi ex conuenientia cum lege diuina, seu iis, quae Deus ab hominibus fieri voluit? Hac enim ratione summam ipse voluntatis suae sanctitatem expressit; quippe quam lex veluti in speculo quodam exhibet. Accedit, quod & hodie adhuc

adhuc lex diuina omnium cordibus inscripta dicatur a Paulo, *Rom. II, 15.* Quod cum a statu peccati deriuari nequeat, sequitur, iam in statu integritatis, & modo quodam longe perfectiori illud fuisse. Nec est, quod dicas, hominem in statu integritatis sponte sua, quae recta & iusta sunt, facturum fuisse. Hinc enim illud tantum sequitur, coactione quadam in isto statu opus non fuisse; legem ipsam non exstitisse, inde colligi nequit. Nos id solum addimus, licet explicite omnia iuris naturae praecepta vim suam in statu integritatis non exseruissent, implicite tamen omnino aderant, dum in ipsis principiis ceu conclusiones quaedam continebantur. Exemplo esse possunt leges, quae dominium aliquod rerum particulare supponunt. Cum enim, vti antea dictum, verosimile non sit, eiusmodi rerum dominia, qualia hodie sunt, in statu integritatis futura fuisse; leges etiam, quae circa ea versantur, vim suam exserere non potuissent, etsi in principio isto, seu lege vniuersali, quae, vt homines alios sicut nos ipsos amemus, iubet, contineantur. Idem de legibus, quae quid in bello iustum aequumue sit, praecipiunt, obseruandum. Bella namque in statu integritatis futura fuisse, nemo sanae mentis adseruerit. Et ita in aliis quoque, quae eiusdem sunt generis, sese res habet.

** Solent quidem istae leges *positiuae* vocari, sed rectius *hypotheticas* dici, demonstraui in *instit. theol. mor. part. II. cap. II.* §. *XXIII.* De arbore scientiae boni & mali, quod ad instituta status integritatis pertineat, positum est extra conttouersiam. De matrimonio errant, qui illud in remedium vlterioris lapsus a Deo institutum existimant. Sabbatum nonnulli tum demum institutum putant, cum Deus eius sanctificationem populo israëlitico iniungeret, *Exod. XVI, 23.* Quos itidem magno in errore versari, alibi ostenditur.

§. XIII.

§. XIII.

Solent nonnulli ea, quae ad modum, rationemque colendi Deum spectant, sub schemate *foederis* cuiusdam *inter Deum & homines*, exhibere. Quod & minime improbandum, cum & scriptura suffragetur; modo caute hoc fiat, nec vltra, quam par est, istam foederis notionem in rebus diuinis extendamus. Nec enim omnia, quae in humanis foederibus obseruantur, in eo quoque, quod Deo cum hominibus intercedere dicitur, locum inueniunt. *

* Certe, quae cum Israëlitis egit, vt promissis variis pariter ac comminationibus ad legum illis datarum, & ad eorum vnice salutem spectantium, obseruantiam eos perduceret, non tantum aperte indolem foederis referunt, sed saepissime etiam hocce nomine significantur. *Hoc est foedus sanguinis*, inquit Moses, *quod Deus pepigit vobiscum; Exod. XXIV, 7. 8.* conf. *cap. XIX, 5. Leuit. XXIV, 8. XXVI, 9. Num. XVIII, 19. Deut. V, 2. Ios. XXIII, 16.* Hinc & status fidelium noui testamenti sub eodem exhibetur schemate, *Ierem. XXXI, 31.* Addunt nonnulli & illa Pauli apostoli verba: ἅυται γάρ εἰσιν αἱ δύο διαθῆκαι, *Gal. IV, 24.* in quibus duorum foederum mentionem iniicere videtur; itemque illud Christi seruatoris: τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μκ, *Luc. XXII, 20.* Verum etsi vox διαθήκη ceteroquin & *foedus* significet, in hisce tamen, aliisque noui testamenti locis eam *testamentum* potius denotare, aliis obseruatum est. Quod nobis non obstat, cum & foederis & testamenti notio, at diuerso intuitu, in hisce locum inueniat. Cum ergo, vti diximus, foede-

ris

ris illud schema, in negotio ad hominum salutem pertinente, non inusitatum sit, nihil profecto obstat, quo minus & ea, quae in statu integritatis ad modum rationemque colendi Numen spectarunt, sub eodem exhibeantur; praesertim, cum & hic praeeuntem nobis habeamus sacram scripturam. Israëlitae enim foedus transgressi dicuntur כאדם *sicut Adam, Hos. VI, 7.* Vbi vox *Adam* non tantum commode vt nomen proprium verti potest, sed & vt ita vertatur, res ipsa postulat. Accedit, quod omnia, quae foedus aliquod constituunt, partes contrahentes, conditio foederis, promissio & comminatio ibi inueniantur, vt ex dicendis manifestum fiet. Nec est, quod dicas, Deum, ceu summum imperantem & legislatorem, iure & potestate sua cum homine agere potuisse, vt adeo nullo opus fuisse foedere videatur. Imperium enim illud, atque ius diuinum non obstat, quo minus Deus etiam ex singulari fauore, atque amore erga homines, certum illis proponere praemium potuerit, sub certa conditione conferendum; quod dum acceptant homines, vti omnino acceptandum erat, species quaedam foederis inde exsurgit. Qua de re deinceps plura. Quae autem hactenus diximus, non ita capienda sunt, ac si necessario sub hocce schemate religio concipienda sit, nec aliter eam concipere fas sit. Id enim vel inde refellitur, quod ipsa scriptura sacra saepissime de ratione colendi Deum, perueniendique ad salutem loquatur, nulla foederis adiecta mentione. Id ergo solum volumus, non esse inconueniens, nec scripturae sacrae repugnare, si sub hocce schemate etiam in statu integritatis ratio colendi Deum, perueniendique ad salutem exhibeatur. Multo magis adhuc cauendum, ne, foedus hocce diuinum in omnibus eiusdem cum foederibus humanis conditionis esse, existi-

exiſtimemus; vnde ſi ex horum indole foedus generatim aeſtimandum ſit, illud improprie tale erit. In foederibus humanis quaedam partium requiritur aequalitas; in diuino contra illo ſumma eſt inaequalitas, adeo, vt, licet inter homines etiam dentur foedera inaequalia, haec tamen inaequalitas nullius fere momenti ſit, ſi cum ea comparetur, quae inter Deum atque homines intercedit. Hinc vero & aliud diſcrimen conſequitur. In foederibus humanis pars vtraque per legem, ad foedus, ſeu pactum ſeruandum obligatur. Deus autem, cum ſuperiorem non habeat, obligari hac ratione nequit, etſi ob ſummam eius ſanctitatem, veracitatemque promiſſa eius omnibus hominum, ſi vel infinitis vinculis conſtricti eſſent, promiſſis longe ſint firmiora. In foederibus porro humanis vtrique parti integrum eſt, num foedus aliquod inire velint, an non velint. Sed in diuino illo neutiquam in hominis poſitum eſt arbitrio, velitne foedus hoc cum Deo inire, an minus; hoc eſt, velitne Deum ſecundum ordinem ab eo praeſcriptum colere, an non velit: obligatus enim eſt ad foedus hocce a Deo oblatum amplectendum, ita, vt acceptare illud abnuentes grauiſſima maneat poena; *Matth. X, 14. 15. XXII, 7. Luc. XIV, 21. 24.* Foedera denique inter homines iniri ſolita, mutuam fere continent partium vtilitatem, etſi aliquando diſparem. Ad Deum vero quaenam poſſet ex foedere cum hominibus inito redundare vtilitas? Atque haec ſi probe obſeruentur, facile, quae hac de re diſputari ſolent, diiudicare licebit. Sunt enim, qui negant, Deum foedus aliquod cum Adamo pepigiſſe: quos inter & SIMON EPISCOPIVS eſt, *inſtitut. theolog. lib. II. cap. I. p. 23.* Sed longe plures hoc adfirmant, vt IO. BRAVNIVS, in *doctrina foeder. vol. I. part. III. loc. VIII. cap. II. p. 250.* HERMANNVS

MANNVS WITSIVS, in *oeconom. foeder. lib. I. cap. II.* IO. HENR. HEIDEGGERVS, in *corpore christ. theolog. tom. I. loc. IX. num. XVI.* & ex noſtratibus, IO. WOLFGANGVS IAEGERVS, in *iure Dei foederali delineato, quaeſt. I. p. 14. ſeq.* itemque ZACHARIAS GRAPIVS, in *theologia recens controuerſiis continuata, cap. V. quaeſt. V. p. 134. ſeq.*

§. XIV.

Quod ergo in ſtatu integritatis obtinuit, *foedus operum* vocari ſolet; non eo quidem ſenſu, ac ſi homo operibus ſuis, ſeu legum diuinarum obſeruantia, aliquid promereri, hinc & mercedem, ceu iure ſibi debitam, poſtulare potuiſſet, quippe quod plane abſonum; cum homo nihil prorſus agat, ad quod non iure ſit obſtrictus: ſed, quod homo legem diuinam recte & adcurate implere potuiſſet; idque ſi feciſſet, Deus ex mera gratia praemium aliquod, ſeu maiorem felicitatis gradum, in eum collaturus fuiſſet. *

* Nimirum ſi omnia, quae ad conditionem foederis pertinebant, Adamus feciſſet, praemium equidem conſequutus fuiſſet, non tamen ex merito, ſed ex gratia. Ad meritum namque cumprimis requiritur, vt ſit actio indebita; quod & ratio docet, & ipſe ſeruator confirmat; *Luc. XVII, 10.* Obſequium autem illud, quod ab Adamo requirebatur, legibus diuinis praeſtandum, indebitum fuiſſe, quis dixerit? Vt enim Deus, ceu creator, hoc iure poſtulare poterat, ita ſine ſummo ſcelere non poterat hoc recuſare Adamus. Praeterea, vt meritum locum habeat, neceſſe eſt, vt alteri, cui aliquid

quid imputamus, reuera commodum aliquod, vel quod pro beneficio reputare debeat, conferamus. Quis vero dixerit, hominem commodum aliquod Deo adferre posse, vel aliquid agere, quod Deus pro beneficio reputare debeat? conf. *Iob. XXII, 2.* Accedit, quod meritum locum non habeat, vbi illud, quod praestamus, nostrum non est, adeoque nec nobis illud vindicare possumus. Adamus autem, quidquid habebat, a Deo acceperat, hinc &, quidquid boni agere poterat, soli Deo acceptum ferre debebat; conf. *I. Cor. IV, 7.* Denique & nulla aderat, inter opera primi hominis, atque praemium, proportio; quae si desit, omne quoque meritum cessat. Quae cum ita sint, omnia gratiae, seu benigno Numinis fauori hic tribuenda esse, manifestum est. Solius enim gratiae opus erat, quod Deus hominem creauerat, & tot dotibus eximiis ornauerat; gratiae opus erat, quod per modum foederis cum eo agere voluerit, cum ei licuisset, solo mandato atque imperio agere; gratiae opus erat, quod praemium aliquod, seu maiorem felicitatis gradum homini promiserit; & licet certa simul ab homine requireretur conditio, nihil tamen huic conditioni inerat, quod rationem meriti haberet. Facile autem intelligitur, quo sensu hocce foedus *legale* a quibusdam vocetur? quia scilicet opera praestanda, lege diuina praescripta fuerunt. Solet vero etiam *naturale* vocari, quia cum ipsa natura hominum initium habuit; itemque, quia naturae humanae plane fuit conueniens; iis quoque viribus naturae Adamus fuerit instructus, vt conditionem foederis istius implere potuerit.

§. XV.

In *foedere* hocce *operum* distinctius consi-de-

siderari possunt, *partes contrahentes*, *conditio foedere praescripta*, *promissio*, & *comminatio*.

§. XVI.

Partes, seu personae contrahentes, erant *Deus* atque *Adamus*. Deus simul, vt dominus supremus atque summus legislator, spectandus est; qui, cum & hoc intuitu obedientiam perfectissimam ab homine exigere potuisset, per istam tamen συγκατάβασιν, cumprimis per praemii promissionem, summam suam benignitatem atque φιλανθρωπίαν demonstrare voluit. Adamus autem non tantum vt homo, sed & vt caput atque princeps totius humani generis considerari potest; vnde &, quae ipse egit, certo modo ad omnes eius posteros, seu totum genus humanum pertinent. *

* Adamus in hocce foedere vt caput, seu princeps totius humani generis, considerandus est. Cum enim Deus Adamum ad imaginem suam condidisse dicitur, hoc vtique non ad solum Adamum atque Euam, sed omnes simul eorum posteros pertinet, ad quos per naturalem generationem imago Dei transmittenda erat, vti supra docuimus. Sic & cum Deus benedictione sua primos parentes ad fecunditatem, & generis sui multiplicationem prosequutus est, cumque dominium in res creatas alias, speciatim animantia bruta, iis concessit; *Gen. I, 28. 29.* hoc ad solos parentes primos, nec simul ad eorum posteros spectasse, nemo sibi persuaserit. Atque ita itidem se res habet, cum De-

us legem illis promulgauit, de non comedendo fructu arboris cognitionis boni & mali, *Gen. II, 17.* Namque non Adamum solum, sed omnes eius simul posteros eam obligasse, in confesso est apud omnes. Porro, cum coniugium Deus instituerit, & vni viro feminam vnam iungeret, hoc ad omnes omnino homines, seu posteros Adami pertinuisse, vel ex ipsius seruatoris interpretatione condiscimus, *Matth. XIX, 4. 5.* Denique si lapsum ipsum Adami, & quae illum consequuta sunt, mortem naturalem, & spiritualem, maledictionem terrae, partum cum dolore coniunctum, immo & Messiae, seu redemtoris promissionem consideramus, haec omnia ad posteros non minus Adami, quam ad Adamum ipsum referenda esse, & experientia testatur, & scriptura sacra docet. Atque haec quidem euincunt, Adamum omnino pro *capite naturali*, seu *seminali*, in hocce foedere habendum esse. Rursus tamen, an omnino pro capite foederali habendus sit? quaeri solet; quod omnino adfirmandum est. Adamus enim *Rom. V, 14.* ita vt typus Christi proponitur, vt diserte etiam ab eo peccatum in omnes homines deriuatum dicatur, *v. 14.* & *per vnius inobedientiam multi peccatores constituti*, adserantur; *v. 19.* quod non nisi intercedente imputatione quadam fieri potuit. Hoc non tantum ratio antitypi requirit, sed cum per *ipsum delictum*, per *ipsam inobedientiam* Adami, posteri eius peccatores facti dicantur; de sola propagatione corruptionis per naturalem generationem commode hoc intelligi nequit. Praeterea, cum posteri Adami *non peccasse* dicuntur, *in similitudine praeuaricationis* Adami, & nihilo secius morti sint obnoxii; dissimilitudo vtique in eo consistit, quod Adamus sine peccato originali peccauerit; posteri autem eius cum peccato originali nascantur, adeoque simul poenam transgressionis Adami

mi luant, quod rursus imputationem quamdam arguit. Ceteroquin enim eadem plane ratione, ac Adamus, peccarent.

§. XVII.

Conditio foedere praescripta, *lex foederis* erat; quo nomine praecipue leges illae *naturales*, & quidem *absolutae*, quas cordibus hominum inscriptas etiam post lapsum hominum intelligimus, veniunt; tum & *hypotheticae*, seu, vt aliis vocantur, *positiuae*, antea memoratae; cum primis lex illa symbolica, *de arbore scientiae boni & mali*. Obedientia autem hisce legibus praestanda, exactissima requirebatur; & qua partes, qua gradus, perfectissima. * Idque non immerito; cum iis viribus homo instructus esset, vt perfecte legem implere posset.

* Perfectio partium, quam lex requirebat, tum intuitu *subiecti*, intelligi potest, vt totus homo, qua animam & corpus, & vtriusque facultates, se consecret Dei seruitio; *I. Thess. V, 23.* tum intuitu *obiecti*, vt omnia & singula legis praecepta seruentur, absque vllo commissionis vel omissionis peccato, *Gal. III, 10. Iacob. II, 10.* *Graduum* autem perfectio summam velut omnium virium intensionem denotat, vt amor obiecto omnium maximo, quod & summum hominis bonum est, respondeat, secundum illud: *Ex toto corde, & ex tota anima, & ex omni cogitatione, Matth. XXII, 37. Deut. VI, 5.* Addunt nonnulli perfectionem *perseuerantiae*, vt si vel semel deficiat, & exorbitet a recto tramite, prior iustitia non amplius in censum veniat; *Ezech. XVIII, 22. 24.*

§. XVIII.

Promissionem foederi huic operum a Deo additam, vel ex statu restitutionis intelligitur. Ea vero alia esse non poterat, quam de perfectiori, ampliorique beatitudinis gradu, post curriculum huius vitae absolutum, omnibus atque singulis, ex mera gratia per modum praemii conferendo. Quam quidem beatitudinem ex statu gloriae, qui statum gratiae, seu restitutionis insequuturus est, aestimare licet. *

* Quod Deus primis parentibus aliquid promiserit, ex statu restitutionis probari potest. Cum enim in foedere gratiae credentibus in Christum vita aeterna, ceu supremus beatitudinis gradus, seu praemium fidei promittatur; *Ioan. III, 16. Rom. VI, 23.* homines in statu integritatis deterioris fuisse conditionis, credibile non est. Omnino autem fuissent, si continuatio solum huius vitae, non vero sublimior beatitudinis gradus, promissus fuisset. Quem quidem dum post absolutum huius vitae curriculum illis conferendum adserimus, non ita hoc capiendum, ac si morte in aeternae beatitudinis sedem fuissent transferendi. Non tantum vero generatim ex statu restitutionis, sed speciatim etiam ex foedere Sinaitico, promissio ista vitae aeternae recte colligitur. Quod enim *Leuit. XVIII, 5.* dicitur: *Qui fecerit ea, viuet in iis*; id ipsemet seruator de vita aeterna interpretatur, *Matth. XIX, 16. 17.* Iuueni nimirum, de ratione consequendi vitam aeternam quaerenti, respondet: *Si vis intrare in vitam,* (scilicet aeternam) *serua mandata.* Quod quidem non ita capiendum, ac si homo post lapsum adcurate implere legem, & hac ratione vitam aeternam consequi

sequi possit; sed, vt intelligeret, quid in Adamo amisisset. Luculentissime rem omnem conficit Paulus, cum docet, Deum per filium suum, in carnem missum, id fecisse, quod legi factu ἀδύνατον erat, ἐν ᾧ ἠσθένει διὰ τῆς σαρκὸς, *eo quod viribus destituta erat, per carnem; Rom. VIII, 3.* Iam vero Christus suis parauit ius ad vitam aeternam, in caelis suo tempore degendam. Id ergo dum apostolus legi nunc ἀδύνατον dicit, *eo quod per carnem infirmata sit*; significat, possibile hoc legi fuisse, vt homines ad vitam istam aeternam perduceret, si carnis infirmitas per peccatum non accessisset.

§. XIX.

Comminatio denique, seu sanctio poenalis, hisce verbis: *morte morieris*, *Gen. II, 17.* exprimitur. Qua quidem loquendi formula non tantum naturalem, sed spiritualem etiam atque aeternam mortem, immo, quidquid malorum, aut calamitatum cogitari potest, significari, constat, & alias quoque obseruatum est. Quantumuis autem grauis ista poena censeri queat, si tamen rite cum grauitate delicti, & summa Numinis benignitate comparetur, nihil omnino, quod cum iustitia ac sanctitate eius pugnet, continet.

§. XX.

Sunt &, qui in foedere operum, adeoque & statu integritatis, sacramenta sibi inuenisse visi sunt. Et nonnulli quidem quatuor statuunt; *paradisum*, *arborem vitae*, *arborem scientiae boni & mali*, & *sabbatum*: alii autem duo tantum; *paradisum*, & *ar-*

borem vitae. Sed, qui consideraverit, quid ad sacramentum, & quidem proprie sic dictum, requiratur, hanc minime admittendam esse sententiam, facile intelliget. *

* Cum propria, genuina, & in nostra ecclesia recepta sacramenti significatio haec sit, qua eiusmodi gratiae atque fauoris diuini signum, siue symbolum denotat, quo bona spiritualia hominibus reuera simul exhibentur, atque conferuntur; recte mea opinione sentiunt, qui nulla in statu integritatis sacramenta statuunt. Nec enim ista sacramenti notio in vllum eorum, quae pro sacramentis habentur, quadrat. Praeterea, etsi Deus in foedere gratiae, promissionibus suis sigilla quaedam atque symbola addiderit externa, inde tamen colligere non licet, quod in statu integritatis ita quoque res sese habuerit. Immo & in foedere gratiae non semper hoc factum constat, cum ante circumcisionem nullum sacramenti proprie sic dicti exemplum occurrat. Qua de re in sequentibus suo loco dicetur ex instituto. Quin etsi semper in foedere gratiae sacramenta fuissent, exinde vti dixi, nondum colligere licet, in statu integritatis ea locum habuisse. Maximum enim inter huncce, & inter statum restitutionis intercedit discrimen. In statu namque restitutionis, vbi foedus gratiae obtinet, propter hominum imbecillitatem Deus cum hominibus ita agit, vt symbolis atque mediis externis, ad fidem illorum producendam, augendam, confirmandam vtatur, quibus in statu integritatis, vbi nulla hominum imbecillitas, opus non erat. Interim, si quis in statu integritatis eo sensu sacramentum admittere velit, quo sigilla quaedam, atque signa, promissiones diuinas obsignantia & confirmantia, hocce nomine veniunt, non equidem magnopere repugnabimus. Simul

tamen

tamen fatendum, haec improprie solum dicta sacramenta esse. Praeterea nondum puto satis probatum esse, signa haecce, seu symbola a Deo ipso hunc in finem esse constituta; quod tamen ad sacramentum in latiori etiam sensu requiritur. Ceteroquin enim ex re qualibet, quae ad aliam relationem quamdam habet, sacramentum facere possem. Potest sane arbor vitae pro symbolo quodam immortalitatis, Adamo destinatae, haberi. Sed a Deo hunc in finem eam arborem esse constitutam vnde probatur? Si sola conuenientia niti velimus, non minus eleganter alii dixerint, fuisse hanc arborem symbolum, seu imaginem Christi; conf. *prou. III, 18.* Per eamdem equidem arborem Deus bonum aliquod homini contulit; id vero spirituale non fuit, cum ad huius vitae prolongationem legitimus eius vsus spectauerit. In reliquis institutis paradisiacis, paradiso scilicet, & sabbato, alia adhuc obstant, quo minus pro sacramentis haberi queant.

§. XXI.

Per legis transgressionem foedus illud operum violatum ex parte hominis, atque abruptum fuit. Vnde & abrogatum, seu antiquatum dicitur; non eo sensu, ac si lex ipsa, & quidem naturalis, abrogata, vel sublata sit; quippe quod est ἀδύνατον, cum ea ex ipsa Numinis sanctitate fluat; sed quod homo per istam transgressionem in eum statum peruenerit, vt legem hancce perfecte seruare, siue implere, adeoque & praemium illud aeternae beatitudinis a Deo constitutum, hac ratione consequi nequeat. * In locum itaque foederis operum successit foedus gratiae.

* Quemadmodum lex ipsa, scilicet naturae, abrogari non potuit, ita nec obligatio legis cessat, nec comminatio illi addita. Sunt namque haec inter se connexa; & cum ex ipsa Numinis sanctitate & iustitia proueniant, non magis, quam Deus ipse, aut mutari, aut desinere possunt. Hinc & hodie adhuc permanent. Immo, non permanere nequeunt. Neque obstat, quod foedus ipsum abruptum sit; cum hoc ipso respectus equidem legis *foederalis*, neutiquam autem *normalis*, cesset. Nec enim obligatio hominis ex solo foedere, sed cumprimis ex ipsa lege, prout lex est, atque in se spectatur, deriuanda. Ἀδυναμία etiam legem implendi, qua homo post lapsum laborat, eum ab obligatione non liberat; cum sua culpa homines in eo statu versentur, vt in sequentibus docebimus. Atque haec cum ita se habeant, in eam quis ingredi sententiam posset, hominem pro sua quidem parte foedus violasse, sed a Deo nullam eius antiquationem factam. Attamen, si cuncta paullo adcuratius perpendamus, a Deo etiam foedus hocce antiquatum deprehendemus. Idque vel ex substitutione noui foederis, quod est *foedus gratiae*, intelligitur; secundum illud apostoli: *dicendo nouum, antiquat prius; Ebr. VIII, 13.* Haec nimirum antiquatio facta est, dum Deus declarauit, neminem hominum vi huius foederis amicitiam secum habere posse, aut vitam aeternam consequi; siquidem & nemo hominum legem, prout foederis istius ratio postulabat, seruare potest. Atque hoc est, quod Paulus docet, ἀδύνατον legi esse, ob carnis infirmitatem, vt ea quemquam ad vitam aeternam perducat; *Rom. VIII, 3.* itemque, *non* dari nunc legem, quae possit *viuificare*, *ita vt iustitia ex lege sit; Gal. III, 21.* Hinc & longe alii legis sunt effectus, quam olim in statu integritatis fuere. Quae namque *data erat ad vitam*, illa hodie *hominibus cedit in mortem*,

mortem, *Rom. VII,10.* vnde & *διακονία τῦ θανάτυ*, *ministerium mortis* dicitur; *II. Cor. III,7.* Quae olim gratiam, fauoremque Numinis homini conciliabat, nunc *iram operatur*; *Rom. IV,15.* Quae benedictionis diuinae hominem participem faciebat, maledictionem eidem attrahit; *Deut. XXVII, 26. Gal. III, 10.* ex qua aeterna tandem sequitur damnatio, *Matth. XXV, 41.*

§. XXII.

Qui hic a veritatis deflexerunt tramite, eam maxime ob causſam id fecerunt, quod de gratia Dei in negotio salutis non recte sentirent. Qui enim aut negata cum Pelagio, aut extenuata gratia, naturae viribus plus quam decet, in spiritualibus tribuunt, eam quoque de imagine Dei animo notionem concipiunt, vt eadem licet amiſſa, integrae tamen, minimeque corruptae naturae vires censeri queant; qui autem cum Manichaeis ipſam hominis ſubſtantiam malam atque intime corruptam ſibi perſuadent, eos imaginem quoque Dei ad ipſam hominis pertinuiſſe eſſentiam, ſtatuere oportet. De foedere porro operum in ſtatu integritatis, qui non in omnibus, vt decet, ſentiunt, errores ſuos, quos de ratione perueniendi ad ſalutem poſt lapſum fouent, huic quoque doctrinae, vt fieri ſolet, inferre non dubitant.

§. XXIII.

Quo euidentius autem veritas, quam expoſuimus, eluceſcit, eo facilius etiam eſt, eius

eius per omnia ecclesiae interualla demonstrare propagationem, ac conseruationem. Etsi enim veteris ecclesiae doctores non vna semper, eademque ratione de iis, quae ad hocce doctrinae caput pertinent, loquuti sint, in re ipsa tamen magnus inter plerosque consensus est.

§. XXIV.

Haec, quae de integritatis statu, speciatim de imagine Dei diximus, diligenter & sedulo expendere iuuat, vt, quae nostrae vocationis sit ratio, intelligamus. Quod enim in Adamo amisimus, id per Christum possumus recuperare. Omnia eo tendunt, vt imago diuina in nobis restauretur; quae quidem restauratio in regeneratione inchoatur, *Ioan. III,3.5.* in renouatione quotidiana continuatur, *Eph. IV,24. Coloss. III,10. I. Petr. I,15. 16.* & post hancce demum vitam, in statu gloriae perficitur, & consummatur; *I. Ioan. III,2.* Neue hic a scopo aberremus, Christum seruatorem nostrum numquam non intueri nos oportet; quippe qui, sicut ipse est *splendor gloriae patris, & imago essentiae eius, Ebr. I,3.* ita exemplum quoque nobis reliquit, quod imitemur, & ad quod nos totos componamus; *I. Petr. II,21. Matth. XI,29.* Quae autem de foedere operum in statu integritatis diximus, summam Numinis & sanctitatem, & benigtatem, iure meritoque nobis in memoriam reuocant; simul-

que

que nos condocere possunt, cum ne tum quidem meritis vllis locus fuerit, sed omnia gratiae Numinis, benignissimoque fauori fuerint tribuenda, multo minus post lapsum aliam ad salutem perueniendi rationem, quam quae vnice gratia Numinis, atque benignitate nititur, sperandam esse; *Rom. III, 24. IV, 4. 5. XI, 6.*

LIBRI TERTII
CAPVT SECVNDVM
DE
STATV HOMINIS POST LAPSVM
VBI DE PECCATO TVM GENERATIM SPECTATO TVM SPECIATIM ORIGINALI ET ACTVALIBVS.

Σύνοψις.

STatum integritatis excipit status peccati, §. I.

Peccatum quid sit? §. II.

Quid lex sit? in cuius transgressione peccatum consistit, §. III.

Legis istius per notitiam insitam promulgatio, §. IV.

Promulgationis per varios actus externos repetitio, §. V.

Cognoscitur lex ista equidem ex ratione, sed plenius ex reuelatione, quae & docet, quod in eius cognitione praecipuum est, eam esse spiritualem, §. VI.

An praeter naturales, dentur leges diuinae positiuae vniuersales? Rectius naturales in absolutas & hypotheticas dispescuntur, §. VII.

Leges diuinae positiuae particulares, itemque humanae, an & quousque in censum veniant? §. VIII.

Caussae peccati tum ipsi homines sunt, qui peccant, tum & alii homines, cumprimis diabolus, §. IX.

Deus autem nulla ratione caussa peccati dici potest, §. X.

Effectus

Effectus peccati, reatus culpae & poenae, §. XI.

Peccata sunt vel habitualia, vel actualia; illa vel connata, vel adquisita, §. XII.

Connatum aliquod, seu originale peccatum dari, etsi ipsa ratio quodammodo cognoscat, longe rectius tamen scriptura sacra docet, §. XIII.

Quid sit peccatum originale? §. XIV.

In intellectu per illud, loco lucis spiritualis, caligo est, §. XV.

Ratio ipsa quo sensu corrupta ac deprauata dicatur? §. XVI.

Pro sapientia in intellectu est stultitia, §. XVII.

Defectus varii imaginationis & memoriae, §. XVIII.

In voluntate, pro iustitia & sanctitate originali, summa ad mala quaeuis propensio deprehenditur, §. XIX.

Imbecillitas voluntatis, in compescendis corporis motibus; vnde pugna rationis & adpetitus sensitiui, §. XX.

Origo peccati originalis a lapsu primorum parentum repetenda; cuius historia a Mose descripta, proprie, non allegorice est intelligenda, §. XXI.

Caussa itaque remota peccati originalis fuit diabolus, §. XXII.

propinqua, ipsi primi parentes, §. XXIII.

a quibus per naturalem generationem in eorum posteros fuit propagatum, §. XXIV.

Deus autem nulla ratione caussa peccati originalis dici potest, §. XXV.

Malum hocce ad omnes homines penetrauit; cuius sedes praecipua in mente est, etsi in corpore etiam vim suam exserat, §. XXVI

Grauitas eius ex effectibus aestimanda est, §. XXVII.

Proprietates, seu adfectiones peccati originalis, §. XXVIII.

Ex peccato originali fluunt actualia; quo nomine quid intelligatur? §. XXIX.

Caussae peccatorum actualium, §. XXX.

Quo sensu peccata praecedentia sequentium caussa

sa dici queant ?. XXXI.
Effectus peccatorum actualium, §. XXXII.
Quotuplicia sint ? §. XXXIII.
Singulare prae reliquis est peccatum in spiritum sanctum, §. XXXIV.
Errorum, in hacce doctrina occurrentium fontes, §. XXXV.
Verae doctrinae conseruatio ac propagatio, §. XXXVI.
Vsus in praxi vitae christianae, §. XXXVII.

§. I.

STatum integritatis, qui non diu admodum durauit, excepit per primorum parentum lapsum, longe funestissimum, status peccati; cuius originem dum Moses *Gen. III, 1. seq.* describit, simul, quid peccatum sit, & quaenam eius sit caussa ? luculenter demonstrat.

§. II.

Peccarunt primi parentes, per legis diuinae transgressionem, *Gen. II, 17. III, 6.* Vnde intelligitur, peccatum in violatione, seu transgressione legis consistere; quod & Ioannes confirmat, peccatum esse τὴν ἀνομίαν, condocens, *I. epist. III, 4.* *

* Duplici nimirum ratione peccatum considerari potest, vel *abstracte*, vel *concrete*. Priori modo spectatum, defectum conformitatis cum lege diuina, denotat, adeoque, recte priuatio quaedam esse censetur: posteriori autem modo, subiectum illud, cui defectus ille seu priuatio inest, vt propensionem quamdam, siue actionem, voce in sensu latissimo, quo omnes motus, qui in genere morum in censum veniunt, adeoque & cogitationes, dicta, facta, significat, accepta, connotat. Et sane vsus atque con-

consuetudo loquendi, eaque a re ipsa minime abhorrens, ita fert, vt omnes propensiones, habitusque, itemque actiones, quibus ἀταξία quaedam, seu eiusmodi defectus, adhaeret, peccata dicantur. Prior tamen etiam consideratio necessaria est, vt res ipsas a Deo conditas, a peccato, quod est confusio ordinis diuini, rite discernamus.

§. III.

Vt ergo, quid peccatum sit, eo rectius intelligamus, legis, & quidem diuinae, non praetermittenda est consideratio: ex lege enim oritur cognitio peccati, *Rom. III, 20. VII, 7.* Per *legem* autem *diuinam*, & quidem *vniuersalem*, quippe quae nunc in censum venit, decretum Dei intelligi, constat, per ipsam creationem ad imaginem eius, homini olim manifestatum, obligans omnes homines, ad ea omnia, quae naturae illorum, ad imaginem diuinam restaurandae, & magis magisque componendae, conueniunt, agenda, & omittenda, quae eidem repugnant; idque ad summam, aeternamque eorum felicitatem promouendam.*

* Etsi haecce legis diuinae, & quidem uniuersalis, quam alibi quoque tradidi, definitio minime obscura sit, paucis tamen eam illustrare iuuabit; quod & instituti nostri ratio postulat. Cum in eo leges omnes conueniant, quod sint *decreta imperantium*, de diuinis etiam rectissime pronuntiatur, quod sint *decreta Numinis*. *Decretum* autem cum & intellectus & voluntatis actum denotet, de Deo quidem ἀνθρωποπαθῶς hoc dici, sed θεοπρεπῶς intelligendum esse, manifestum est. Cumque porro

ro decretum imperantis nullam vim habeat, nisi promulgatio, per quam ipsi subiectis innotescat, accedat, haecquidem in legibus diuinis facta primum est, cum homo ad imaginem Dei ab eo conderetur. Per eam enim cum & sapientia, & bonitas, sanctitas item ac iustitia Dei in homine reluceret, homo statim ex istius imaginis, quam in se ipso contemplari poterat, consideratione intelligebat, Deum omnino velle, vt talis esset, qualem eum creauerat. Quo pacto autem haecce promulgatio post lapsum hominum quodammodo continuata, subinde & repetita fuerit, deinceps dicemus. Per leges hasce rite promulgatas omnes homines obligari, nemo temere dubitauerit. Cum enim Deo imperium, proprie & stricte sic dictum, competat, siquidem & propter creationem ac conseruationem ius habeat, obsequium ab omnibus exigendi, & idem tanta polleat potentia, cui nemo resistere valeat; sequitur, vt idem & potestate gaudeat, vinculo quodam adstringendi homines, vt quae iis praescripsit, violare nequeant, nisi poenae certissimae sese exponere velint. Quae obligatio etiam eo strictior est, quo iustiores sunt caussae, quae hominem ad obsequium adducere debent, & quo sanctior est ipsa Numinis iustitia, quae non permittit, vt sine poena eum dimittat, qui leges eius migrauit. Idque ad omnes omnino homines, nemine excepto, pertinet, cum nemo sit, qui non a Deo se creatum, & ab eodem se conseruari, fateri necesse habeat; nemo quoque, qui potentiae eius reluctari, aut poenae se subtrahere queat. Obiectum legum istarum diuinarum sunt ea omnia, quae naturae hominum, ad imaginem diuinam restaurandae, conueniunt.

§. IV.

Promulgata itaque lex ista fuit per ipsam

hominis ad imaginem diuinam creationem.* Per lapsum autem primorum parentum imagine ista diuina amissa, remansit tamen naturalis quaedam principiorum practicorum notitia; ea quidem ratione, vt non tantum homo maturae aetatis, & sanae mentis, ex humanae naturae consideratione, facile generalia iusti & honesti principia, elicere queat, sed inclinatione, & propensione quadam singulari, ad adsensum veritatibus hisce, statim ac cognitae sint, praebendum, impellatur. **

* Cum imago diuina, qua intellectum hominis, in luce, seu cognitione ac sapientia constiterit, vti supra demonstrauimus; ecquis dubitet, eum adcurate etiam cognouisse, quid Deus a se fieri voluerit? Hoc namque nisi cognouisset, praecipua pars necessariae cognitionis illi defuisset. Si ergo cognouit, quid a se Deus fieri voluerit, hoc ipso legem diuinam cognouit. Praeterea, cum eadem diuina imago, qua voluntatem, in summo Numinis amore, hinc & in sanctitate ac iustitia constiterit; sequitur, hominem etiam cognouisse, supra omnia Deum esse amandum, sanctitatemque atque iustitiam semper consectandam esse. Nec enim intelligi potest, quo pacto aut amare Deum, aut virtutibus, ex amore eius fluentibus, operam dare potuisset, si ignorasset, hoc Deum velle. Hoc autem si sciuit, leges quoque diuinas cognouit; quarum summa est, *Deum supra omnia amandum esse, Matth. XXII, 37.*

** Cum disputatur, an in homine post lapsum detur notitia quaedam insita, seu connata? cum primis notandum, non de actu, sed potentia, & quidem

quidem propinqua, quaestionem esse. In actu enim si ista notitia consisteret, nemo mortalium reperiretur, qui illa principia ignoraret; quod experientiae repugnat. Neque tantum potentia, & quidem propinqua, in homine est, ista principia cognoscendi, sed, quod amplius quid est, propensio quaedam, atque inclinatio, iis adsentiendi accedit; ita, vt si vsu rationis polleat, & verba, quibus ista principia proponuntur, intelligat, non possit non statim illis adsensum praebere, atque intime de illarum veritate conuinci. Ceterum, qui notitiam istam potentia propinqua in homine esse adserit, eam reuera adesse, hoc ipso profitetur. Potentiam enim eiusmodi, quae actui opponitur, reale quid esse, infinitis exemplis, si opus esset, demonstrari posset. Dari autem talem notitiam insitam principiorum practicorum, non tantum ipsa experientia quemlibet condocebit, si modo serio ad se ipsum quis attendere velit, & consensus gentium confirmat, sed Paulus quoque diserte testatur, *Rom. II, 14. 15.*

§. V.

Cum autem notitia ista naturalis & infirma sit, & varias ob causas obscurari facile queat, non sine Numinis prouidentia singulari contigit, vt subinde leges istae vniuersales sollemni quadam ratione repeterentur, & denuo velut inculcarentur, vt a quoquam ignorari nequirent. Ista vero repetitio, aut repetita promulgatio, facta est cumprimis genti israëliticae, per decalogum; idque ea ratione, vt ad alias simul gentes notitia eius dimanare posset; * tum & per apostolos, euangelium omnibus

adnuntiantes, quod sine legis diuinae notitia fieri non potuit.** Immo & ipsa scripta prophetica, & apostolica, huc spectant; in quibus luculenter leges quoque diuinae declarantur.***

* Decalogi nomine summa ista legum diuinarum vniuersalium venit, quae tabulis a Mose iussu Numinis inscripta, & Israëlitis promulgata fuit. Namque & in scriptura decem ista praecepta *decem verba* vocantur, *Exod. XXXIV, 28. Deut. IV, 13. X, 4.* Licet autem promulgatio istarum legum speciatim ad Israëlitas directa fuerit; licet etiam ad statum & genium illius gentis, si modum praesertim loquendi spectes, praecepta ista fuerint adcommodata; in se tamen si spectentur, neutiquam solos Israëlitas, sed omnes omnino homines obligare, longe est manifestissimum. Idque ex ipsa istarum legum consideratione luculenter intelligitur. Ecquis enim diceret, a solis Israelitis exigi, vt non idola, sed verum Deum colerent? aut vt diuini nominis abusum & profanationem euitarent? Ipsa namque ratio docet, ab omnibus omnino hominibus ista exigi. Et ita in reliquis praeceptis sese res habet. Ad tertium namque praeceptum, de *sanctificando sabbato*, quod attinet, etsi legem hypotheticam, seu, quod aliis placet, positiuam vniuersalem contineat, eam tamen itidem, vtpote in memoriam creationis sancitam, omnes obligare homines, alibi ex instituto demonstratur. De matrimonio, quod in sexto praecepto, & dominio rerum, quod in septimo supponitur, nemo dubitat, quin ad omnes omnino homines pertineant. Istum porro decalogum recte pro compendio quodam legum diuinarum vniuersalium haberi, vel inde intelligitur, quod nulla lex vniuersalis nominari queat, quin in eo con-

contineatur, aut in vno istorum praeceptorum includatur; quemadmodum iterum & decalogi, adeoque omnium legum diuinarum, summa in amore sincero Dei, & aliorum hominum continetur, teste ipsomet seruatore, *Matth. XXII, 37.* Ad sensum autem, & interpretationem decalogi quod attinet, duo cumprimis obseruanda sunt: quorum alterum est, in iis praeceptis, quibus aliquid prohibetur, simul praecipi illud, cui actus prohibiti aduersantur, & vicissim, in iis praeceptis, quibus aliquid praecipitur, simul prohiberi contrarium; alterum, non tantum actus externos aut praecipi, aut prohiberi, sed internos etiam, seu ipsas cupiditates, & motus quosuis, ad eiusmodi actus tendentes. Atque posterius hocce vel ex nono atque decimo praecepto intelligere poterant Israëlitae, immo ex summa ista praeceptorum omnium, prout a Mose ipso proponitur *Deut. VI, 5.* apud eos autem, qui christianorum nomine veniunt, positum esse debet extra dubium, ob interpretationem decalogi, quam ipse seruator dedit, *Matth. V, 20. seq.* Atque ita sensum decalogi paucis declarauimus. Hoc equidem obscurum adhuc videri posset, qua demum ratione hae leges aliis quoque gentibus, praeter Iudaeos, innotuerint? Id enim necessarium est, si promulgationem decalogi ad omnes homines spectare contendimus. Sed cum luculenter hoc iam a me expositum sit, *instit. theol. mor. part. II. cap. II.* ad §. *VI.* vt id repetamus, necesse non est. Quae ad historiam autem ipsius promulgationis pertinent, enarraui in *hist. eccles. vet. testam. tom. I.* ad *per II. sect. I.* §. *XVIII. p. 604. seq.*

** Ex praescripto enim seruatoris adnuntiare omnibus debebant *poenitentiam & remissionem peccatorum; Luc. XXIV, 47.* Poenitentia autem sine peccatorum agnitione esse nequit; quemadmodum

peccatorum agnitio ex lege venit; *Rom. III,20.* hinc & Paulus, coram Felice verba faciens, de *iustitia*, deque *castitate*, & de *futuro iudicio*, loquebatur, *act. XXIV, 25.*

*** Scripta apostolica, seu noui testamenti, simulque tempore noui testamenti prophetica, seu scripta veteris testamenti, in gentium plurimarum notitiam venisse, notum satis est. Sed & prophetica, seu veteris testamenti scripta ante Christum natum gentilibus non ignota fuisse, viris doctis dudum probatum est. Qua de re non dubitabit, qui fata gentis iudaicae, eiusque per varias orbis partes dispersionem post captiuitatem Babylonicam, secum expenderit. Accedebat, quod libri sacri veteris testamenti in linguam graecam, cuius vsus latissime olim patebat, transferrentur. Etsi enim incertum sit, an versio graeca antiquior illa, quae LXX interpretibus tribuitur, exstiterit? etsi etiam ea, quae ARISTEAS de LXX interpretibus litteris consignata reliquit, ceu fabulosa, & commentitia merito a viris doctis explodantur; hoc tamen certum, & extra omnem dubitationem positum, iam ante Christum natum libros veteris testamenti in sermonem graecum fuisse translatos.

§. VI.

Etsi autem leges istas vniuersales ipsa etiam ratio cognoscat, vt adeo nemo mortalium sit, qui earum ignoratione se tueri queat; longe tamen clarior, perfectiorque ea est illarum notitia, quam scriptura sacra suppeditat. Vt vero eo rectius leges istas cognoscamus, numquam non ad illud apostoli, quod ὁ νόμος πνευματικός sit, *Rom. VII, 14.* attendendum est. Hinc enim intelli-

telligimus, quod non externum solum obsequium, sed pleniſſimam, perfectiſſimamque omnium motuum internorum, omniumque cogitationum cordis, multoque adeo magis dictorum factorumque, cum voluntate Numinis sanctiſſima conformitatem requirant; conf. *Matth. V, 29. seq.* Atque ea demum ratione, quid peccatum sit? condocebimur.

§. VII.

Quae hactenus diximus, de legibus, quae naturales adpellitantur, intelligenda sunt. Praeter has enim nonnulli & alias itidem vniuersales statuunt, quas *positiuas* vocare solent; eo quod neceſſarium cum hominis natura nexum non habeant, etsi omnes itidem homines, aeque ac naturales, obstringant. Sed, cum istae leges ex instituto aliquo diuino fluant, ad cuius obseruationem ipsa lex naturalis nos obligat, ad naturales itidem, sed *hypotheticas*, referri possunt. Quocumque autem eas adpelles nomine, id certum, quod ex diuina reuelatione tantum innoteſcant, omnes tamen sine discrimine homines obligent.

§. VIII.

Leges diuinae *positiuae particulares*, vt illos, quibus datae sunt, obligant, ita reliqui, si eas non obseruent, peccatum quoque non committunt. * Ad *humanas* autem quod attinet, si modo ab iis datae sint

qui habent potestatem leges ferendi, nec quidquam, quod legibus diuinis repugnet, contineant, obligant eos omnes, qui legislatoris illius imperio parent, nec migrari a quoquam sine peccato possunt. Violatur namque simul lex diuina, quae, vt magistratui obediamus, praecipit; *Rom. XIII, 1.* **

* Non aliae sunt leges diuinae positiuae particulares, quam, quas Deus per Mosen Israelitis dedit, quarumue aliae *caerimoniales*, aliae *forenses* vocari solent. Eas autem solis Israelitis datas, vel ex fine & scopo illarum liquet; idque ex instituto HVGO GROTIVS probat, *lib. I. de iure belli & pacis, cap. I. §. XVI.* Cum vero caerimonialium legum finis hodie prorsus cesset, ne Iudaei quidem amplius iis obligantur; immo, nec per forenses obligantur, prout istae statum reipublicae a Deo ipso praescriptum, pro fundamento habent. Multo itaque minus alii homines per eas obstringuntur. Etsi autem leges istae nullam amplius vim obligandi quemquam habeant, non omni tamen destituuntur vsu; quod ostensum *instit. theol. mor. part. II. cap. I.* ad §. *XV.*

** Per humanas leges, non tantum *ciuiles*, sed & *ecclesiasticas* intelligimus. Vt enim hae ab illis non nisi obiecto differunt, siquidem vt leges spectantur, ita & per se nullam vim obligandi habent, nisi a summo imperante eam accipiant. Vnde &, quid de canonibus conciliorum, atque decretis pontificum censendum sit, patet. Ciuilium autem legum nomine non eae tantum veniunt, quas ipsi tuiere summi imperantes; sed, quas etiam, aliunde velut adsumtas, adprobarunt, & vim legum habere

voluerunt,

voluerunt, modo, quod voluerint, constet. Et de hisce omnibus copiosius dictum, *instit. theol. mor. part. II. cap. I. §. XVI. seq.*

§. IX.

Quaenam caussa peccati sit, exemplo primorum parentum itidem quam rectissime condocemur, *Gen. III, 2. 3. seq.* Actuum enim illorum, quibus legem diuinam migrarunt, tum internorum, tum externorum caussa, & quidem physica, ipsimet parentes primi fuerunt, vti omnes homines sunt, qui peccant. Id quod & de habitibus, quibus peccatum adhaeret, censendum. Ipsam autem ἀταξίαν si spectes, eius, cum in priuatione consistat, caussa quidem physica non datur; pro morali tamen recte habentur, qui aliquid efficiunt, vt inde ἀταξία ista consequatur. Idque adeo de rebus creatis ratione praeditis, homine atque diabolo, recte adseritur; quorum hicce & tum ipse peccauit, &, dum hominem ad peccandum induxit, peccati caussa exstitit.

§. X.

Deus inter caussas peccati, nec physice, nec moraliter tales, vlla ratione referri potest. Praeterquam enim, quod probari nequeat, eum ea ratione ad peccata concurrere, inde vt caussa aut physica, aut moralis dici queat; summae eius sanctitati atque iustitiae hoc e diametro repu-

gnat. De Deo autem vel cogitare aliquid, quod cum sanctitate eius, atque iustitia consistere nequeat, crimine non vacat. *

* Cum ἀταξία, quae actionibus, aut habitibus malis adhaeret, caussam physicam non habeat, nec Deum eius caussam physicam dici posse, manifestum est. Si autem Deus aliquid faceret aut ageret, cui ἀταξία inhaereret, adeoque caussa peccati moralis esset, aut per ignorantiam hoc faceret, aut per impotentiam, quod aliter agere non posset, aut denique, quod omnino peccatum, seu malum vellet. Per ignorantiam si hoc faceret, non esset omniscius; si per impotentiam, non esset omnipotens; si denique ideo, quod malum ipsemet velit, aut adprobet, non esset sanctus. At Deus, qui aut omniscius non est, aut non omnipotens, aut non sanctus, reuera Deus non est. Quare, qui Deum aut auctorem, aut caussam peccati dicunt, praeterquam, quod sine impietate hoc facere nequeant, aliquid dicunt, quod apertam contradictionem inuoluit, adeoque nullum sensum habet. Nec intuitu aut angelorum malorum, aut hominum, caussa peccati dici potest. Non tantum enim eaedem rationes recurrunt, sed accedit insuper, quod angelorum, aut hominum peccata nec iubeat, nec adprobet, nec vlla alia ratione ad ea concurrat, vt illorum auctor vel caussa dici posset; immo ea prohibeat potius, improbet, detestetur, puniat. Hinc & scriptura sacra diserte testatur, Deum non velle peccata, *psalm. V, 5. Es. LXV, 12.* immo & odisse, *psalm. XLV, 8. Zach. VIII, 17.* peccatum non a Deo esse, sed a diabolo, *Ioan. VIII, 44.* ideoque & peccata *opera diaboli* vocantur, *I. Ioan. III, 8.* Deum neminem tentare ad malum, *Iac. I, 13;* quidquid a Deo proficiscitur, bonum esse, *ib. v. 17.* quem-

quemadmodum & omnia, quae fecerat, *valde bona erant*, *Gen. I, 31.*

§. XI.

Qui peccauit, non poteſt non conſcientiae morſus perſentiſcere, vt vel Caini exemplo patet, *Gen. IV, 23.* Nimirum, obligationis, quam lex ſecum vehit, haec vis eſt & efficacia, vt, qui eam migrauerit, ſtatim quoque & *culpae*, quam hoc ipſo contraxit, & *poenae*, quam a iudice merito exſpectat, ſe reum eſſe, intelligat. * Hinc cogitationes iſtae ſe inuicem aut accuſantes, aut defendentes, *Rom. II, 15.*

* Culpae vox, cum diuerſa ratione in iure conſultorum maxime ſcholis accipiatur, hic tamen ea ſignificatio in cenſum venit, qua tum *maculam* quamdam, ſeu *labem*, quae per peccatum alicui adſpergitur, tum *imputabilitatem peccati*, denotat. Et per *maculam* quidem moralis quaedam foeditas & turpitudo intelligitur, quam ille, qui peccat, ſeu legem transgreditur, ſtatim contrahit. Vt enim naturae & dignitati hominis eſt conueniens, vt in omnibus ad voluntatem creatoris ſui ſe componat; ita quam primum ſecus ſe gerit, non poteſt non naturalis iſtius dignitatis atque praeſtantiae imminutio, ſeu deformitas, atque pollutio inde conſequi. Atque hoc intuitu fieri exiſtimo, quod ſubinde in ſcriptura ſacra peccatum ſub impuritatis notione, atque imagine, exhibeatur, quam & tot *luſtrationum* atque *purificationum* genera in veteri teſtamento a Deo praeſcripta, nobis in mentem reuocant; conf. *Ezech. XXIV, 13. XXXVI, 17. 24. 29. pſalm. LI, 4. 12.* Atque reſpondet etiam huic peccati effectui adfectus *pudoris*, quo perfunduntur, qui ſe peccaſſe ſentiunt, quiue

quiue in vera etiam poenitentia vel maxime sese exserere solet; conf. *Ezech. XVI, 63. XXXVI, 32. XLIII, 10. 11. Ierem. III, 3. 24. VI, 15.* it. *psalm. XXXVIII, 6.* Pudore namque suffundimur, cum aliquid, quod nos minime decet, & quo nostra dignitas imminuitur, quodue adeo turpe ac foedum est, nos admisisse credimus. Ad *imputabilitatem* autem peccati quod attinet, nihil vsitatius est, quam vt in culpa esse dicatur, qui aliquid fecit, quod illi imputari potest; quemadmodum vicissim, qui nihil fecit, quod illi imputari queat, extra culpam, vel sine culpa esse dicitur. Vt autem peccatum alicui imputari queat, requiritur, vt actionis istius, cui ἀταξία inhaeret, caussa sit, siue physica, siue moralis. Namque & aliorum actiones, quas quis dirigere tenebatur, & quarum adeo, si officio suo defuit, caussa moralis exstitit, alicui imputari posse, notum est. Recte porro nonnulli obseruant, in foro diuino imputabilitatem inde quoque oriri, si habitus aliquis, aut propensio praua, ita subiecto alicui inhaereat, vt ex certa subiecti istius conditione non possit non prauus ille habitus, vel propensio oriri. Imputabilitati huic in poenitentia respondet adfectus *tristitiae*, quippe quae oritur, cum malum aliquod praesens est, nec declinari vlla ratione potest. Cum ergo ita conuicti sumus, vt fateri necesse habeamus, quae commisimus, iure nobis imputari; non potest non tristitia inde excitari; conf. *psalm. VI, 3. 4. XXXII, 3. 4.* Ad *poenam* denique quod attinet, ceu alterum peccati consequens necessarium, per eam malum aliquod passionis, quod alicui ob malum actionis infligitur, designari constat, & alibi quoque docuimus. Vbi tamen *passionis* pariter ac *actionis* voces in generaliori significatione vt accipiamus, par est, vt illa, quidquid habet rationem incommodi; hac autem omne malum, seu omnis ἀνομία atque illegalitas intelligatur. Reatus itaque poenae est obliga-

obligatio, ad sustinendam poenam, a lege constitutam, seu, est conuictio mentis, qua intelligimus, nos poenam, a lege constitutam, promeruisse, nullamque nobis fieri iniuriam, si eamdem experiamur. Atque, poenam hanc ineuitabilem esse, & legis transgressionem necessario sequi, ex ipsa iustitia diuina intelligimus. Cum enim Deus sit sanctissimus, vt a se remoueat omne, quod cum summa eius perfectione pugnat; non potest quoque non esse iustissimus, vt detestetur & puniat in rebus creatis, quae summae eius sanctitati aduersantur. Hinc & diserte Moses: *Deus non potest* (salua sua iustitia vindicatiua) *peccatorem habere insontem* (vt citra satisfactionem illi remittat poenam) *sed omnino vindicabit, & puniet eius peccatum, Exod. XX,7.* Quod enim ibi de abusu nominis diuini dicitur, de omnibus peccatis, quorum, quoad reatum poenae generatim spectatae, eadem est ratio, merito intelligitur. Pari ratione & Iobus: *si pecco, parcis mihi quidem* (differendo poenam, ad horam) *sed tandem non pateris, me esse immundum ab iniquitate*, scilicet, vt me ob eam, citra satisfactionem non punias, *cap. X,14.* Immo, Deo abominationi esse, iustificare impium, Salomo pronuntiat, *Prou. XVII,15.* Poena autem ista, quam Deus hominibus ob peccata eorum infligit, vel *temporalis* est; quo nomine varia calamitatum genera, quae impiis in hac vita obtingunt, ipsa etiam mors naturalis, veniunt, vel *aeterna.* Nimirum, cum homines per peccata a Deo seiungantur, *Es. LIX, 2.* non potest non inde sequi *mors spiritualis*, quae, si per veram poenitentiam non tollatur, *mortem aeternam* secum vehit, quippe quae mortis spiritualis quedam est continuatio, cum malis omnibus, & cruciatibus, qui eam comitantur. Idque apostolus docet, cum mortem *stipendium peccati* vocat, *Rom. VI,23. mortis* nomine & *naturalem* & *spiritualem*, & *aeternam* comprehendens.

§. XII.

§. XII.

Cum ἀταξία ista, quae peccatum proprie constituit, & propensionibus hominum, & singulis quoque actibus inhaereat, hinc peccata in *habitualia*, & *actualia*, dispesci solent. Et habitualia rursus in *connatum*, quod & *originale* dicitur, & in *adquisita*, cum per actus saepius iteratos propensio quaedam ad mala inducitur, aut antea iam exsistens, augetur, & corroboratur; quae quidem, pro obiectorum diuersitate, iterum diuersa sunt. * Propensiones autem istae ad praua, quae *habitualium peccatorum* nomine veniunt, etiam absentiam eorum, quae in homine adesse debebant, connotant.

* Cum *connatum* illud, *originis*, seu *originale* dicitur, illud intelligitur, quod cuique homini a prima eius origine, seu natiuitate, immo, ipsa conceptione, *psalm. LI, 7.* adhaeret. Ceteroquin enim ipse primorum parentum lapsus hoc nomine significari potest. Propensio autem ista praua, quae *peccati connati*, seu *originalis* nomine venit, generatim intuitu voluntatis, in *philautia praua*, seu, *inordinato sui ipsius amore*, conspicitur; speciatim accedente certo quodam obiecto, in tribus istis vitiis cardinalibus, *ambitione*, *auaritia*, & *voluptatis cupiditate*, deprehenditur, *I. Io. II, 16.* Quae quidem determinatio aut eius quoddam principium, an ipsi menti hominis per naturam insit, non temere dixeris. Non satis enim humanae mentis, in se consideratae, natura cognita est, atque perspecta. De propensione namque, seu philautia praua, generatim spectata, nullum plane

est

est dubium, vt sequentia docebunt. Quod si determinationis istius fundamentum in ipsa mente non exstat, a corporis constitutione ea deriuanda videtur, per quam adeo fiat, vt alius ad aliud bonorum adparentium genus sit pronior, adeoque quaedam propensionum diuersitas per naturam in hominibus deprehendatur. Sin vero in ipsa mente fundamentum istius determinationis statuatur, tum quidem, si mentis propensioni speciali respondeat constitutio corporis, illam eo fortiorem, vehementioremque reddi, necesse est; si contra discrepet, illius vis imminuetur, vt tamen simul eo magis propensio, ad quam corporis constitutio ducit, sese exserat. Quae obseruatio ad maximam propensionum specialium, in quibus vis peccati euidenter eluescit, diuersitatem explicandam, valet plurimum. Atque hinc etiam, quaenam propensionum, seu peccatorum habitualium adquisitorum sit ratio, intelligere licet. Fieri enim potest, vt per consuetudinem, seu actus saepe iteratos, propensio quaedam specialis, eaque naturali propensioni minime respondens, seu ab ea diuersa, adquiratur; rursus tamen & illud contingere potest, vt, quae consuetudine adquiritur, naturali propensioni prorsus respondeat. Prius si sit, maior inde prauarum propensionum in vno eodemque homine oritur diuersitas; sin posterius, propensio naturalis eo magis augetur & corroboratur, hinc & difficilius imminuitur, & superatur. Quae quidem haud perfunctorie obseruasse iuuabit, cum in praxi conuersionis eorum minime contemnendus vsus sit.

§. XIII.

Cum *connatum* illud, seu *originale peccatum*, fons & scaturigo sit reliquorum peccatorum omnium, consideratione quoque inpri-

inprimis dignum est. Et corruptionem quidem quamdam naturae humanae ab ipsa statim natiuitate adesse, & experientia docet, hinc & ratio intelligit, & gentilium quoque philosophi agnouerunt. Inde autem colligere nondum licet, quod ratio peccatum originale, ita vt decet, cognoscat; quippe quae & originem veram istius corruptionis, & eius quoque profunditatem, prorsus ignorat. Scriptura vero sacra tam luculenter hac de re testatur, vt nemo, nisi qui verbis euidentissimis vim inferre religioni sibi non ducit, de ea dubitare queat. *

* Quo spectant loca *Genes. VI, 5. VIII, 21. Iob. XIV, 4. psalm. LI, 7. Ioan. III, 6. Rom. V, 12. Eph. II, 3.*

§. XIV.

Denotat autem peccatum illud originale tum defectum, seu absentiam imaginis diuinae, siue iustitiae originalis, *psalm. XIV, 3. LIII, 4. Rom. III, 10. seq.* τῆς δόξης τοῦ θεοῦ, *v. 23.* vnde *alienati sunt a vita, quae ex Deo est, Ephes. IV, 18.* & *in peccatis mortui; Ephes. II, 1. Col. II, 13.* tum totius naturae humanae intimam corruptionem, & ad praua quaeuis inclinationem, *Gen. VI, 5. VIII, 21. Matth. XV, 19. Rom. VII, 17.* per motus concupiscentiae prauae, & varia peccata actualia sese exserentem, *Gal. V, 16. 17. seq. Iac. I, 14. 15.*

§. XV.

§. XV.

Loco *lucis*, seu cognitionis, & *sapientiae*, quae ad imaginem diuinam pertinebant, in intellectu *tenebrae* sunt, atque *stultitia*. Et generatim quidem, maximum intellectus vitium est, quod ad res materiales, corporeasque sibi repraesentandas, longe pronior est, quam ad spirituales, & materiae expertes. Speciatim, cum in intellectu imbecillitates variae, ignorantia, error, idearum confusio & imperfectio, deprehendantur, hae in spiritualibus tantae sunt, vt homines irregeniti non tantum ἐσκοτισμένοι, sed omnino σκότος, *tenebrae*, dicantur, *Ephs. IV, 18. V, 8.* Praeterea falsitas atque error, itemque fluctuatio in iudiciis, summaque in ratiociniis peruersitas, qua in rebus, ad salutem pertinentibus, misere mortales se decipiunt, cum determinatione quadam ad praua, in omnibus intellectus operationibus conspicua, hancce eorum miseriam mirum in modum augent.

§. XVI.

Atque hinc est, quod ipsa quoque *ratio* corrupta plane, atque deprauata passim dicatur. Quod tamen non de ratione *obiectiue* spectata, seu principiis rationis, si modo vera principia sint, & limites a natura sibi constitutos, non transgrediantur; sed de ratione *subiectiue* considerata, seu

ipso intellectu humano, eiusque facultatibus, intelligendum esse, res ipsa docet. *

* Varie equidem vox *ratio* accipitur; sed ad duas hasce, quas innuimus, significationes, reliquae facile reduci possunt. Et priori quidem modo, siue *obiectiue* si vox ista capiatur, eam corruptam & deprauatam esse, nemo dixerit. Principia enim ista rationis tum *formalia*, quae ad formam, modumque rite argumentandi pertinent, tum *materialia*, quae vel metaphysica, vel physica, vel moralia sunt, cum indubitatae, certissimaeque veritatis sint, & ex notionibus rerum euidentissimis exsurgant, nemo sanae mentis ea reiicere potest. Immo, haec ipsa principia *lumen rationis* recte vocantur, quod non minus ac *lumen reuelationis*, Deum ipsum auctorem agnoscit. Certe, qui ista conuellere, & in dubium vocare vellet, scepticorum ludibrio omnia diuina atque humana exponeret. Ne quis tamen hic decipiatur, quod saepissime contingit, sedulo obseruandum, sermonem nobis non esse de eiusmodi principiis, quae quilibet pro lubitu sibi fingit, sed, quae vera principia sunt, & criteriis suis, veritate, & euidentia, rite dignoscuntur; porro, haec ipsa principia suis limitibus esse circumscripta, vltra quos minime sunt extendenda; hinc & in adplicatione eorumdem caute versandum, ne res supra rationem positas ad ea exigamus, aut aliquid iis repugnare, temere adseramus, quod minime repugnat. In hisce omnibus enim saepius ab iis peccari, qui reuelationem rationi contrariam esse sibi persuadent, experientia omnes condocet. Posteriori autem modo, siue *subiectiue* si *rationis* vox accipiatur, tum rursus monendum, non ita intellectum hominis cum suis facultatibus hic spectari, prout esse debebat, siue prout in statu integri-

integritatis fuit, sed prout hodie in hominibus nondum renatis est. Atque tum quidem rationem, hoc est, intellectum corruptum valde, cumprimis in spiritualibus, penitusque deprauatum esse, non tantum ex imperfectionibus illis, quae in singulis eius operationibus conspiciuntur, sed & vel maxime, illarum ad praua quaeuis determinatione, & pronitate, ex voluntatis peruersitate, prauisque cupiditatibus orta, liquido constat. Idque & scriptura sacra confirmat, quippe secundum quam ratio hoc modo spectata caeca est, *II. Cor. IV, 4.* tenebris obscurata, *Ephes. IV, 18.* οὐ δύνατων γνῶναι, *I. Cor. II, 14.* immo ἀνόητος est, *Tit. III, 3.* & ἀσύνετος, *Rom. I, 21.* Cumque ratio hominum impiorum cupiditatibus carnis subiecta, & veluti addicta sit, nihil aliud, quam φρόνημα τῆς σαρκὸς est, de quo Paulus dicit, quod *mors* sit, *Rom. VIII, 6.* immo, *inimicitia aduersus Deum, ib. v. 7.* Nimirum, licet ratio principia quaedam fidei vtcumque cognoscat, & ceu vera admittat, ea tamen, quae ad vniuersum salutis ordinem spectant, seu, quae sunt τὰ τοῦ πνεύματος τῦ θεοῦ, *I. Cor. II, 14.* quaeue inter se sunt coniunctissima, nec vt decet, cognoscit, nec reuera admittit, etsi κατὰ πρόφασιν hoc quandoque fiat, saltem firmiter de iis persuasa non est, quin potius reluctatur, adeoque ad minimum in adplicatione se inimicam prorsus & aduersam consilio Dei de hominum salute demonstrat. Atque hinc etiam intelligitur, quo sensu omnes λογισμοὶ destruendi sint, & πᾶν νόημα captiuandum sub obsequium Christi, secundum effatum Pauli *II. Cor. X, 5.* Non luculentiori documento grauissima illa intellectus, seu rationis, de qua hactenus diximus, corruptio ac deprauatio sese prodit, quam in vitiis illis notissimis, quae diuinae veritatis cognitioni opposita sunt, quibusue quotidie innumeri homines in transuorsum acti, in praecipitia ruunt,

qualia sunt, *scepticismus*, *religionum indifferentismus*, *rationalismus*, *haeresis*; de quibus itidem ex instituto dictum, *institut. theol. moral. part. I. cap. I. sect. II. §. XXVII. seq.*

§. XVII.

Ad istam intellectus corruptionem cum maxima accedat voluntatis peruersitas, non potest non summa inde in rebus diuinis & spiritualibus resultare *stultitia*; qua ad ea eligenda, & amplectenda, quae noxia sunt, repudianda autem, quae vtilia esse poterant, mortales inducuntur. Atque hinc ea, quae summam sapientiam arguunt, illis μωρία sunt, *I. Cor. II, 14.* Non minus tamen & in naturalibus subinde stultitiae istius documenta sese produnt. *

* Quemadmodum sapientia virtus est intellectus, quae simul ex voluntate rite emendata oritur, saltem sine ea esse nequit, ita & stultitia vitium quidem intellectus est, quod tamen simul ex voluntate, prauis cupiditatibus maximopere corrupta, originem trahit. Vbi ergo cum intellectus corruptione magna conspirat voluntatis peruersitas, non potest non progigni stultitia, quae subinde tanta est, vt in rebus etiam ad rationis imperium spectantibus se exserat, cumprimis tamen in rebus spiritualibus deprehenditur, *I. Cor. III, 19.* Indeque & improbi homines interdum *stultorum* nomine in scriptura sacra veniunt, quos & characteribus luculentis designat Salomo, *prouerb. X, 23. XII, 15. 16. XVII, 10. 16. 24.* alibique. Licet autem ista stultitia spiritualis in quibusdam maior sit, eminentiorique quadam ratione conspiciatur, quam in aliis, nemo tamen mortalium eius, si naturalem illorum conditionem

ditionem spectes, prorsus expers censeri debet; quemadmodum & Christus omnibus hominibus a Deo factus est σοφία *sapientia*, *I. Cor. I, 30.*

§. XVIII.

Nec praetermittendi hic sunt defectus in *imaginatione* & *memoria* conspicui. Et imaginatio quidem, corporis motibus nimium excitata, & hinc mentis imperium respuens, extra limites saepius vagatur, ad absona quaeuis hominem abripit, prauas cupiditates mouet, alit, fouetque, & non vnius calamitatis caussa exsistit. Memoria denique, dum in dimittendis, quae retinere par erat, & conseruandis, quae dimittenda erant, officio suo deest, itidem humanae imbecillitatis argumentum praebet.

§. XIX.

In voluntate itidem absentiam amoris diuini, atque virtutum, quae inde fluunt, seu iustitiae, & sanctitatis originalis, animaduertere licet; * non minus tamen & summam ad mala quaeuis propensionem, quae per philautiam prauam, seu amorem sui inordinatum, eiusque tres filias, seu vitia cardinalia, auaritiam, ambitionem, & voluptatis cupiditatem, sese exserit. **

* Ideo homines *in peccatis mortui* dicuntur, *Ephes. II, 1.* Mors enim illa, vitae spiritualis, hinc & fidei, amoris diuini, omniumque adeo virtutum christianarum priuationem denotat, & praecipue ad voluntatem spectat. Sequitur inde, hominem

sibi relictum in spiritualibus nihil boni aut *velle*, aut *perficere* posse; & Deum esse, qui vtrumque in regenitis operetur, *Phil. II, 13.*

** Immensam in voluntate hominis ad mala quaeuis propensionem per philautiam prauam se exserere, vel inde patet, quod in omni concupiscentia philautia praua ista conspiciatur, immo inde vel maxime praua esse, intelligatur, quod homo omnia ad se ipsum, ad suam voluptatem, suum commodum atque honorem referat, cum omnia tamen ad Deum referre, & hunc supra se ipsum amare deberet. Accedit porro, quod, quidquid est vitiorum ac peccatorum, ex philautia ista praua, ceu fonte & scaturigine omnis mali profluat. Quare &, cum scriptura ἐπιθυμίαν ceu fontem omnis mali designat, *Rom. VII, 7. Gal. V, 16. Iacob. I, 15.* philautiam istam prauam recte ibi intelligimus.

§. XX.

Imbecillitas porro voluntatis in eo conspicitur, quod corporis motus non tantum compescere nequit, sed iis subinde abripitur; vnde *pugna* ista *rationis atque adpetitus sensitiui*, in qua & haud raro ratio succumbit, voluntatique, corporis motibus cedenti, victoriam relinquere cogitur. * Id quod cum vel maxime contingit, quando adfectus magno impetu saeuiunt; nouum hinc corruptionis naturalis argumentum exsurgit. **

* Nec de adpetitu sensitiuo, quid per eum intelligatur, nec de pugna rationis & adpetitus sensitiui, vna eademque omnium est sententia. Mihi omnium adcuratissime hac de re philosophari videntur, qui per adpetitum sensitiuum nihil aliud, quam ipsam

ipsam voluntatem, prout rebus corporeis adficitur, intelligunt; vnde & pugna rationis, & adpetitus sensitiui, non in eo, quod partes inferiores cum superioribus pugnent, vt scholastici doctores sentiunt, nec in eo, quod voluntas cum motibus corporis colluctetur, quae RENATI CARTESII est sententia; sed in eo consistit, quod ipsa voluntas velut secum ipsa luctatur, dum hinc a rebus corporeis, quae eam mouent, illinc a ratione, in diuersas partes trahitur. Et eiusmodi quidem pugnam dari, & ipsa quemlibet experientia, & gentilium quoque scriptorum testimonia condocent: quorum quaedam HVGO GROTIVS adfert, ad *Matth. XIV*, 9. Magnam vero voluntatis infirmitatem, adeoque & corruptionem quamdam naturalem, in hacce pugna deprehendi, facile intelligitur. Namque & illud iam imbecillitatis argumentum est, quod rebus corporeis voluntas ita adficiatur, vt concupiscat, quae noxia sunt, aut concupiscere nefas. Saepius porro ne resistit quidem hisce motibus, sed statim adprobat, quae sensibus placent; aut, si resistit, rationis dictamine excitata, languide hoc facit, eaque ratione, vt tandem tamen succumbat; quod si vero aliquando paullo acrius pugnat, victoriam non aliter obtinet, quam vt vni adfectui prauo alium aeque prauum opponendo, priorem vtcumque reprimat, ac in ordinem redigat. Atque vltimum hocce si contingat, rationi victoriam contra adpetitum sensitiuum tribuere solent, cum tamen reuera non ratio, sed adfectus ille prauus, priori oppositus, eumdem vincat. Sic nihil frequentius, quam vt voluptatem per auaritiam, auaritiam per ambitionem homines reprimant; & hac ratione adfectum quemdam prauum se vicisse sibi persuadent.

** Adfectus hominum, secundum naturae conditionem spectatorum, vel *mentales*, vel *sensitiuos*, seu

mixtos esse constat; quorum illi ad voluntatem in se consideratam; hi autem, prout rebus corporeis adficitur, pertinent. In vtrisque humanae naturae, speciatim voluntatis, corruptio conspicitur. Sed obseruandum tamen, quosdam adfectus sua natura malos esse, vt *odium erga alios homines*, *inuidiam*, & reliquos eiusdem generis. Qui &, vt non nisi in statu peccati locum inueniunt, & post lapsum hominum se exseruerunt, ita corruptam maxime etiam voluntatem hominis arguunt. Alii autem sua natura sunt indifferentes, vt *spes*, *laetitia*, *tristitia*, *metus*; sed, prout in hominibus nondum renatis exsistunt, numquam non mali sunt; praesertim vero, si aut circa obiectum illicitum versentur, aut modum excedant, summam hominum miseriam euidenter demonstrant. Caliginem namque intellectui obfundunt, vt mala esse sibi persuadeat, quae bona sunt, & bona, quae mala sunt; voluntatem omni, in externis etiam, libertate priuant; vt ab iisdem iumenti instar, circumagatur, *prouerb. VII, 22.* ac in scelera saepe grauissima, perniciemque manifestam praeceps ruat. Immo &, si saepius recurrant, pronitatem quamdam, seu propensionem menti inducunt, vt vel leuissima data occasione, eosdem statim motus sentiat, eodemque modo abripiatur. Plurimum equidem, vt adfectibus vehementioribus quis obnoxius sit, difficulterque illis modum ponat, corporis confert constitutio; plurimum etiam exorbitans vis imaginationis; ne quid de caussis externis, quibus aluntur, fouentur, corroborantur adfectus, dicam: quemadmodum vero & ipsa illa corporis constitutio, visque exorbitans imaginationis, naturae maximam corruptionem arguit; ita, quod nulla, aut exigua vis voluntatis sit, hisce motibus resistendi, eosque compescendi, vel, ne modum excedant, impediendi,

eamdem

eamdem corruptionem quam luculentissime comprobat.

§. XXI.

Originem atque causas mali istius, quod omnes homines premit, non aliunde rectius, quam ex lapsu primorum parentum, repetere licet. De quo, quae Moses, diuinus scriptor, refert, proprie, nec allegorice intelligenda esse, & res ipsa docet, & in aliis locis scriptura luculenter ostendit. Nec difficultates, quas nonnulli hic deprehendere sibi videntur, tantae sunt, vt non legitima verborum Mosis interpretatione tolli aut superari queant. *

* Proprie Mosen, non symbolice, non allegorice, hic loquutum, vel inde constat, quod ceteroquin aliquid de re maximi momenti narrasset, cuius sensum certum nemo adsequi posset. Proprie praeterea haec intellexerunt Salomoh, *Kohel. VII, 30.* auctor *libri sapientiae, cap. II, 24.* Christus, *Ioan. VIII, 44.* Paulus, *II. Cor. XI, 3. I. Tim II, 14.* Ioannes, *I. Ep. III, 8.* Quod autem speciatim ad serpentem attinet, merito statuimus, diabolum serpente naturali, ceu instrumento, vsum, ad ea peragenda, quae animo conceperat. Id enim vt admittamus, necesse est, cum quaedam in hacce narratione occurrant, quae tantum serpenti naturali; quaedam rursus, quae tantum diabolo conueniunt. Quod si caussam, cur cacodaemon serpente vsus sit, cum & ipse corpus ex aëre formare sibi potuerit, ignoremus, & alia quaedam, quae hic occurrunt, ceu obscuriora, non satis a nobis intelligi, fateri necesse habeamus; ideo tamen res ipsa tam luculenter a Mose descripta neutiquam in dubium vocanda. Prae-

terea, cum in tota hacce scena diabolus, & serpens naturalis, coniunctim egerint, & vnam velut constituerint personam; mirum non est, in poenae denuntiatione quaedam ad cacodaemonem spectare, quaedam autem ad serpentem naturalem. De inimicitia inter serpentem & hominem constituenda quod dicitur, ad cacodaemonem pertinet. Maledictionis autem effectus omnino in serpentibus conspicitur, cum nihil obstet, quo minus ante hominum lapsum pedibus fuerint instructi. Etsi namque hoc alibi non legatur, ex ipsa tamen hacce maledictione diuina recte colligitur. Nec est, quod dicas, serpentem non peccasse, adeoque nec puniri potuisse. Nihil enim sollemnius, quam vt ad sceleris detestationem poena, aut eiusmodi quid, quod poenæ speciem habet, ad instrumenta quoque, quibus delictum aliquod perpetratum est, deriuetur. Quare & serpentes, etsi ad hominis seductionem nihil contulerint, eamdem tamen merito subierunt conditionem, vt vel inde, quam enorme cacodaemonis & hominum facinus fuerit, intelligeretur. Quod serpentes solo puluere vescantur, nemo equidem dixerit; at, cum humi repant, fieri aliter nequit, quam vt cum iis, quae lambunt, puluerem etiam absorbeant. Atque ita verbis istis: *puluerem comedes omnibus diebus vitae tuae*, veritas sua constat.

§. XXII.

Caussa itaque remota peccati originalis est diabolus, qui serpente naturali, ceu organo, vel instrumento vsus, sermones cum Eua miscere coepit, callideque id egit, vt praeceptum diuinum dubium primo redderet, hinc cupiditatem, ad perfectiorem statum enitendi, in animis primorum

rum parentum excitaret, & hac demum ratione ad legem diuinam violandam eos induceret. Atque hoc pacto mulierem adgressus, per eam etiam Adamum vicit, dum illa non tantum de fructu vetitae arboris comedit, sed marito eumdem, vt comederet, tradidit. *

* Licet diabolus princeps, praecipuusque lapsus humani auctor exstiterit, hinc & *Ioan. VIII, 44.* dictus *homicida*, non tamen excusandi sunt primi parentes. Potuissent enim insultibus eius obuiam ire, si modo donis, viribusque a Deo concessis, recte vti voluissent. Conditus nimirum homo a Deo erat ישר *rectus*, rectasque adeo & veras de bonis malisque notiones habens; sed ipse *quaesiuit cogitationes* prauas *quam plurimas*, occasionem praebente colloquio cum cacodaemone; conf. *Kohel. VII, 30.* Singulari autem infernalis ille genius, eaque fraudis & fallaciae plenissima methodo, vel μεθοδείᾳ in decipiendis primis parentibus vsus est. Primo namque dubium proponit; *etiamne dixit Deus, ex nulla arbore paradisi comedetis?* Plane ac si hoc sibi minime verosimile videretur. Primus nimirum ad veritatem conuellendam, hinc & peccatum eo facilius persuadendum, gradus est, si dubitatio quaedam animo iniiciatur. Iam recte sibi consuluisset Eua, si eiusmodi sermoni aurem non praebuisset, aut cum serpente in colloquium non descendisset. Cuius sermonem quum statim arriperet serpens seductor, spe successus impudentior factus, quod vnice adhuc Euam in obsequio retinere animaduertebat, remoturus, non tantum diserte negabat, ipsam morituram, si ederet, sed nefandum dictu! Deum ipsum velut inuidiae insimulauit,

mulauit, ac si fructus huius esu ideo illis interdixisset, ne oculis apertis, boni maliue cognitione ei adsimilarentur. Arboris nimirum denominationem in rem suam vertebat, & sic vera miscendo falsis, fraudem suam callide tegebat. Atque ita genius ille mendax tandem obtinuit, quod concupiuerat, sequutusque externa legis transgressione primorum parentum lapsus est. Summa autem seductoris calliditas in eo etiam adparuit, quod vxorem prius adortus est, quam maritum. Hoc enim ideo factum, quod mulier viro simplicior esset, facilius-que decipi potuerit, CHRYSOSTOMVS, EPIPHANIVS, AMBROSIVS, aliique veterum, & ex Iudaeis quoque quam plurimi, non sine ratione credunt. Nec tamen existimandum, Adamum tum demum tentari coepisse, cum mulier fructum arboris vetitae illi porrigeret. Quin potius, cum haud dubie praesens fuerit, & Euae cum serpente colloquium audiuerit, eadem persuasio, quae Euae, illius quoque animum fregit, vt prauae hinc in illo excitatae cupiditates eo facilius deinceps erumperent, cum vxor & exemplo, & fructus traditione, ad eamdem legis transgressionem eum inuitaret. Interim initium transgressionis internae & externae factum est ab Eua, quae adeo recte primum seducta dicitur. Quo sensu & capienda sunt verba Pauli apostoli, quibus negare videtur, *Adamum seductum*, & adfirmare contra, *Euam seductam in transgressione fuisse*, *I. Tim. II, 14.* Nec aduersatur sibi vir diuinus, quando *peccatum per vnum hominem in mundum introiuisse* adserit, *Rom. V, 12.* per *vnum hominem* Adamum intelligens. Recte enim & hoc dici poterat, cum Adamus caput esset, & naturale, & foederale, totius generis humani, & generis porro propagatio viris, non feminis tribui soleat.

§. XXIII.

§. XXIII.

Hinc parentes primi pro cauſſa propinqua peccati originalis recte habentur. Et ipſi quidem lapſi ſunt, dum voci ſerpentis aurem praebuerunt. Inde enim primum incredulitas quaedam orta, dum verbo diuino non eam, quam debebant, fidem adhibebant; tum voluntatis a Deo ad ſe ipſam ſequebatur conuerſio, ſeu philautia praua, per ſuperbiam, ſeu cupiditatem, ſimilitudinem cum Deo adſequendi, ſeſe exſerens, tandemque in actum externum, per fructus vetiti conſiderationem, cum adpetitu illicito iam coniunctam, comeſtionemque, erumpens. *

* De ordine actuum internorum, quos lapſus primorum parentum complectitur, & quis inter eos primus fuerit? diſceptari ſolet. Optimum tutisſimumque haud dubie eſt, ſi ordini narrationis Moſaicae adcurate inſiſtamus. Primum, quod ſerpens ſeductor in primos parentes vibrauit, telum, fuit dubitatio de interdicto diuino; *etiamne dixit Deus, ex nulla arbore paradiſi comedetis!* Hunc ſermonem non diſplicuiſſe Euae, antea obſeruauimus: quia ſcilicet per eum aliquod haud ingratum in eius animo excitabatur, quocum tamen ſtatim motum quemdam concupiſcentiae inordinatum coniunctum fuiſſe, non negauerim. Hoc etiam ipſa in reſponſione ſua indicabat, haud obſcure innuens, metum mortis ſaltem obſtare, quo minus fructu arboris vetitae veſceretur. Quod obſtaculum cum ſerpens ſeductor ita remoueret, vt perſuaderet Euae, nullum inde mortis ei imminere periculum, ex dubitatione

bitatione ſtatim enaſcebatur incredulitas, qua aperte fidem denegabat verbo diuino; ſimulque concupiſcentia, ſeu philautia praua, incrementum capiebat, dum per iſtam adſimilationem Dei ſtatum ſuum multo meliorem fore, primi parentes ſibi perſuadebant, adeoque & ſpeciatim per ſuperbiam, ſeu animi elationem, philautia iſta praua ſeſe exſerebat. Ita ergo, cum iam animus a Deo auerſus eſſet, actus externus facile accedere poterat. Primo itaque ſequebatur arboris, eiusque fructuum contemplatio, cum adpetitu inordinato coniuncta, qua concupiſcentia praua, in animo iam dominans, magis excitabatur, & ad voluptatem ſimul, vt videtur, determinabatur; ſtatimque adeo eam excipiebat manus extenſio ad fructum illum carpendum, & tandem fructus comeſtio. Atque inde patet, quo pacto intellectus & voluntas ad lapſum huncce concurrerint; quamuis vtriusque facultatis actus inter ſe fuerint coniunctiſſimi: patet ſimul, plurimos actus prauos ſibi inuicem ſucceſſiſſe, quibus lapſus iſte abſoluebatur. Quos quidem actus iunctim ſumunt, qui peccatum primorum parentum in *inobedientia*, aut *legis transgreſſione*, conſtituunt, aut etiam, quod eodem fere redit, in *violatione foederis operum*, a Deo cum illis initi. Hinc vero intelligitur, peccatum hocce primorum parentum longe fuiſſe grauiſſimum: 1) quia complexus fuit multorum peccatorum, immo, nullum peccatum nominari poteſt, quod non aut explicite, aut implicite in iſto lapſu fuerit comprehenſum; II) quia cauſſa fuit omnium peccatorum, quae deinceps ab ipſo Adamo, & omnibus eius poſteris, fuere commiſſa; III) quia nullus poſterorum Adami iis viribus, quibus tentationi ad peccandum reſiſtere potuerit, inſtructus fuit, ac Adamus.

§. XXIV.

§. XXIV.

Corrupta eum in modum, atque deprauata primorum parentum natura, non poterant non, qui ex illis progignebantur liberi, eamdem ſtatim in ipſa natiuitate ſecum adferre labem. Eaque adeo ratione corruptio iſta, ſeu peccatum originale, ad poſteros Adami, hoc eſt, omnes homines, propagatum eſt; ſimulque intelligitur, quo pacto omnes homines in Adamo peccarint, mortique adeo etiam omnes obnoxii ſint; *Rom. V, 12.* Nimirum, cum per ipſum naturae ordinem aliter fieri non poſſet, quam vt ex corruptis parentibus corrupti liberi naſcerentur, omnia ea, quae corruptionem iſtam ſequuntur, non poterant non hominibus omnibus incumbere. Vnde & omnes natura filii irae ſunt, *Epheſ. II, 3.* Accedit vero, quod in foedere operum Adamus non tantum caput naturale humani generis, ſed & foederale fuerit; vnde & delictum ab eo commiſſum poſteris eius imputari potuit, praeſertim, cum & illis iam corruptio, quae peccati rationem habet, poenamque ſecum vehit, per naturalem generationem inhaereat. *

* Vt eo rectius, quae hac de re diſputari ſolent, intelligantur, ſimulque ordine incedamus, ad tria cuncta reuocare iuuat capita; 1) naturae corruptionem per naturalem generationem ad omnes Adami poſteros propagari, quod patet ex *Ioan. III, 6. Iob.*

6. Iob. XIV, 4. psalm. LI, 7. Propagatio vero ista corruptionis naturalis non ad corpus tantum, sed cumprimis ad animam spectat. Etenim, quum peccatum originale ex parte intellectus, lucis, seu cognitionis, & sapientiae spiritualis, sanctitatis autem, & iustitiae ex parte voluntatis, priuationem, simulque inexplebilem ad mala quaeuis propensionem denotet; hinc etiam sequitur, praecipuam eius sedem in mente quaerendam, ac propagationem eius ad solum corpus referri non posse. 11) Obseruandum est, peccatum originale veri nominis peccatum esse, adeoque iram Numinis, poenamque grauissimam, naturalem & aeternam mortem, promereri. Est enim ἀνομία, adeoque & veri nominis peccatum. In defectu quippe & cognitionis, & iustitiae sanctitatisque, pariter ac propensione ad mala quaeuis, discrepantia a lege diuina aperte conspicitur. Nec obstat, quod inuoluntarium sit. Sufficit, quod cum lege diuina non conueniat; cum quaelibet ἀνομία, siue voluntaria sit, siue inuoluntaria, sit ἁμαρτία, *I. Ioan. III, 4.* Vbi autem peccatum, ibi etiam est reatus culpae & poenae. Haec enim a se inuicem separari nequeunt. Vnde & omnes homines *natura filii irae* dicuntur, *Eph. II, 3.* At, iniquum est, inquis, punire aliquem ob peccatum, quod ipse non commisit, vel ob vitae conditionem, in quam praeter culpam suam deuolutus est. Sed, licet peccatum originis eiusmodi quid sit, quod a posteris Adami non sit perpetratum, hoc ipso tamen, dum vnicuique homini inhaeret, ad eum, ceu caussam, recte refertur, adeoque & hactenus recte ei imputatur. Calamitas ergo est, quod praeter voluntatem suam, per nascendi conditionem, in hunc statum deuenerint; at ideo reatus culpae & poenae a peccato, quod siue ob perpetrationem,

siue

siue ob inhaesionem alicui recte imputatur, auferri nequit. Obstat enim iustitia diuina. Atque hinc etiam patet, si quis propter peccatum originis punitur, eum non tam ob alienum, quam proprium peccatum puniri. Simul tamen intelligitur, nullam illis fieri iniuriam, si peccatum Adami ipsis imputetur, id quod III) obseruandum, rectequeadeo dici, peccatum Adami posteris eius fuisse imputatum. Nimirum, cum ex hactenus dictis constet, per nexum naturalem caussarum & effectuum aliter esse non posse, quam vt ex parentibus peccato corruptis, tales gignantur liberi, & peccatum quodlibet statim sequatur reatus culpae & poenae; nihil vtique obstat, quo minus etiam Adamus, dum lapsus est, vt caput foederale omnium hominum spectetur, & hac ratione dum omnes homines vna cum ipso lapsi censentur, peccatum quoque eius omnibus imputari adseratur. Id namque est, quod & Paulus nos docet, quando *per vnum hominem peccatum*, & *per peccatum mortem in mundum introiisse*, & *ita ad omnes homines penetrasse*, ait, ἐφ' ᾧ *in quo*, vel *eo quod omnes peccarunt*; *Rom. V. 12.*

§. XXV.

Haec vero omnia qui probe considerauerit, statim intelliget, Deum nullo modo lapsus primorum parentum, adeoque nec peccati originalis, caussam dicendum. Iis enim viribus dum homines instruxit, vt euitare peccatum potuissent, si modo voluissent, dici certe nequit, quod vllo modo eos labi voluerit. Retraxit vero etiam eos a lapsu, modo naturae humanae conueniente, ostendendo illis ante lapsum, quid

faciendum, quidue omittendum esset. Plura autem qui a Deo exigit, aut talia postulat, quae non nisi mutato naturae ordine fieri possunt, aut parum cogitat, quid homini conueniat, quidue Deum deceat. *

* Quod primo loco diximus, Deum primos parentes iis instruxisse viribus, vt peccatum euitare potuissent, id ex iis, quae supra de imagine diuina, deque statu integritatis, fuse disputauimus, abunde liquet. Idque & Salomo confirmat, quando dicit, *Deum feciſſe hominem* ישר *rectum*, *ſed ipſos* (primos parentes) *quaeſiuiſſe cogitationes multas*, quibus perniciem sibi attraxerint, occasionem hisce cogitationibus praebente seductore, *Kohel. VII, 30.* Quod vero etiam retraxerit eos a lapsu, vel grauissima illa, seueriſſimaque mortis comminatio, *Gen. III, 17-19.* omnes abunde docet. Mortem itaque ac vitam Deus parentibus primis proposuerat, ostenderatque, non aliam esse viam, aut illam euitandi, aut hanc consequendi, quam, si praecepta eius adcurate seruarent. Atque serio hic Deum cum parentibus primis egisse, euentus docuit. Poena enim grauissima, quae transgressionem legis insequuta est, quamue & ipsi parentes primi experti sunt, eorumque posteri hodie adhuc experiuntur, hoc satis superque comprobat. Quae omnia qui recte secum expenderit, numquam dixerit, Deum primorum parentum lapsum aut voluisse, aut adprobasse. Cur ergo, inquis, non impediuit, aut, cur homines non ita creauit, vt labi non possent? Vetus haec cantilena est eorum hominum, qui omnis mali culpam libenter in Deum transferre vellent. Sed cum illi, qui hocce nobis obiiciunt, a Deo aliquid exigant, quod nec sapientiae diuinae, nec naturae hominis satis est conue-

niens,

niens; iniquum hocce illorum postulatum esse, nemo non intelligit. Sapientiae nimirum diuinae conueniens erat, secundum certum ordinem cum hominibus agere: a quo etsi per omnipotentiam suam discedere poterat, sapientia tamen eius hoc non permittebat. Praeterea cum hominem ratione & libertate voluntatis instructum, prout naturae humanae indoles hoc requirebat, creasset, par vtique erat, vt cum eo ita ageret, vt homo se hominem esse, demonstrare posset. Hoc autem fieri non potuisset, si peccatum per vim impediuisset, aut hominem aliter creasset. In futura equidem vita ea hominum erit conditio, vt peccare nequeant. Sed ea felicitate se non indignos esse, recto libertatis, in qua creati erant, vsu demonstrare debebant.

§. XXVI.

Nec quisquam dubitauerit, ad omnes omnino homines, nemine excepto, qui modo naturali gignuntur, malum hoc peruasisse, quod & experientia docet, & scriptura testatur; *Rom. V, 12. 18.* * Sedes autem eius praecipue in mente est, cum intellectum pariter ac voluntatem eodem infectam habeamus; *Gen. VI, 5. Matth. XV, 19.* simul tamen etiam in corpore varia ratione vim suam exserit, atque demonstrat;** *Rom. VI, 12. 13. VII, 24.*

* Cum diximus, neminem hic excipi, eorum, qui modo naturali gignuntur, Christum seruatorem nos excipere, palam est, quippe qui modo naturali genitus non est. Hinc & in omnibus nobis factus est similis, sed absque peccato, *Ebr. IV, 15.* Praeter Christum autem cum de nemine dici

queat, quod alio quam naturali modo genitus sit, neminem quoque a peccato originali eximendum esse, consequitur.

** Cum ex hactenus dictis abunde pateat, peccatum originale praecipue in absentia, seu priuatione lucis vel cognitionis, itemque sapientiae, neque non pronitate ad errores, peruersaque iudicia, & ratiocinationes, intuitu intellectus; ratione autem voluntatis, in absentia iustitiae originalis, simulque inexplebili propensione ad mala quaeuis, consistere; satis etiam liquido constat, praecipuam eius sedem non in corpore, sed in anima, seu mente, quaerendam esse. Cognitionis enim absentia, error, prauae ratiocinationes, stultitia, defectus iustitiae, & reliqua, eiusmodi sane sunt, quae corpori tribui nequeunt. Atque hinc patet, quo pacto ex collatione peccati originalis cum imagine diuina, eadem haecce nostra sententia comprobari possit. Naturalem namque istam corruptionem, quae peccati originalis nomine venit, in locum imaginis diuinae successisse, in confesso est. Imaginis autem diuinae sedes praecipua cum in mente hominis fuerit, de peccato originali idem vt censeamus, par est. Et quis, quaeso, aliter existimaret, si verba ista Mosis perpendat: *figmentum cogitationum cordis tantum malum est omni die, Gen. VI, 5.* Nec enim a corpore cogitationes formari, sibi quisquam persuaserit, cum *cogitare* menti ita sit proprium, vt nulla re magis, quam cogitatione, a corpore distinguatur. De peccato autem originali loqui ibi Mosen, positum est extra controuersiam. Nec negamus, corpus quoque hominis peccato originali obnoxium esse, sed hoc solum contendimus, praecipuam eius sedem in mente esse. Ceteroquin enim iam obseruauimus, per corporis constitutionem, propensionem, quae in mente est,

ad

ad praua, augeri subinde, aut etiam ad certam bonorum adparentium speciem determinari. Estque corporis nostri hodie constitutio ita comparata, vt vel leuissima ex caussa eiusmodi motus in eo excitentur, quibus mens ad illicita quaeuis abripiatur. Quae quidem pronitas ad eiusmodi motus, in omnibus corporis membris, praesertim sensibus externis, eorumque organis, mirum in modum se exserit, vnde ὀφθαλμοὶ μεστοὶ μοιχαλίδος, *II. Petr. II, 14.* Et licet corruptio ista corporis atque membrorum per consuetudinem augeatur, dum homines ante conuersionem iis, ceu instrumentis nequitiae & impuritatis vtuntur; *Rom. VI, 19.* negari tamen nequit, ab ipsa natura eamdem iis inesse. Vnde Paulus de vniuersali, adeoque & naturali omnium hominum corruptione verba faciens, *sepulcrum*, inquit, *patens eorum guttur est, linguis suis ad dolum vtuntur, aspidum virus habent in labiis; eorum os exsecratione, amarulentiaque plenum est, pedes ad fundendum sanguinem veloces; exitium & calamitas est in eorum viis, & viam pacis nesciunt; Rom. III, 13. 14. seq.* Eamque ob caussam saepius admonemur, corporis vt habeamus rationem, ne viribus ita augeatur, vt mens iis resistere nequeat, *Rom. XIII, 14.* Quod & Paulus suo exemplo nos condocere voluit: ἀλλ' ὑπωπιάζω μου τὸ σῶμα καὶ δουλαγωγῶ, *I. Cor. IX, 27.* qui & Romanos adhortatur, ne permitterent, regnare peccatum *in mortali* suo *corpore*, *Rom. VI, 12.* Haec & alia, quae eiusdem sunt generis, vti corpus quoque peccati originalis sedem esse euincunt, ita simul tamen in mente vel maxime illud habitare, demonstrant. Cum enim mens subinde corporis motibus abripiatur, nec iis, si vehementiores fuerint, resistere queat, quod aliter esse debere, vel ipsa ratio intelligit; merito, vnde ἀῤῥωστία ista mentis orta sit? quaeri-

tur. Nec tamen cauſſa alia inueniri poteſt, quam ipſa mentis naturalis, eaque longe grauiſſima corruptio.

§. XXVII.

Grauitas peccati originalis, prout in poſteris Adami conſideratur, ex effectibus eius intelligitur; quales intuitu mentis ſunt, defectus liberi arbitrii in ſpiritualibus, eiusdemque in naturalibus infirmitas;* errores & vitia quaeuis, intellectus pariter ac voluntatis, adeoque & peccata actualia omnia;** intuitu corporis, morborum variorum integra cohors, aliaeque calamitates, quarum non temere inire numerum licet;*** intuitu denique totius hominis, mors temporalis, quam tandem, niſi cum Deo reconcilietur, mors, ſiue damnatio aeterna excipit.*

* Sunt, qui liberi arbitrii in ſpiritualibus defectum, & in naturalibus infirmitatem, ad ipſam potius rationem formalem peccati originalis, quam ad effectus, referre malunt; nec ſine ratione. Nihil tamen obſtat, quo minus & hic defectus iſtius conſideratio inſtituatur. Liberum autem dum vocatur, eiusmodi intelligimus libertatem, cui non tantū externa coactio, ſed & interna neceſſitas, & ad vnum agendi modum determinatio, opponitur. Denotat nimirum nobis eiusmodi animae rationalis, ſpeciatim voluntatis, facultatem, quae, ſi omnia ad agendum requiſita adſint, poteſt agere, vel non agere, itemque hoc vel illud agere. Non itaque de ipſa voluntate, ſed de certa eius facultate, quam libertatem vocamus, hic ſermo eſt. Homo proinde nondum renatus in ſpiritualibus omni deſtitutus eſt arbitrii libertate. In intellectu

tellectu enim, si ea, quae sunt τοῦ πνεύματος τοῦ θεοῦ, spectes, mera est ignorantia, mera caecitas, *I. Cor. II, 14.* Suntque eiusmodi homines ἐσκοτισμένοι τῇ διανοίᾳ, *obtenebrati mente*, luce spirituali destituti, *Eph. IV, 18.* immo, σκότος *tenebrae*, *Eph. V, 8.* Ideoque nec idonei sunt, *ex se ipsis vel cogitare quidquam*, quod rectum, bonumque sit, Deoque placeat, sed *quod idonei sunt, ex Deo est, II. Cor. III, 5.* Atque hinc, qualis illorum voluntas sit, intelligitur. *Alienati sunt a vita Dei*, διὰ τὴν ἄγνοιαν τὴν οὖσαν ἐν αὐτοῖς, *propter ignorantiam, quae est in illis, Eph. IV, 18.* Mortui sunt τοῖς παραπτώμασι καὶ ταῖς ἁμαρτίαις, *Ephes. II, 1. Coloss. II, 13.* Hinc & sine Numinis gratia nihil efficere possunt, *Ioan. XV. 5.* Ideoque & Deo hominis conuersio in scriptura sacra tribuitur; quod quidem documento est luculentissimo, hominem omnibus hic destitutum esse viribus, omni libertate, *act. XVI, 14. Ezech. XI, 19. XXXVI, 26. psalm. LI, 12. II. Tim. II, 25.* Cum autem conuertuntur ad Deum, per fidem gratiae vires, hinc & libertatem recuperant, vt ea, quae Deo grata sunt, peragere possint, *Ioan. VIII, 36.*

** Ex mala enim arbore non possunt boni prouenire fructus, *Matth. VII, 17. 18.* Hinc & *omne figmentum cogitationum cordis*, quidquid cogitationum, adeoque & cupiditatum ac adfectuum cor producit, tantum malum esse dicitur, *Gen. VI, 5.* Pertinet huc, quod Paulus eleganter peccatum originale per *corpus* designat, cuius veluti membra sint peccata quaeuis, quae actu committuntur, *Rom. VI, 6.* quam quidem explicationem ipsemet apostolus confirmat, *Coloss. III, 5.*

*** Morbi corporis indicant corruptionem: cumque & documento sint, hominem morti obnoxium esse, *mortis* nomine, in comminatione ista poenali, *Gen. II, 17.* merito comprehenduntur. In statu enim

integritatis vt mortis, ita & morborum expers fuisset homo. Ad reliqua incommoda atque aerumnas, quae vitae humanae miseriam augent, quod attinet, aut ab hominibus, aut a rebus creatis aliis nobis adferuntur. Vtrumque, statum hominis per peccatum deteriorem factum, arguit. In statu namque integritatis nemini ab alio homine vllum creari periculum, aut adferri incommodum poterat, cum in tanto omnium erga alios omnes amore fieri non posset, vt quisquam alium laederet. Sed, a rebus quoque aliis nihil proficisci poterat, quod molestiam homini crearet, cum tellus maledictionis adhuc expers, absque sudore & taedio coli potuisset; ceterum & rerum naturalium peritia, cum summa sapientia coniuncta, & dominium in res creatas, cumprimis in animantia bruta, nondum imminutum, obstitisset, quo minus damnum aliquod inde sentiret homo. Haec omnia autem vti hodie secus se habent, ita peccatum illud, quo omnes per naturam infecti sunt, aperte satis arguunt.

* Mortem temporalem peccati originalis effectum esse, & ex comminatione diuina, *Gen. II, 17.* constat, & ab apostolo diserte confirmatur, *Rom. V, 12.* Eadem autem comminatio, cum de morte etiam spirituali, &, quae hanc excipit, aeterna damnatione, sit intelligenda, hanc quoque inter effectus peccati originalis iure meritoque referri, inde discimus. Et sane, cum τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς sit *inimicitia aduersus Deum; Rom. VIII, 7.* facile patet, quo loco habendi sint, qui per naturalem suam generationem σαρκικοὶ sunt, siue carnales. Nimirum, sunt φύσει, *natura filii irae, Epheſ. II, 3.* adeoque aeternae damnationi obnoxii. Vt tamen actu damnentur, accedat, necesse est, priuatio, vel reiectio medii, quo cum Deo reconciliari possunt; quod non aliud, quam fidem in Christum esse, constat. Quo quidem sensu incredulitas pro caussa proxima damnationis

mnationis haberi solet. Interim remanet, peccatum originale in se spectatum, prout peccatum est, aeternam damnationem promereri; etsi alia accedant, si damnatio ista actu sequatur. Ex eo vero, quod homo per peccatum a Deo prorsus auersus est, hinc & filius irae, sequitur, eum potestati infernalis genii obnoxium esse; id quod & scriptura passim confirmat; *actor. XXVI, 18. Ebr. II, 14.* Nec tamen ita hoc est intelligendum, ac si diabolo iure imperium aliquod, seu potestas in homines peccatores, nec dum Deo reconciliatos, competat. Id namque plane absonum esset, cum genius ille infernalis nullam caussam iustam habeat, eiusmodi quid sibi vindicandi; immo nec per pactum, aut simili ratione, adquirere queat; cum nullo iure gaudeat, tale pactum, vel promissum acceptandi. Sensus itaque istorum dictorum scripturae est, quod diabolus homines, extra gratiam Dei constitutos, omnique adeo destitutos auxilio, vt latro vel tyrannus, citra ius & fas, violenter tamen pariter ac fraudulenter adgrediatur, eosque inducere conetur, vt voluntati suae morem gerendo, altius peccatorum sordibus immergantur, difficiliusque inde eluctentur. Hinc & iure meritoque *homicida* audit; *Ioan. VIII, 44.* quod citra ius atque fas vita temporali, spirituali, & aeterna, homines spoliare conatur.

§. XXVIII.

Ea denique peccati istius originalis est indoles, vt per omnem vitam hominibus, etiam piis atque sanctis, inhaereat. Etsi enim hi omnem quotidie nauent operam, vt vim eius per vires gratiae supprimant, adeoque efficiant, ne in iis regnet; eradicare tamen illud penitus, aut euellere ne-

queunt; *Rom. VII, 17. 18. seq. Ebr. XII, 1.** Idem vero &, quod per naturalem generationem a parentibus ad liberos propagetur, ex antea dictis constat; ** conf. *Iob. XIV, 4. psalm. LI, 7. Ioan. III, 6. Ephes. II, 3.*

* Etenim Paulum *Rom. VII, 17. 18.* de se ipso, & quidem vt iam renato, non autem de alio quodam, quem ita loquentem inducat, verba facere, res ipsa docet: nec quidquam in hacce interpretatione, quod quemquam offendere possit, occurrit, modo cuncta recte intelligantur. Confirmari idem potest ex *Iob. IV, 18. 19. XV, 14. 15.* Et quaecumque sane in scriptura sacra de sanctorum hominum imperfectione dicuntur, nostram sententiam comprobant. Nisi enim adhaerens hocce, atque inhabitans in iis peccatum originale esset, nihil obstaret, quo minus ad sanctitatem, omnibus numeris perfectam, adspirare possent. De imperfectione autem ista sanctorum, adeoque & inhaerente peccato originali, testatur pugna illa contra insultus carnis, per omnem vitam durans. Vbi namque adhuc durat pugna, nondum adest plena victoria. Vincimus quidem per fidem; *I. Ioan. V, 4. 5.* sed hoste subinde resumente vires, impetumque in nos faciente, nobis quoque redeundum est ad pugnam, *Gal. V, 17. Rom. VIII, 13.* Quare fatendum est, per mortem demum peccatum hocce originale radicitus tolli, qua animam pariter ac corpus, dum illa purificata penitus ad sedes beatorum transfertur, hoc autem in cineres redigitur, expers omnis labis, suo tempore resuscitandum. Licet vero in hac vita eradicari penitus peccatum originale nequeat, regeniti tamen illud ita per quotidianas exercitationes supprimunt, ne in illis dominetur, hoc est, ne eodem vmquam se abripi patiantur. Atque hoc intuitu peccatum originale in *regnans*,

prout

prout in impiis & irregenitis se habet, & *non regnans*, prout in regenitis adhuc superest, dispesci solet. Etsi enim generatim quoduis peccatum habituale vel regnans, vel non regnans esse queat; specialiter tamen de originali hoc dici solet, idque eo rectius, quod per habitualia adquisita vis eius magis augeatur, atque corroboretur. In regenitis autem, seu sanctis hominibus, quod peccatum originale non regnet, scriptura diserte testatur: vt cum Paulus, μὴ οὖν βασιλευέτω, *ne itaque regnet*, inquit, *peccatum in mortali corpore vestro, vt ei obediatis, in cupiditatibus eius*, *Rom. VI*, 12. Eodemque pertinet, quando non renatos *seruos peccati* vocat, regenitos vero, *liberos a peccato*, sed *seruos iustitiae*; *ib. v. 16. seq.* itemque, quando eos, *qui in Christo Iesu sunt*, *ambulare* dicit, μὴ κατὰ σάρκα, ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα, *non secundum carnem, sed secundum spiritum*, *Rom. VIII*, 1. Sed & Ioannes hoc confirmat: *omnis, qui natus est ex Deo*, ἁμαρτίαν οὐ ποιεῖ, *peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet*, καὶ οὐ δύναται ἁμαρτάνειν, *& non potest peccare, quoniam ex Deo natus est*; *I. ep. III*, 9. Aliud nimirum secundum stilum Ioannis est, *peccatum habere*, aliud, *peccatum facere*; quorum illud regenitis etiam tribuit, hoc in eos cadere negat. Sensus itaque est, quod eiusmodi peccata, quae proaeretica sunt, & ex voluntate, studioque peccandi proficiscuntur, in regenitos non cadant, quod perinde est, ac si dixisset, peccatum in iis non regnare. Immo addit, οὐ δύναται ἁμαρτάνειν, *non potest peccare*; eo scilicet, quo diximus, modo, vt tamen simul maneat regenitus. Hoc enim contradictionem inuoluit, adeoque est ἀδύνατον.

** Repetenda, quae §. *XXIV.* hac de re dicta sunt.

§. XXIX.

§. XXIX.

Ex peccato originali, vt antea diximus, fluunt *peccata actualia*; quo nomine omnes actiones internae & externae, omnesque omissiones veniunt, quae cum lege diuina pugnant. Vnde & hic semper ad legem diuinam, in genuino seu spirituali sensu acceptam, respiciendum, vt, quaenam actiones vel omissiones pro peccatis habendae sint, intelligamus. *

* Non satis inculcari potest, quod Paulus *Rom. VII, 14.* docet, τὸν νόμον esse πνευματικὸν, *spiritualem*, adeoque perfectum, non tantum qua externas, sed &, qua internas actiones, omnesque adeo motus & cogitationes, obsequium ab hominibus exigere.

§. XXX.

Caussa peccatorum actualium est ipse homo, qui peccat, hoc est, qui aliquid concupiscit, cogitat, loquitur, agit, quod legi diuinae repugnat, vnde ἀταξία ista, siue ἀνομία oritur. * Nec tamen excludendus est diabolus; qui, cum diuersa ratione in mentem hominis, eiusque facultates, intellectum, imaginationem, voluntatem agere possit, diuerso quoque modo homines ad peccata incitat; ** quemadmodum & alii homines exemplo, doctrina, suasione, aliaue ratione efficiunt, vt pro caussa morali peccatorum recte habeantur. *** Reliquae autem res, quae extra hominem sunt, praesertim, quae sensibus obuersantur, & prauas cupiditates irritare possunt,

possunt, non tam pro caussa, quam pro occasione peccatorum habendae. *

* Est nimirum homo actuum istorum omnium, internorum & externorum, vti & omissionum, caussa physica, moralis autem, ἀταξίας, quae inde oritur, quod actus illi cum lege diuina non conueniant. Sunt vero in ipsis hominibus varia, quae eos ad talia aut agenda, aut omittenda, quibus lex diuina violatur, inducunt. Primum inter ea, praecipuumque locum tenet ipsum peccatum originale, arbor illa mala, quae non alios, quam pessimos potest progignere fructus. Hinc peccata quaeuis ex corde prouenire, seruator docet; *Matth. XV, 19.* & peccata actualia, *carnis opera* vocantur, *Gal. V, 19.* Accedit ex parte intellectus *ignorantia*, eaque *vincibilis*. Inuincibilis enim, & quidem absolute talis in iis, quae lex diuina ab omnibus hominibus requirit, non datur; cum & per lumen rationis, & multo magis per lumen reuelationis, quae agenda hominibus, aut omittenda sunt, omnibus ita sint manifestata, vt ignorari a nemine, si modo ipse sibi non obstet, queant. Vnde & homines sunt ἀναπολόγητοι; *Rom. I, 20.* conf. *Mich. VI, 8.* Datur tamen ignorantia quaedam, quae certo modo, & intuitu aut quorumdam hominum, aut περιστάσεων, inuincibilis est; eaque iterum vel *in se*, vel *in sua caussa*, vel vtroque modo, *in se*, & *sua caussa*, talis est. Ignorantia *in se* inuincibilis est, quando quis ignorat, quae pro suo statu & conditione scire nec poterat, nec debebat; vt cum infimae sortis homo ea ignorat, quae tantum ab eruditis sciri poterant, & debebant. Et haec itidem hic in censum non venit. Ignorantia autem *in sua caussa* inuincibilis est, quando aliquis ipsemet in culpa est, vt ignoret, quae scire poterat, & debebat; vt cum medicus imperitus noxia

noxia medicamenta aegrotis propinat. Quae quidem ignorantia hactenus inuincibilis est, cum in ipsius viribus positum non sit, rectius rem cognoscere; interim & peccatum est haec ignorantia, & alterius peccati caussa, quia ipse medicus in culpa est, quod in tali ignorantia versetur. Quodsi vero homo stupidus, qui itidem occasionem, rectiora condiscendi, praetermisit, per ignorantiam peccat, ea *in se* & *suae caussae* simul inuincibilis vocatur; & in tantum illi imputari potest, in quantum ipsemet in culpa est, vt in ista ignorantia versetur. Intelligendum porro hoc, quod diximus, est de ignorantia *efficaci*, & a qua *concomitantem* distinguere solent. Efficax enim ea adpellatur, quando per cognitionem actio fuisset impedita: quemadmodum Abimelechus haud quaquam in animum inducturus fuisset, ducere in matrimonium Saram, si sciuisset, eam esse vxorem Abrahami, *Gen. XX, 4. 5.* Concomitans autem, quando cognitio actionem, etsi ex ignorantia profectam, non impediuisset: vt si quis ex ignorantia hostem suum interficiat, quem nihilosecius interfecturus fuisset, si eum cognouisset. Eiusmodi quidem peccata non tam ex ignorantia, quam potius prauitate voluntatis, procedunt. Ex parte voluntatis ad peccata actualia, praeter naturalem ad mala propensionem, plurimum conferunt habitus praui, per actus saepius repetitos inducti, quibus naturalis illa propensio non tantum determinatur, sed & subinde mirum in modum augetur, ac corroboratur. Nec sine ratione dici solet, *consuetudinem alteram veluti esse naturam.* Voluntas, cum rebus corporeis adficitur, *adpetitus sensitiui* nomine venit, ad quem & adfectus, scilicet sensitiui, pertinent. Hos vero itidem inter caussas peccatorum actualium, quemadmodum & plerumque, immo, in non renatis semper, ipsimet iam peccata sunt, haud vltimum promereri locum, constat. ** Infer-

** Infernalem genium id agere, vt homines ad peccata quaeuis impellat, & primorum parentum exemplum docet, & scriptura abunde testatur. Interdum *immediate* hoc agit, interdum *mediate*. Immediate quidem, sed in serpente naturali latitans, adgressus est Euam; *Gen. III, 4.* idemque & hodie facit, excitando in hominibus, etiam piis, quando diuinum hoc permittit Numen, cogitationes malas, impias, quandoque & blasphemas, & hac ratione ad varia peccata eos impellendo. Sic diabolus in *cor Iudae Ischariotae hoc iecisse* (τοῦ διαβόλου ἤδη βεβληκότος εἰς τὴν καρδίαν Ιούδα) dicitur, vt Christum prodere-ret, *Ioan. XIII, 2.* Referunt huc nonnulli *tela ignita satanae; Epheſ. VI, 16.* item, quod *satanam postulasse* legimus, *vt cribraret apostolos sicut triticum, Luc. XXII, 31.* Porro, quod *cor Ananiae implesse* memoratur, *vt mentiretur spiritui sancto; actor. V, 3.* & quae alia sunt eiusdem generis. Saepius tamen, immo plerumque homines adgreditur *mediate*, callide in rem suam vertendo cogitationes, cupiditates, adfectus, quibus alias per naturae suae conditionem indulgere solent, aut obiecta varia illis suggerendo, quibus imaginatio, atque adfectus praui mouentur. Atque, quin ista efficere possit, eo minus dubitandum, quo certius ex scriptura sacra constat, spiritum in eiusmodi operationibus edendis magnam vim esse, atque efficaciam. Ad ea speciatim quod attinet, quae immediate ab infernali hocce genio proficiscuntur, cum citra controuersiam vnus spiritus in alium agere, suasque cum eo communicare cogitationes possit, non video, quid obstet, quo minus & malignus ille spiritus in mentem hominis agere, & varias in ea excitare cogitationes queat; quamquam lubens fatear, potentiam eius certis limitibus a Deo in hisce omnibus esse circumscriptam. Ceterum, scripturae effatis, quae diserte testantur, infernalem

fernalem genium in peccatis hominum ſtrenue ſuas agere partes, ipſa quodammodo, ſi modo rite ad omnia, quae quotidie eueniunt, attendamus, ſuffragatur experientia. Exempla enim proſtant, homines ſtupidiſſimos in magnis perpetrandis ſceleribus ingenioſiores fuiſſe, quam de illis exſpectari poterat; & homines natura timidos animum fortem & intrepidum in ſimili caſu demonſtraſſe; quod quin vim quamdam humana maiorem, & aliunde in iis accedentem arguat, vix eſt quod dubitemus. Quantumuis autem cacodaemon homines moueat, incitet, impellat, neminem tamen cogere poteſt, ad ſcelus aliquod perpetrandum.

*** Directe quidem alii homines ſuaſione, adhortatione, conſilio, mediorum ſuppeditatione, aliaque ratione, aliquem ad peccandum inducere poſſunt; & ideo pro cauſſa morali peccatorum ab eo commiſſorum recte habentur, quemadmodum & ipſi, qui iſto modo eum inducunt, eorumdem peccatorum rei ſunt. Immo & illi hic in cenſum veniunt, qui, cum prohibere aut impedire peccata debebant, & poterant, id tamen non faciunt. Eodem loco vero & illi habendi, qui falſa doctrina alios ſeducunt, &, vt in peccata ruant, efficiunt. Quare, & vt a pſeudo-prophetis nobis caueamus, ipſe ſeruator nos admonet, *Matth. VII, 15.* Indirecte autem cauſſa peccatorum ab aliis commiſſorum exſiſtunt, qui exemplo ſuo eos commouent, vt ea agant, omittantue, quae agere aut omittere nefas eſt. Atque hi quidem *ſcandalum* praebere aliis dicuntur; quamquam & generatim de omnibus illis hoc quandoque adſeratur, qui quocumque modo aliquid dicunt aut faciunt, vnde alii occaſionem peccandi accipere queant.

* Irritant vtique hominum, incaute circa eas verſantium, cupiditates. Illis enim, qui ſibi cauent,

uent , ſuisque cupiditatibus frenum iniicere didicerunt, nocere nequeunt. Obiecta autem iſta, quae, irritando cupiditates prauas, hominibus peccandi occaſionem praebent, ſub ſpecie boni, ſed adparentis, iis adblandiuntur, ſuntque vel *decora*, vel *vtilia*, vel *iucunda*; adeoque tribus vitiis cardinalibus, *ambitioni*, *auaritiae*, & *voluptatis cupiditati*, reſpondent; conf. *I. Ioan. II, 15. 16.* Atque haec, vna cum hominibus, qui nos directe aut indirecte ad peccata ſeducunt, *mundi* nomine veniunt; vti cauſſae peccati, quae in ipſo homine ſunt, *carnis*. Vnde patet, ſecundum hactenus dicta tres peccatorum actualium cauſſas conſtitui poſſe, *carnem* noſtram, *diabolum*, atque *mundum*. Atque de his dici ſolet, quod nos *tentent*, hoc eſt, irritent, & excitent, & ad peccata varia corde, ore, & opere perpetranda, inducant; quod tamen non vna eademque, ſed diuerſa ratione, ſi aut de regenitis , aut irregenitis ſermo ſit, intelligendum eſt. Hi enim ita tentantur, vt hoſtibus ſuis victas plerumque dent manus, aut non niſi craſſioribus cupiditatibus, & incommodum aliquod, ſi illis indulgeant, in hac vita adlaturis, reſiſtant. Immo, cum tentatio, proprie loquendo, certamen aliquod, ſeu pugnam denotat, vel ſaltem animum pugnandi ac reſiſtendi, qualis hoſtium eſſe ſolet; hoc ſenſu de irregenitis vix dici poteſt, quod tententur, cum ſub poteſtate ſatanae ſint, & dominio peccati, *actor. XXVI, 18. Coloſſ. I, 13.* Interim magis adhuc excaecari , captiuari , & peccatorum vinculis conſtringi poſſunt, ne *irradientur lumine gloriae euangelii Chriſti*, *II. Cor. IV, 4. ac mentis ſanitatem recipiant ex diaboli laqueo*, *II. Tim. II, 26.* Regenitorum autem tentationes proprie hoc nomine veniunt. Etſi enim ex ſtatu irae in ſtatum gratiae translati ſint, numquam tamen non

insultus carnis, diaboli, & mundi experiuntur, *I. Petr. V, 8. Ephes. VI, 12. 13. Gal. V, 17. Rom. VII, 14. seq.* Tantum vero abest, vt hisce tentationibus cedant, vt acriter potius renitantur, & per fidem eas vincant, *I. Ioan. V, 4.*

§. XXXI.

Cum etiam per nexum caussarum aut naturalium, aut moralium, vnum peccatum saepius aliud, aut plura, eaque haud raro grauiora, secum vehat, peccata praecedentia inter causas subsequentium referuntur. * Idque cum eo facilius contingat, quia homines gratia diuina, quam per primum peccatum excusserunt, in sequentibus destituuntur, Deusque adeo ex iusto iudicio talia permittit; quod Deus peccata peccatis puniat, dici solet. Nec tamen inde inferendum, Deum vlla ratione, directe aut indirecte, caussam esse peccatorum actualium. **

* De nexu caussarum naturalium quod dixi, id vel ex habitibus prauis, per actus saepius iteratos contractis, intelligitur. Quo propensior enim homo hac ratione ad eadem peccata perpetranda redditur, eo saepius ea, occasione cumprimis oblata, repetit, & ita peccata praecedentia caussae fiunt sequentium. Caussarum autem moralium nexus in eo conspicitur, quando aliquis ad vnum peccatum occultandum, vel poenam eius euitandam, vel etiam aliam ob caussam, aliud, & quidem haud raro grauius, committit. Sic Dauid ex adulterio incidebat in homicidium, *II. Sam. XI, 15.* Sic & saepius contingit, vt a furti, vel alterius peccati, cuius tamen rei sunt,

sunt, suspicione periurio se liberare conentur, peccata ita peccatis cumulantes. Et ita in aliis se res habet.

** Nec enim gratiae, qua quis se indignum reddidit, denegatio, nudaque permissio, id efficiunt, vt aliquis pro caussa & auctore peccati haberi debeat. Hinc, si dicendum, quod res est, ipsi homines, non Deus, in culpa sunt, quod peccata peccatis, iisque grauioribus, cumulentur, indeque illorum augeatur miseria. Vnde & recte, ac cum grano salis accipiendum esse patet, cum dicitur: *quod Deus peccata peccatis puniat.* Atque ita etiam intelligendum est, cum Deus *cor Pharaonis induraſſe* adseritur, *Exod. IV, 21. VII, 3.* alibique; item, quod gentiles in *sensum reprobum* dederit, *Rom. I, 28.* Vt autem inde neutiquam colligi potest, Deum peccatorum actualium auctorem esse, ita eum nullatenus vllius peccati, aut mali moralis, caussam esse, supra ex instituto demonstrauimus.

§. XXXII.

Effectus peccatorum actualium aestimandi sunt ex iis, quae de peccato generatim spectato diximus. Accedit tamen speciatim, quod per peccata actualia, saepius repetita, velut habitus, seu propensio habitualis, oriatur, per quam naturalis illa ad malum propensio interdum & augetur, & hinc quoque expugnatio eius, seu debellatio, difficilior redditur, interdum propensionum ad mala quaedam diuersitas producitur.

§. XXXIII.

Varie peccata actualia diuidi so-

lent. Intuitu scilicet legis, quae vel adfirmatiua, vel negatiua est, alia sunt peccata *commissionis*, alia *omissionis*; * intuitu caussae, ex qua procedunt, quaedam sunt *voluntaria*, quaedam *inuoluntaria*; ** ratione obiecti, & quidem personalis, alia sunt, quae homo immediate *erga Deum*, alia, quae *erga se ipsum*, alia, quae *erga alios homines* committit: *** rursus intuitu graduum, quaedam peccata *cordis*, quaedam *oris*, quaedam *operis* dicuntur: * intuitu denique eorum, quae peccata consequuntur, in *mortalia* & *venialia*, ** *clamantia* & *non clamantia*, *** dispesci solent.

* Sunt itaque *peccata commissionis*, quando quis legem negatiuam migrando, agit, quae non agere debebat: *omissionis* autem, quando quis, legem adfirmatiuam violando, non agit, quae agere debebat. Suntque peccata omissionis non minus, immo & aeque grauia, peccata, quam commissionis, secus ac nonnulli perperam sibi persuadent, cum per vtraque lex diuina violetur. Quod & scriptura confirmat, *Iac. IV, 17. Luc. XII, 47.* Immo in descriptione processus, in die extremi iudicii instituendi, seruator peccata omissionis vel maxime commemorat, ob quae impii aeternis cruciatibus sint adiudicandi; *Matth. XXV, 42. 43. seq.*

** Peccata voluntaria etiam *proaeretica* vocari solent; intelliguntur que ea, quae homines scientes volentesque perpetrant. Neque tamen ea tantum peccata sunt proaeretica, cum quis directe intentionem peccandi habet, sed & cum aliud quid sibi proponit, vel saltem proponere videtur, quocum peccatum ita connexum est, vt ipsemet sciat, hoc

hoc plane non, aut difficulter euitari posse. Et ita miseri mortales se ipsos turpiter decipiunt, dum sibi persuadent, se non habere intentionem peccandi, quam tamen reuera habent, dum illud, quod peccatum secum trahit, non euitant, adeoq; peccata sua non esse proaeretica, quae tamen reuera talia sunt. Inuoluntaria autem sunt, quæ aut ex *ignorantia*, sed efficaci, aut ex *adfectu* vehementiori, proficiscuntur. Sed ad adfectum quod attinet, is interdum quidem in foro humano grauitatem imputationis imminuit, at non prorsus eam tollit. Multo autem minus in foro diuino hoc in censum venit, aut ad excusandum peccatum valet, cum homines, si mediis a Deo praescriptis rite vti vellent, adfectus, ne modum excedant, compescere possent. Nec in foro humano omnium adfectuum eadem est ratio, cum illi solum ad excusandum aut emolliendum delictum quidquam valeant, qui ad depellendum malum nos impellunt; non aeque, qui ad consequendum bonum incitant; vt recte obseruat HVGO GROTIVS, *lib. II. de iure belli & pacis, cap. XX. n. 1.*

*** Solent officia hominum ita diuidi, vt alia sint, quae quis erga Deum, alia, quae erga se ipsum, alia denique, quae erga alios homines praestare tenetur: quibus etiam tres virtutes cardinales, *pietas*, *temperantia*, & *iustitia*, respondent; conf. *Tit. II, 12.* Pari ratione & peccata, prout officiis hisce opponuntur, in tres classes dispesci possunt. Per peccata autem, quae erga Deum hic committi dicuntur, ea intelliguntur, quibus immediate laeditur: ceteroquin enim iis quoque peccatis laeditur, quibus aliquis contra officia erga se ipsum, & alios agit. Nullum enim peccatum sine violatione legis committitur: hoc ipso vero, dum lex diuina violatur, Deus etiam laeditur. Reliqua, quae hac occasione dici possent, non sunt huius loci.

* Subordinatio ista, vt peccata oris grauiora censeantur peccatis cordis; & illis rursus grauiora peccata operis; in peccatis vnius generis equidem, quamquam non semper, procedit, & exemplo irae, in maledicta & conuicia, tandem & laesiones externas erumpentis, comprobari potest; conf. *Matth. V, 21. 22.* In peccatis autem diuersi generis contingere potest, vt quandoque peccatum cordis grauius sit peccato oris; immo & in peccatis vnius generis, si adfectus constans sit & malignus, peccatum vero oris ex praecipitantia quadam, aut inconsiderato animi impetu, originem trahat. Interim peccatorum dari gradus, vnumque altero turpius esse, maioremque adeo promereri poenam, & ratio euidenter dictitat, & seruator ipse, *loco* antea *citato, Matth. V, 21. 22.* confirmat; conf. & *Luc. XII, 47. 48.* Duplici autem ratione fieri potest, vt vnum peccatum altero sit grauius; primo quidem, intuitu ipsius ἀνομίας, siquidem vna actio longius a lege, ceu norma, discedere potest, quam altera: tum & intuitu obiecti, ipsius agentis, & status, in quo versatur; itemque intentionis, & aliarum circumstantiarum.

** Mortalia peccata intuitu eius, a quo committuntur, considerata, & ea vocari possunt, quae ab iis committuntur, qui in morte spirituali versantur, & etiam, quae mortem spiritualem inferunt, quando quis, qui hactenus in fide stetit, eiusmodi quid committit, quo fides exstinguitur, & ipse gratia Numinis excidit; *Rom. VIII, 13. I. Cor. VI, 9. 10. Gal. V, 19. seq.* Quod si peccata in se spectentur, nullum equidem est, quin mortem temporalem atque aeternam promereatur, adeoque hactenus omnia sunt mortalia. Nullum enim peccatum est sine transgressione legis; *I. Ioan. III, 4. legem* autem *qui in vno* capite seu praecepto *violat, totius legis reus est; Iac. II, 10.* totius vero legis qui reus

reus est, non potest non poenam in legis transgressores statutam, ceu longe iustissimam, promereri; conf. *Gal. III,10. Matth. XII,36.* Sed cum venialibus mortalia opponuntur, ea tantum hoc nomine veniunt, quae actu mortem spiritualem inferunt, dum, exstincta fide, hominem ab vnione cum Deo seiungunt. Atque hinc, quaenam *venialia* dicantur, intelligitur. In se quidem spectatum, nullum veniale est, cum omnia natura sua sint mortalia, vti demonstratum. Cum vero ea, quae ab hominibus regenitis ex ignorantia, aut imbecillitate committuntur, statimque per veram poenitentiam retractantur, etsi per se morte digna, eos tamen fide & vita spirituali non priuent, a Deo etiam illis non imputentur, hinc venialia dici solent. Idque Paulus diserte docet, quando, οὐδὲν κατάκριμα, *nihil, quod actu damnet, in iis esse*, dicit, *qui sunt in Christo Iesu, Rom. VIII,1.*

*** Quae ita comparata sunt, vt, cum ab hominibus non puniantur, Deum ad vindictam publicam permoueant, *clamantia* vocari solent; reliqua, quae Deus, poenam differendo, quodammodo tolerat, *non clamantia.* Ad priorem classem referuntur, homicidium, sodomia, oppressio insontium, & debitae mercedis denegatio. Denominationis ratio praecipue ex *Gen. IV,10.* desumta videtur; conf. & *Exod. III,9. XXII,23. Iac. V,4.*

§. XXXIV.

Singulare prae reliquis & maxime obseruatu dignum est *peccatum*, quod vocatur, *in spiritum sanctum;* quo nomine voluntaria veritatis agnitae abnegatio, & mediorum gratiae reiectio constans & pertinax, cum blasphema impugnatione coniuncta, venit. *

*Cum quaedam peccata ita sint comparata, vt immediate iis Deus laedatur, vt ad §. *praeced.* obseruauimus, nunc porro addendum, ab ipso seruatore discrimen aliquod inter *peccatum in filium hominis* & *peccatum in spiritum sanctum*, constitui; quorum illud remissibile sit, hoc non item; *Matth. XII, 30. seq. Marc. III, 28. 29. Luc. XII, 10.* Vbi quidem cumprimis, quodnam peccatum in spiritum sanctum sit, quod remitti nequit, & in quo consistat? disquiri iampridem solet. Recte hic incedemus, si verba Christi paullo adcuratius consideraverimus, quae ita se habent: *Omne peccatum seu blasphemia remittetur hominibus: spiritus autem blasphemia non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in saeculo hoc, neque in futuro; Matth. XII, 31. 32.* Quae, vt eo rectius intelligantur, occasionem sermonis istius, a seruatore instituti, haud perfunctorie obseruandam, existimo. Eiecerat seruator daemonium ex homine; & cum populus, viso hoc miraculo, Dei laudes celebraret, dicendo: *numquid hic est filius Dauidis?* Pharisaei inuidia accensi, miraculum illud calumniabantur, dicentes: *hic non eiicit daemonia, nisi in Beelzebul, principe daemoniorum.* Calumnia itaque tam absurda solide refutata, porro seruator docet, quantum illud peccatum sit, & quod directe spiritum sanctum laedat; illiusque adeo remissionem, nec in hoc, nec in futuro saeculo obtineri posse, profitetur. Ad Pharisaeos igitur cum hoc spectet, quod seruator de peccato in spiritum sanctum dicit, primo quidem probe considerandum, eos homines ex mera proteruia Christum, eiusque doctrinam reiecisse; cum per tot, tamque stupenda, quae edidit, miracula, non potuerint non de veritate eorum, quae docebat, esse conuicti, etsi, qua erant pertinacia, illud fateri nollent. Atque hinc primus

primus peccati in spiritum sanctum character eluceſcit; euidentiſſima veritatis caeleſtis perceptio, & animi conuictio, ſiue tandem hoc aperte quis profiteatur, ſiue diſſimulet, & iſtam conuictionem quouis modo ſupprimat. Hi ergo Phariſaei non tantum externa ſpecie Chriſti, quae hominibus huius ſaeculi nihil praeclari aut magnifici promittebat, offendebantur, quod illis cum aliis eo tempore commune erat; ſed miracula ipſa a Chriſto edita, per quae rectiora edoceri poterant, adgrediebantur, eaque reiiciebant. Quae quidem miracula, cum a Chriſto per *ſpiritum Dei* facta eſſent, *Matth. XII,28.* qui eſt miraculorum auctor, *I. Cor. XII,9. 10.* & quo Chriſtus ſecundum humanam naturam vnctus erat; *Eſ. LXI,1.* ratio inde patet, cur hoc peccatum *in ſpiritum ſanctum* committi dicatur? & cur contra illi, qui humili eius ſpecie equidem offendebantur, at miracula non reiiciebant, peccatum committere dicebantur *in filium hominis.* Cumque eccleſia plantata miraculis non indigeat, eorumque in locum euidentiſſima criteria, quibus verbi diuini auctoritas, ſimulque chriſtianae religionis veritas, omnibus innoteſcit, ſucceſſerint; haec autem doctrinae veritas, ſacris litteris comprehenſa, non minus ſpiritum ſanctum agnoſcat auctorem, quam miracula Chriſti; alterum hinc peccati in ſpiritum ſanctum characterem facile intelligere licet. Phariſaei porro non tantum miracula Chriſti reiiciebant, idque conſtanter, & magna proteruia, ſed per horrendam blaſphemiam ea diabolorum principi tribuebant; vnde ſeruator huncce illorum furorem diſerte βλασφημίαν πνεύματος, *blaſphemiam ſpiritus* adpellitat. Tertius inde adparet peccati in ſpiritum ſanctum character, conſtans atque proterua mediorum ſalutis, qualia intuitu Phariſaeorum erant miracula Chriſti, reiectio, itemque blaſphemia, qua animum

malignum, prorsusque inimicum erga ea demonstrant. Atque eiusmodi cum sit peccatum in spiritum sanctum, fieri aliter non potest, quam vt nulla spes, eius remissionem impetrandi, superfit. Quod & diserte seruator profitetur: *non remittetur ei, neque in hoc saeculo, neque in futuro.* Nimirum non ita hoc est capiendum, ac si peccatum hoc in se spectatum, vel ob grauitatem suam, vel ob decretum aliquod diuinum, remissibile non sit, aut ac si Christus pro eo non satisfecerit; sed quod ipsimet illi, qui eiusmodi peccatum committunt, viam, ad eius remissionem obtinendam, sibimet obstruant, dum media gratiae, quibus conuerti poterant, pertinaciter reiiciunt. Et de Pharisaeis quidem, quod eiusmodi peccatum commiserint, nullum plane est dubium, cum diserte hoc seruator testetur, nec vlla ea de re est controuersia; an vero & alii, praeter Pharisaeos, eiusdem peccati fuerint rei, vel adhuc hodie esse queant? id vero est, de quo inter viros doctos disceptari solet. Negant id nonnulli, non alios, quam Pharisaeos, peccatum in spiritum sanctum commisisse, aut committere potuisse, adserentes; vt praeter alios qui ex Arminii schola prodierunt, PHILIPPVS LIMBORCHIVS, aliique, & ex nostratibus quoque viri quidam longe praestantissimi. Vrgent cumprimis, quod Pharisaei ipsimet tot tantorumque miraculorum, a Christo editorum, fuerint spectatores, vt veritatem doctrinae eius non nisi per summam animi malignitatem potuerint reiicere. Verum id quidem me nondum inducit, vt tam arctis limitibus peccatum in spiritum sanctum circumscribendum existimem. Quae enim post canonem noui testamenti litteris consignatum adsunt argumenta, non minorem vim ad doctrinae a Christo & apostolis propositae, veritatem demonstrandam habere arbitror, quam miracula a Christo seruatore edita

eo

eo tempore habere potuerunt. Quare, si quis semel per ista argumenta de veritate doctrinae christianae fuerit conuictus, eum, hanc in dubium vocando, non minorem animi malignitatem prodere, credo, quam Pharisaei prodiderunt, reiiciendo miracula Christi. Cetera, quae de peccato illo Pharisaeorum dicuntur, ita comparata sunt, vt nullam prorsus rationem videam, cur hodie locum quandoque inuenire nequeant. Namque media salutis, per quae Deus hominum conuersionem hodie operatur, non minus quam miracula Christi, spiritui sancto recte tribuuntur; hinc &, qui ea proterue reiicit, non minus spiritum sanctum laedit, quam Pharisaei laeserunt. Sed id quoque contingere potest, vt quis non tantum ista salutis media, cum primis doctrinam euangelii reiiciat, sed vt idem constanter & proterue faciat, & per blasphemiam animum malignum & inimicum aduersus eam demonstret; immo, quae spiritus per eam doctrinam operatur, pro mendaciis, figmentis, fallaciis habeat, adeoque haecce spiritus sancti opera non minus diabolo tribuat, quam Pharisaei miracula Christi eidem tribuebant. Atque eum quidem, qui ita se gerit, sibi ipsi obstare, quo minus conuertatur, adeoque remissionem peccatorum impetret, res ipsa docet. Hinc vero etiam, in quo peccatum in spiritum sanctum a reliquis peccatis, quantumuis grauibus atque foedis, differat, manifestum est. Quantumuis enim atrocia sint, quae aliquis commisit, quamdiu media salutis proterue atque constanter non reiicit, spes aliqua conuersionis atque salutis superest; quae contra plane euanescit, cum quis tanto animi furore in ipsa salutis media, operaque spiritus sancti saeuit. Et de tali etiam peccato Paulum loqui, *Ebr. VI, 4.* facile intelliget, qui cuncta paullo adcuratius pensitauerit. Certe characteres

res

res peccati in spiritum sanctum, quos ex verbis seruatoris constituimus, hic quoque inueniuntur. Interim, vt in aliis quoque peccatis, ita & in eo, quod in spiritum sanctum committi dicitur, certos obseruare gradus licet; ita vt ab initio eius incrementum, & ab incremento supremum eius fastigium discernatur. Initium eius in iis conspicere licet, qui verbum diuinum contemnunt, irrident, ludibrio habent, deque spiritus sancti operibus contumelioſe loquuntur. Haec qui pro peccatis non agnoscunt, sed strenue potius in iis pergunt, facile vlterius progrediuntur, & ad veritatis caelestis abnegationem, constantemque reiectionem, tandemque blasphemiam, prolabuntur. Vnde, & eos, in quibus initium istius peccati, aut quaedam ad illud dispositio est, haud difficulter designare licet. Ad effatum Ioannis quod attinet, *I. ep. V, 16.* solet quidem illud itidem de peccato in spiritum sanctum intelligi; sed nihil obstat, quo minus & de aliis peccatis grauioribus accipiatur; immo, ita accipiendum, sermonis nexus, & oppositio ad peccata infirmitatis credentium, haud obscure suadet. Dum autem pro eiusmodi peccato ad mortem Deum orandum negat, hoc sibi velle videtur, eo modo pro eiusmodi peccato & peccatoribus, Deum orandum non esse, quo pro credentibus, & peccatis, quae ex imbecillitate committunt, eum orare solemus.

§. XXXV.

Errorum hic occurrentium fontes in duobus istis, quae sedulo euitanda sunt, extremis sese ostendunt: quorum alterum illorum est, qui, naturae viribus plus quam decet, tribuentes, peccatum extenuant; alterum illorum, qui eius grauitatem equidem

dem agnoſcunt, ſed vt culpam a ſe amoliantur, in aliud principium extra ſe eam transferre adnituntur. Ad prius qui inclinant, & prauam peccati notionem facile animo concipiunt, & peccatum originale aut negant omnino, aut valde imminuunt, & inter peccata actualia multa pro peccatis non habent, quae tamen peccata ſunt. Ad poſterius autem qui propendent, aut directe Deum ipſum cauſſam peccati faciunt, aut ad principium aliquod mali independens confugiunt, aut ex decretis Dei abſolutis peccandi neceſſitatem deriuant.

§. XXXVI.

Quo fortius autem omnibus hiſce erroribus veteris eccleſiae doctores ſe oppoſuerunt, mox huic, mox alteri extremo obuiam euntes; eo maiori perfuſa luce ſemper triumphauit veritas, & inter tot certamina, & diſceptationes conſeruata, & ad noſtram vsque aetatem propagata fuit.

§. XXXVII.

Vſus doctrinae huius de peccato, per omnes vitae chriſtianae actus, latiſſime ſe diffundit. Cum enim agnitio peccatorum poenitentiae ac conuerſionis ſit initium, opera omnino danda, vt, quid peccatum ſit, & quaenam eius ſit grauitas, ſecundum verum & genuinum legis ſenſum, recte intelligamus; *Matth. V, 20. ſeq. Rom. III,*

III, 20. VII, 7. 12. Ebr. III, 13. Epheſ. IV, 22. Neceſſe vero etiam eſt, vt intimam naturae noſtrae corruptionem, ſi poenitentia recte procedere debet, exploratam, perſpectamque habeamus, *pſalm. LI, 7.* Inde enim ſimul de noſtra in ſpiritualibus ἀδυναμία, gratiaeque diuinae, ſpeciatim & ratione intellectus, illuminationis, ratione voluntatis, viuificationis, neceſſitate conuincemur; *I. Cor. II, 14. Epheſ. II, 1.* Cumque peccatum iſtud originale renatis per omnem vitam adhaereat, quotidianae renouationis neceſſitas inde manifeſta eſt; *Epheſ. IV, 22. 23.* Vnde & lucta illa carnis & ſpiritus, *Gal. V, 7.* Actualium denique peccatorum vel ideo inſtituenda eſt diligenter conſideratio, ne nosmet ipſos decipiamus, pro peccatis non habentes, quae tamen peccata ſunt; aut infirmitatis ſolum eſſe peccata, nobis perſuadentes, quae pro peccatis malitiae rectius habentur; aut, quaedam peccata natura venialia eſſe, fingentes, & quae alia ſunt eiusdem generis, quibus miſeri mortales ſibi ipſis caliginem obfundunt, ne videant, quae ad ſalutem conſequendam iis ſunt neceſſaria.

INSTI-

INSTITVTIONVM THEOLOGIAE DOGMATICAE

LIBER QVARTVS

DE

CAVSSIS ATQVE MEDIIS SALVTIS

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1724821938/phys_0471
DFG

LIBRI QVARTI

CAPVT PRIMVM

DE

GRATIA DEI, SIMVLQVE DE FOEDERE GRATIAE, EIVSDEMQVE DIVERSIS OECONOMIIS.

Σύνοψις.

DEus, sola benignitate ductus, lapsos homines ad salutem iterum perducere, secum constituit: hinc gratia diuina salutis nostrae caussa praecipua, §. I.

Eaque cum neminem excludat, vniuersalis est, §. II.

Actus formales gratiae diuinae, §. III.

Ortum hinc est foedus gratiae, in quo pactum patris cum filio fundamenti loco ponitur, §. IV.

Partes contrahentes in hocce foedere itidem sunt, Deus & homines: Deus, quo pacto hic spectetur? §. V.

itemque homines? §. VI.

Promissa foederis istius, §. VII.

An, & quo sensu conditio in eo admittenda? §. VIII.

An comminationes peculiares habeat? §. IX.

Habet indolem testamenti, §. X.

Doctrina de hocce foedere, euangelii nomine venit; quod adeo explicatur, §. XI.

Oblatum hominibus fuit per proteuangelii promulgationem, §. XII.

quacum & vocatio hominum fuit coniuncta, quam vniuersalem esse, euincitur, §. XIII.

Vnicum porro est; etsi diuerso modo dispensatum: interualla eius tria, §. XIV

In primo interuallo, seu patriarchali, ad sacrificia accessit sacramentum circumcisionis, §. XV.

Sacramenti proprie sic dicti

dicti nomine quid intelligatur? §. XVI.

Secundi interualli, seu Mosaici ratio, §. XVII.

itemque tertii, seu noui testamenti, §. XVIII.

Errores, qui in hocce sacrae doctrinae capite occurrunt, eorumque fontes, §. XIX.

Verae doctrinae conseruatio atque propagatio, §. XX.

Vsus eius in praxi vitae christianae, & quidem speciatim, de gratia vniuersali, §. XXI.

de euangelio, eiusque a lege discrimine, §. XXII.

de nouo testamento, itemque de sacramentis, tum generatim spectatis, tum speciatim veteris testamenti, §. XXIII.

§. I.

CVm per primorum parentum lapsum in summam, quae cogitari potest, miseriam, genus humanum vniuersum coniectum esset, Deus, sola sua benignitate inductus, illud neutiquam perire voluit, sed liberare potius, & per certa media, bonitati non minus, quam iustitiae ac sapientiae diuinae conuenientia, ad aeternam iterum perducere beatitudinem, secum constituit. Atque hinc *gratia* illa *diuina*, seu propensissimus Numinis erga peccatores fauor, inter caussas salutis nostrae, principem merito, praecipuumque obtinet locum. *

* Ordo itaque atque methodi ratio postulat, vt, postquam hactenus de fine & subiecto, vt in scholis loqui amant, exposuimus, nunc etiam de caussis & mediis, quibus homines, per peccatum in summam miseriam detrusi, salutem consequi queant, verba faciamus. Atque inter caussas istas primum praecipuumque

cipuumque locum tenet *gratia diuina*, qua inductus, consilium, de genere humano seruando, suscepit: vnde & βουλὴ τοῦ θεοῦ, *consilium Dei*, dicitur, *Luc. VII, 30.* Est autem haecce gratia Dei neutiquam sine iustitia & sapientia diuina intelligenda. Iunctim enim semper spectanda esse attributa diuina, ea praesertim, quae ad res creatas, speciatim homines, σχέσιν quamdam habent, supra iam monuimus. Hinc &, licet Deus per suam gratiam omnium hominum salutem cupiat, non aliter tamen hoc fieri potest, quam vt simul iustitiae fiat satis diuinae. Summa enim eius & benignitas, & misericordia *Exod. XXXIV, 6. 7.* ita praedicatur, vt simul addatur, נקה לא ינקה *sontem pro insonte non habebit.* Summa vero eius sapientia vel ex mirabili illa iustitiae & misericordiae coniunctione elucet. Hoc namque modo *ipsis imperiis & potestatibus, quae in caelis sunt, nota fit per ecclesiam* ἡ πολυποίκιλος σοφία τοῦ θεοῦ, *multiformis illa Dei sapientia, Ephes. III, 10.* Ceterum, cum vox *gratiae* non vna eademque ratione accipi soleat, hic per istam intelligimus propitium atque benignum Numinis fauorem, quo mouetur, ad salutem nostram procurandam, *Eph. I, 7. II. 7. 8. Rom. III, 24. I. Petr. V, 10.* qui alias *amoris* nomine venit, describiturque *Ioan. III, 16. Rom. V, 8. Ephes. II, 4. 5.* eleganter etiam φιλανθρωπία vocatur, *Tit. III, 4.* Idem vero hicce amor, dum mox *gratiae*, mox *misericordiae*, mox *benignitatis* nomine designatur, id ex varia eius ad homines, eorumque conditionem, oritur relatione. Diligenter autem considerandum, scripturam sacram saepius magna cum emphasi de hocce amore, seu gratia Dei, loqui, vt, cum Paulus τὸν ὑπερβάλλοντα πλοῦτον τῆς χάριτος commemorat; *Ephes. II, 7.* itemque, cum Deum πλούσιον ἐν ἐλέει *diuitem in misericordia*, dicit, *ib. v. 4.* & cum Zacharias τὰ σπλάγχνα ἐλέους θεοῦ *viscera misericordiae*

sericordiae Dei laudat, *Luc. I, 78.* Nec magnitudinem amoris diuini quisquam cogitationibus suis adsequutus fuerit; conf. *Ioan. III, 16.* Atque hinc demum, quantum sit salutis nostrae & principium, & fundamentum, intelligitur.

§. II.

Quemadmodum autem omnes omnino homines, nemine excepto, in Adamo lapsi, simulque hoc ipso mortis aeternae atque damnationis rei facti erant: ita Deus quoque omnium illorum, nemine excepto, misertus est, *Rom. XI, 32.* Quod cum & iustitiae & benignitati diuinae sit conueniens, scriptura insuper sacra tam luculenter testatur, vt hac de re nemini dubitare fas sit. Merito itaque gratia ista *vniuersalis* esse dicitur. *

* Quo sensu itaque gratiae diuinae vniuersalitas a nobis adseratur, nemini obscurum esse potest. Deum namque secundum voluntatem antecedentem serio velle, vt omnes omnino homines, qui aut vixerunt vmquam, aut viuunt, aut victuri sunt, a peccatorum sordibus purgati, aeternae participes fiant beatitudinis. Et bonitati quidem, seu, benignitati Numinis infinitae, hoc conueniens esse, nemo dubitauerit. Sed & iustitiae diuinae hoc postulare rationem, facile euincitur. Si enim Deus ex mero beneplacito quosdam solum homines seruare, reliquos aeternis cruciatibus addicere velit, & προσωποληψίας a se ipso damnatae exemplum praebebit, & iniquus in eos censebitur merito, qui damnantur; cum tantum penes eius voluntatem steterit, quod hi non magis, quam illi, ex summa ista, qua omnes circumsepti sunt, miseria eripiantur. Rati-

onibus vero hisce scripturae accedunt testimonia, *I. Tim. II, 4. Rom. XI, 32. II. Petr. III, 9. Ioan. III, 16. Ezech. XVIII, 23. 32. XXXIII, 11.*

§. III.

Serio itaque Deus, vt omnes homines ex ista miseria eriperentur, voluit; eademque benignitate ac propitio fauore inductus, de mediis quoque, quibus liberari ab ista miseria possent, sollicitus fuit; idque ea ratione, vt iustitiae simul diuinae satisfieret; quem in finem filium suum vnigenitum, qui hominum expiaret peccata, mittere, secum constituit, & suo tempore etiam misit; neue quidquam intermitteret, ea omnia conferre hominibus voluit, quae ab eo, vt fide vera meritum seruatoris adprehenderent, & ita salutem aeternam consequerentur, exspectare poterant. *

* Designantur itaque hic *actus*, vt vocari solent, *formales* gratiae diuinae; quorum *primus* est, quod voluntate, non *simplicis complacentiae*, sed *efficaci*, omnium hominum salutem velit, seu, quod non tantum hominum omnium salutem cupiat, sed omnia etiam, quae, vt eam secundum ordinem a se praescriptum obtinere queant, necessaria sunt, conferre velit, quoniam *proprio suo non pepercit filio, sed eum pro nobis omnibus dedit, Rom. VIII, 32. Secundus* est, quo Deus de medio, quo omnes homines ad salutem aeternam perduci possent, fuit sollicitus, & quidem de eiusmodi medio, quo iustitiae diuinae satisfieret. *Tertius*, quod filium suum vnigenitum redemtorem hominum dare voluerit, & re ipsa dederit, qui & pro hominibus legem impleret,

pleret, & illorum suo sanguine expiaret crimina, *psalm. XLIX, 8. Ioan. III. 16. Rom. V, 8. VIII, 32.* *Quartus* denique actus formalis est, quod Deus ea, quae ab ipsius parte postulari poterant, conferre velit, & conferat re ipsa, quae fidem, qua vnusquisque meritum Christi adprehendat, & hac ratione remissionem peccatorum, aeternamque salutem consequatur, in homine producere, fouere, conseruare possunt. Reliqua enim omnia si dedisset Deus larga manu, quantumuis sint maxima, parum tamen homini prodessent, nisi fide, ad bona ista oblata acceptanda, instructus esset.

§. IV.

Ortum hinc est *foedus* illud *gratiae*, quod in locum *foederis operum* successit, * & cuius fundamentum, pactum illud inter patrem & filium, de genere hominum redimendo, (si de rebus diuinis more humano loqui licet) recte statuitur. Filius namque in se recepit, quod natura humana indutus, pro hominum satisfacere peccatis, & omnia ea, quae iis ad salutem adipiscendam necessaria essent, suo sanguine illis promereri vellet; *psalm. XL, 9. Es. LIII, 4. 5. Ioan. III, 16. X, 18.* cui pater iterum regnum promisit, in omnes quidem homines, specialiori tamen ratione quadam in eos, qui crediturí essent in nomen eius, vsque ad saeculi consummationem, ab eo, ceu mediatore inter Deum & homines, exercendum; ** *psalm. II, 8. Es. LIII, 10. 12. Philipp. II, 9. 10. 11. I. Cor. XV, 24. 25. 28.*

* Cum enim homo per peccatum intime corruptus, viribus implendi legem prorsus destitueretur, pereundum illi fuisset, nisi misericordia diuina aliam rationem, per fidem scilicet in Messiam, salutem consequendi, proposuisset; quod & statim post lapsum factum, *Gen. III, 15.* Idque est, quod egregie Paulus nos coudocet: *Quod enim a lege fieri non poterat, quoniam ipsa in eo propter carnem infirma erat*, (hoc est, quoniam homo propter carnis infirmitatem, ex peccato ortam, eam implere non poterat, hinc enim τὸ ἀδύνατον τῷ νόμῳ, seu quod homo post lapsum salutem per eam consequi nequeat) *id Deus praestitit, misso suo ipsius filio in similitudine carnis peccati &c. Rom. VIII, 3.* Atque hinc discrimen inter *foedus operum & foedus gratiae* facile intelligitur. Etsi namque in vtroque eadem sit vitae aeternae promissio, eadem conditio, exacta scilicet legis impletio, atque obedientia perfectissima, idem quoque finis, bonitatis gloriaeque diuinae manifestatio; discrimen tamen in eo intercedit, quod in foedere gratiae Deus non tam vt legislator, aut remuneraturus opera, aut puniturus, quam vt pater benignus, misericordia & gratia sua miseris succurrens, spectetur; μεσίτην praeterea hocce foedus habeat, Christum, quo in foedere operum non erat opus; nec ab ipso homine perfectissima illa legis impletio & obedientia exigatur, sed ea vt praestanda, aut praestita spectetur a μεσίτῃ; vnde & summa eorum, quae ab homine requiruntur, in fide consistit, secundum illud: *qui credit, saluabitur; Marc. XVI, 16.* prout contra in foedere operum ipsa legis impletio ad finem obtinendum ab homine requirebatur, secundum illud: *qui fecerit ea homo, viuet in iis, Leuit. XVIII, 5. Rom. X, 4. 5. Gal. III, 12.*

** Eius-

** Eiusmodi, quale descripsimus, pactum inter patrem & filium, ceu fundamentum foederis gratiae, recte admitti, & res ipsa docet, & varia quoque scripturae dicta testantur. Atque ab hisce quidem vt incipiamus, luculenta sunt ipsius seruatoris verba: κἀγὼ διατίθεμαι ὑμῖν, καθὼς διέθετό μοι ὁ πατήρ μου βασιλείαν· *ego vero paciscor vobis, prout pactus est mihi pater meus, regnum, Luc. XXII, 29.* Nimirum Christus, vt verus Deus spectatus, regnum iam habebat, per aeternam a patre generationem; sed vt μεσίτης, seu sponsor consideratus, illud vi foederis, seu dispositionis cuiusdam, a patre obtinuit: adde *Ebr. VII, 22.* & *Gal. III, 17.* quo etiam omnia ea loca pertinent, in quibus Christus a patre missus, hominumque redemtor, rex, doctor constitutus adseritur, *Es. XLII, 1. 6. 7. XLIX, 6. 8. LV, 3. 4. 5. LIX, 21. Ez. XXXIV, 23. 24.* Eodem spectat, quod Deus *primogenitum in orbem terrarum induxisse, Ebr. I, 6. proprio suo filio non pepercisse, sed eum pro nobis omnibus tradidisse,* perhibetur; *Rom. VIII, 32.* Enimuero cum nemo tam omnis mentis expers sit, vt existimare queat, haec omnia seruatori inuito accidisse, vel eum veluti coactum talia in se suscepisse; nihil aliud supereſt, quam vt consensum quemdam patris atque filii, adeoque quoddam velut pactum inde concludamus. Et sane, quod neutiquam inuitus, sed lubens volensque, ad ea omnia peragenda accesserit, scriptura sacra itidem passim testatur, *ps. XL, 8. 9. Ioan. IV, 34. Philipp. II, 8.* Quod vero antea dixi, rem ipsam quoque hoc docere, quod recte pactum aliquod inter patrem & filium statuatur, id de officio Christi mediatorio, atque satisfactione pro hominum peccatis inde fluente, est intelligendum. Hoc enim vt positum est extra controuersiam per testimonia scripturae euidentis-

dentissima; *Es. LIII, 4. seq. Ioan. I, 29. I. Ioan. II, 2.* ita nemo etiam, nisi qui in Socinianorum, similiumque hominum castris militat, de eo dubitauerit. Res ipsa itaque si satis constet, non video, quid obstet, quo minus actus ille voluntatis diuinae, in patre pariter ac filio, ex quo haec omnia fluxerunt, instar conuentionis cuiusdam atque pacti, concipiatur. Recurrit enim hic iterum, quod antea diximus, Christum neutiquam inuitum aut coactum, sed lubentem volentemque, munus istud, morte sua hominum peccata expiandi, in se suscepisse. Solentque ideo in hocce pacto seu foedere speciatim considerari *contrahentes*, qui sunt, hinc pater, quem Christus *dominum* vocat, *ps. XVI, 2.* non excluso spiritu sancto; inde filius, quem pater *seruum suum* adpellitat; *Es. LIII, 11. lex foederis*, quae est, quod filius morte sua hominum expiare peccata, atque ita iustitiae diuinae satisfacere debeat, quam ipse seruator, *praeceptum* vocat, quod a patre acceperit, *Ioan. X, 18. XII, 49.* porro, *promissio de hereditate mundi*, seu regno per orbem vniuersum erigendo; *Es. XLIX, 6. 7. 8. psalm. II, 8. Luc. I, 32. 33.* legis denique, cum promissione a filio facta *acceptatio*, *psalm. XL, 7. 8. 9.* Neque acceptauit modo hancce legem foederis, sed adcurate per omnem vitam impleuit; *Gal. IV, 4. Ioan. XV, 10.* donec tandem vitae suae in hac terra curriculum claudens, diceret, τετέλεσται, *Ioan. XIX, 30.* Hinc & mercedem amplissimam consequutus est, *nomen super omne nomen:* (hoc est, summum, seu maximum) *vt ad nomen Iesu omne se genu flectat caelestium, terrestrium, & subterraneorum &c. Philipp. II, 9. 10.*

§. V.

Iam ad ipsum foedus gratiae quod attinet,

net, primo in eo considerandae veniunt *partes contrahentes*, Deus scilicet, atque homines. Et Deus quidem hic ita spectandus, prout sapientiam, iustitiam, cumprimis autem bonitatem & misericordiam suam, modo longe eminentissimo, manifestauit. Sed & ipsae trinitatis sacrosanctae personae diuersa ratione hic in censum veniunt: pater prout mundum in Christo sibi reconciliat; *II. Cor. V, 19.* filius, prout vnicus ille μεσίτης est, inter Deum & homines; *I. Tim. II, 5.* & spiritus sanctus, prout est ἀρραβὼν seu pignus illud, quo credentes de gratia atque fauore Numinis certiores redduntur, *II. Cor. I, 22.* Vnde simul patet, foedus hocce sine notitia mysterii trinitatis sibi non constare.

§. VI.

Homines autem hic considerantur, vt peccatores quidem, sed tales, pro quibus Christus satisfecit, & qui in foedus hocce gratiae recipiendi sunt, modo ipsimet beneficia, a Deo sponte illis offerenda, acceptare, nec proterue repudiare velint. Vnde & consequitur, hocce foedus neutiquam ad quosdam, absoluto quodam beneplacito electos, sed ex consilio diuino ad omnes homines pertinere; quod vero non omnes eius participes fiant, non aliunde prouenire, quam quod quam plurimi consilium istud diuinum de salute sua repudient; *Luc. VII, 30.*

§. VII.

Promissa huius foederis sunt, salus aeterna, seu summa, maximaque hominum beatitas, inchoanda quodammodo in hac vita, in altera autem ad fastigium perducenda; & omnia ea, quae ad eam consequendam sunt necessaria: vel, vt alii hoc paucis ex *ps. LXXXIV, 12.* efferunt, *gratia & gloria;* quod seruator ipse per ζωὴν καὶ περισσὸν eleganter exprimit, *Ioan. X, 11.* *

* Quod diximus, promissum huius foederis esse aeternam beatitudinem; hoc diserte seruator confirmat, quando, Deum ideo filium suum dedisse, ait, *vt omnes, qui in illum credunt, habeant vitam aeternam, Ioan. III, 16.* Licet autem in foedere quoque operum, vita aeterna legem seruantibus fuerit promissa, ingens tamen hic inter foedus operum, & inter foedus gratiae, intercedit discrimen. In illo namque beatitudo promittebatur, sub conditione perfectae obedientiae, quam etiam homo suismet ipse viribus praestare poterat. In hoc vero vita aeterna ita promittitur, vt simul resipiscentia, & fides, & reliqua, quae ad eam consequendam sunt necessaria, promittantur, modo homo Deo, per certa media haec conferre volenti, non resistat. Atque haec *gratiae* nomine venire solent, vt aeterna beatitas ipsa, *gloriae.* Etsi enim credentes iam in hac vita δόξαν quamdam, *gloriam* seu *claritatem* habeant, cum super eos τὸ τῆς δόξης πνεῦμα, *spiritus gloriae* quiescat; *I. Petr. IV, 14.* ea tamen, quam post hanc vitam exspectant, κατ' ἐξοχὴν ita adpellari solet. Atque ita foederis huius promissio tum *gratiam*, quae huius, tum *gloriam*, quae futurae vitae est, complectitur.

§. VIII.

§. VIII.

De conditione huius foederis si quaeras, talem, qua quis praestita, ius ad praemium postulandum, adipiscitur, non agnoscimus. Nihil namque aliud, quam meram gratiam hic conspicere licet, *Rom. IV, 4. 5.* Quidquid autem rationem conditionis vtcumque habere videtur, vt fides, & hinc fluens vitae sanctimonia, vti ad ordinem salutis spectat, ita inter beneficia diuina potiori iure referendum. *

* Vt homines in hocce foedus gratiae recipiantur, bonorumque a Deo promissorum participes fiant, fides omnino ab illis requiritur; *Marc. XVI, 16. Ioan. I, 12. III, 16. XX, 31.* Et sane, meritum Christi, quod totius nostrae salutis fundamentum est, non aliter, quam per fidem adprehendi potest, *Rom. III, 25.* Fides autem sine poenitentia, saltem in hominibus adultis, esse nequit, semperque cum vitae sanctae studio coniuncta est, *Iac. II, 17. Tit. II, 12. 13. 14.* Sed nihil ex hisce omnibus est, quod conditionis rationem habere queat. Conditio enim proprie sic dicta, eiusmodi praestationem denotat, ex qua ius ad postulandum praemium oritur. Eiusmodi vero praestatio ab hominibus in hocce foedere nec exigi, nec exspectari potest, cum ius ad vitam aeternam non in vlla nostra actione, sed in sola iustitia Christi fundetur, quippe qui nostri loco legem Dei perfectissime impleuit, *Gal. IV, 4.* & omnia ea, quibus ius hocce nobis adquiratur, abunde praestitit, adeo, vt in eo solo habeamus iustitiam, quae Deo placeat, *Philipp. III, 9.* Accedit vero, quod ea omnia etiam, quae, vt in foedus hocce recipi, & promissorum ei additorum participes fieri queamus, a nobis requiruntur,

runtur, cum in nostris viribus posita non sint, ex Dei benignissimi habeamus munere; cum ipse & respiscentiam, & fidem, & quae ex fide fluunt, bona opera, in nobis operetur; immo omnia, quae bona vocari possunt, *in nobis & incipiat, & perficiat, Philipp. I, 6.* Quae adeo *gratiae*, a Deo nobis promissae nomine veniunt. Ceterum, si quis vocem *conditionis* παχυλῶς accipere velit, vt ea ordo salutis a Deo praescriptus denotetur, nihil obstat, quo minus conditiones quaedam in foedere gratiae admittantur.

§. IX.

Nec comminationes peculiares habet hocce foedus gratiae; quippe quod ab eius indole prorsus abhorret; etsi ad comminationes legales, quae vim suam exserunt, si quis foedus gratiae acceptare nolit, cum obligatio legis neutiquam sit sublata, σχέσις aliqua singularis per istud accedat, dum illi demum condemnabuntur, qui gratiam hancce, in Christo seruatore oblatam, reiiciunt, repudiantque, *Marc. XVI, 16.* *

* Occurrunt sane in concionibus Christi, & apostolorum comminationes, quae peculiari quadam ratione ad foedus gratiae respicere videntur, qualis est: *qui non crediderit in filium, non videbit vitam aeternam, sed ira Dei manet super illum, Ioan. III, 36.* item, *qui non crediderit, condemnabitur, Marc. XVI, 16.* Sed, si paullo adcuratius cuncta expendantur, facile patebit, non ex foedere hocce gratiae, sed ex ipsa lege, hasce comminationes fluere. Gratiae enim diuinae opus est, quod foedus hocce hominibus offertur; nec tamen liberum plane, integrumque homini est, num acceptare illud velit, an non.

non. Lex enim, cuius obligatio per hocce foedus non est sublata, iubet, vt media salutis ambabus amplectamur manibus; cum vel ipsa ratio omnes condoceat, nullam occasionem, felicitatem suam promouendi, alicui esse negligendam. Quodsi itaque homo haecce salutis media respuat, primo quidem sibi ipsi imputabit merito, quod semper miser maneat; deinde, migratae hoc ipso legis diuinae poenam dabit longe iustissimam. Nihil itaque istorum malorum, quae incredulos manent, ex foedere gratiae, aut ex euangelio; quippe quod tantum gratiam diuinam hominibus adfert, sed omnia ex ipsa lege, quae immorigeros, & in perniciem suam, vt insani & mente capti solent, ruentes, puniri iubet; conf. *Rom. II, 6. seq. II. Thess. I, 6. seq.* Accedit sane ad reliqua peccata, quibus homines iam ceteroquin immersi sunt, nouus velut quidam cumulus, contemtus tam immensi fauoris, maximorumque beneficiorum adspernatio, simulque ingrati animi, quod vel maxime detestabile censeri solet, crimen. Hinc & poenas maiores, grauioresque, subituri sunt impii & increduli, quam subituri fuissent, si ista Deus iis non obtulisset beneficia. Quod quidem licet occasione euangelii, seu foederis gratiae fiat, non tamen directe ex euangelio, sed itidem ex lege fluit, vitia ista atque peccata damnante, poenasque iustissimas in ea statuente.

§. X.

Habet foedus hocce gratiae simul indolem, rationemque *testamenti*, quo nomine & in scriptura sacra subinde venit. Vt enim credentes in Christum bona a Deo promissa consequerentur, mors Christi, ceu sponsoris, seu testatoris, accedere debuit.

debuit. Vnde & intelligitur, ad receptas foederum humanorum leges, vti nec generatim diuina, ita multo minus hocce gratiae foedus exigendum esse. *

* In negotiis humanis ingens inter *foedus* & *testamentum* intercedit discrimen; cum foedus sit actus διπλευρος, ad quem vtriusque consensus requiritur; testamentum contra actus μονόπλευρος, in quo ad voluntatem testatoris res cuncta redit. Praeterea, foedus inter viuentes subsistit, exspirat alterutro mortuo; testamentum autem per mortem testatoris demum suum valorem consequitur. Sic & in testamento, viuente, qui illud condidit, nulla fit dominii translatio, sed eo mortuo; quamuis non obstet, quo minus testator possit, si velit, in gratiam quorumdam heredum, significare sententiam testamenti adhuc clausi, & super bonis testamento relictis, quae non nisi post mortem competerent, disponere inter viuos pro sua liberalitate; quam tamen promissionem cum heredes instituti expresse vel tacite acceptarunt, fit inde contractus verus, vel quasi talis. At in foedere vix vmquam, nisi viuente eo, quocum paciscimur, dominium transfertur, saltem mors eius vt intercedat, necesse non est. Haec vero si ad diuina transferamus, etsi neutiquam omnia ibi ad foederum humanorum leges sint exigenda; *legale* nihilosecius illud, seu operum, rectius, citra omnem controuersiam *foederis*, quam testamenti nomine venit. At *gratiae* contra foedus ita comparatum est, vt in quibusdam *foederis*, in quibusdam *testamenti* rationem prae se ferat; hinc & pro actu, ex foedere & testamento mixto, seu composito, recte habetur; quemadmodum & a quibusdam *foedus testamentarium*, seu *testamentum foederale*, salutari solet.

Dari

Dari autem eiusmodi actus mixtos, seu compositos, agnoscit, docetque VLRICVS HVBERVS, in *dissertationibus iuridico-theologicis, de testamentis, foederibus &c. exercitat. I. §. III. p. 5.* Testamenti sane indolem in quibusdam hocce foedus referre, eo minus negari potest, quo apertius id Paulus docet, *Ebr. IX, 15. 16. 17.* vbi id cumprimis vrget, quod testamentum demum post mortem testatoris ratum sit. Nec opponi nobis potest vox διαθήκη, quippe quae non minus *testamentum* significat, quam *foedus*, quod ex optimae notae scriptoribus graecis probat GVIL. BVDAEVS *commentar. graecae linguae, p. m. 629.* Certe aliquando in libris sacris pro *foedere* vsurpari, negari nequit, subinde tamen & per *testamentum* recte vertitur; vt *Matth. XXVI, 28. Marc. XIV, 24. Luc. XXII, 20. I. Cor. XI, 25. Gal. IV, 24. seq. Ebr. VII, 22. VIII, 6. IX, 15. X, 16. XII, 24. XIII, 20.* Sed & foederibus subordinatis itidem testamenti nomen ex scripturae sacrae vsu recte tribuitur, cum in veteri quidem mors symbolica & vicaria, quae tamen ex morte testatoris sequutura, vim omnem accipiebat, interceſſerit; in nouo autem ipsa testatoris morte sanctio illa foederalis fuerit confirmata. Quamquam &, vt antea iam obseruauimus, ante mortem testatoris, per singularem eius dispositionem, quibusdam heredibus bonorum possessio obtingere queat; quod in veteri testamento ita se habuit. Obseruanda haec sunt contra eos, qui foedus gratiae minus recte testamentum dici existimant; quos inter & SAMVEL PVFENDORFFIVS est, in *iure feciali diuino*, §. *XLVI. p. 166. seq.*

§. XI.

Doctrina de isto foedere gratiae *euangelii* nomine venire solet. Nec enim aliud

ud quid voce hac denotatur, quam *concio gratiae*, seu doctrinae de gratia Dei, gratuitaque remissione peccatorum, illis conferenda, qui meritum Christi vera fide adprehenderint. Vnde & discrimen, quod inter *legem* & *euangelium* intercedit, intelligitur. *

* Etsi euangelium in nouo testamento illustriori quadam ratione hominibus patefactum, & a Christo atque apostolis adnuntiatum sit: cum tamen foedus ipsum gratiae, de quo euangelium testatur, a Deo cum primis parentibus statim post tristem illorum lapsum initum sit, euangelii inde simul repetendam esse primam originem, patet. Hinc vero & cognoscitur, non commodiori alio, quam hoc ipso loco, tractationem de euangelio institui, eiusque insimul a lege discrimen ostendi. Ab ipsa itaque voce *euangelii* vt ordiamur, recte iam in *formula concordiae*, speciatim *solida eius declaratione*, *art. V. p. 710.* obseruatum est, duobus modis *tum in sacris litteris*, *tum in veterum ac recentiorum scriptis*, eam accipi. Vno enim modo, ita porro docetur, totam Christi doctrinam significat, quam ministerio suo in his terris proposuit, & in nouo testamento proponendam praecepit; qua quidem ratione Christus legis explicationem, & adnuntiationem clementiae & gratiae Dei, patris sui caelestis, complexus est. Atque ita *Marc. I, 1.* sumitur, quando dicitur: *euangelium Iesu Christi, filii Dei*; cum ex sequentibus pateat, omnem doctrinam Christi, de poenitentia pariter ac remissione peccatorum, significari. Pari ratione, cum Christus euangelium omnibus adnuntiare iussit, *Marc. XVI, 15.* hoc de poenitentia pariter ac remissione peccatorum explicatur, *Luc. XXIV, 47.* quae totius

tius doctrinae a Christo propositae summa est. Ea itaque vocis huius notio, de qua hactenus diximus, latior illa est, qua non tantum doctrinam de gratia & remissione peccatorum, sed & de poenitentia, adeoque & de lege, significat. Atque hinc, quaenam altera, seu strictior sit, intelligitur: quando scilicet tantum doctrinam de gratia Dei, & remissione peccatorum, denotat, cui vocis acceptioni, quam & res ipsa comprobat, origo quoque eius fauet, cum εὐαγγέλιον *bonum laetumque nuntium* denotet. Neque sane laetius quidquam aut gratius hominibus, ob peccatorum grauitatem summo dolore perfusis, obtingere potest, quam illa gratiae diuinae, remissionisque omnium peccatorum, per meritum Christi, adnuntiatio. Rem ergo ipsam si spectes, euangelium est doctrina de gratia Dei & remissione peccatorum, per meritum Christi credentibus in eum conferenda; quae & summa est foederis gratiae, de quo hactenus verba fecimus. Licet vero hac ratione euangelium non minus ac ipsum foedus gratiae, ad eos pariter, qui ante, quam qui post Christum natum vixerunt, pertineat; ad hos tamen interdum, tum ob ampliorem, illustrioremque patefactionis gradum, tum ob Messiam iam exhibitum, specialiori quadam ratione referri solet. In scriptura sacra euangelium variis nominibus & epithetis insignitur. Vocatur enim εὐαγγέλιον Χριστοῦ, *Rom. I, 16.* quod & ab ipso seruatore adnuntiatum sit, & de illo, atque salute per eum impetranda, praecipue agat: item, εὐαγγέλιον θεοῦ, *Rom. I, 1.* quod Deum auctorem habeat; εὐαγγέλιον τῆς εἰρήνης, *Eph. VI, 15.* quod homini pacem cum Deo reddat, seu eum per sanguinem, meritumque Christi, Deo iterum conciliet; denique & εὐαγγέλιον δόξης, *euangelium gloriae, I. Tim. I, 11.* quia per illud credentes in Christum

τὴν δόξαν, qua omnes post lapsum destituuntur, *Rom. III, 23.* recuperant.

§. XII.

Oblatum hominibus a Deo hocce foedus gratiae fuit statim post primorum parentum lapsum, in promulgatione τῦ πρωτευαγγελίȣ, *Gen. III, 15.* Nec ad solos electos, sed omnes omnino homines, istam per conculcationem capitis serpentini, liberationem, redemtionemque adeo a peccato, & potestate diaboli, ex intentione Dei, pertinere, res ipsa, & adcurata verborum istorum consideratio, facile quemuis condocebit. *

* Promulgatum fuisse foedus gratiae per protcuangelium istud, vt vocari solet, *Gen. III, 15.* longe est manifestissimum. Etsi enim ibi capitis tantum serpentini conculcatio, hoc est, potestatis, quam infernalis genius sibi arrogauerat, destructio commemoretur, haec tamen non poterat non cum ipsa hominum liberatione esse coniuncta; quemadmodum haec sine irae diuinae placatione, peccatorumque expiatione fieri nequit. Hinc & eadem ratione de hominum redemtione Ioannes loquitur, *Christum venisse*, dicens, *vt opera diaboli destrueret*, *I. ep. III, 8.* conf. & *Ebr. II, 14. 15.* Atque ex hac ipsa capitis serpentini conculcatione facile cognoscitur, quisnam per *semen mulieris* hic intelligatur; non alius scilicet, quam qui opera diaboli destruere potuit, hoc est, Messias. Et is quidem recte κατ' ἐξοχὴν *semen mulieris* dicitur, eo quod inter omnes ex muliere ista, seu Eua, natos, longe est praestantissimus. Nec insolens, vt vox *seminis* hac ratione accipiatur. Sic, licet omnes Abrahami posteri *semen eius* dicantur, speciatim tamen ille, qui fons futurus erat omnis benedictionis, hocce

hocce nomine venit: *in semine tuo benedictae erunt omnes gentes terrae, Gen. XXII, 18.* Quod Paulus ipse explicat, ὅς ἐστι χριστός, *quod semen est Christus, Gal. III, 16.* Accedit porro, quod solus natus sit ex semine mulieris, non viri; *Es. VII, 14.* adeoque mulierem quidem matrem habuerit, *factus ex muliere, Gal. IV, 4.* nullum vero virum patrem, quippe ἀπάτωρ, *Ebr. VII, 3.*

§. XIII.

Promulgatio ista euangelii, eiusque deinceps facta repetitio, cum simul cum vocatione quadam, ad foedus hocce gratiae acceptandum, fuerit coniuncta, & ita quoque comparata, vt summa eius ad omnes omnino homines peruenire potuerit; recte inde concluditur, vocationem istam ad omnes pertinere homines, adeoque vniuersalem esse. *

* Deum namque per istam euangelii promulgationem Adamo factam, simul in Adamo omnes omnino homines ad foedus hocce gratiae acceptandum vocasse, palam est. Hinc vero cum ista, de semine mulieris promissio, ab Adamo ad Sethum, & sic porro per reliquos patriarchas, ad Noachum vsque rite sit propagata; nemo quoque dubitauerit, quin notitia istius euangelii ad omnes ante-diluuianos homines peruenire potuerit, atque peruenerit. Idem deinceps per humani generis restauratorem Noachum, ceterosque patriarchas, Abrahamum, Isaacum, Iacobum, factum. Qua de re eo minus dubitandum, quia nouis subinde promissionibus Deus primam illam de semine mulieris non tantum confirmauit, sed magis illustrauit, declarauitque. Et, licet foedus cum Abrahamo initum particulare fue-

rit, adque eum ac posteros eius speciatim pertinuerit; inde tamen non sequitur, vt ipsam euangelii doctrinam, ad alios quoque non propagauerint, aut propagare debuerint. Certe non minus seruos suos, quam filium Ismaëlem, Abrahamus circumcidit; *Gen. XVII, 23.* quos &, quin notitia promissionum diuinarum imbuerit, non est quod dubitemus. Horum autem plurimi cum facile hinc inde dispergi potuerint, diuinarum quoque promissionum notitia ad alias simul gentes per eos propagari potuit. Sed inter reliquos quoque Noachi posteros fuisse, qui traditionis ab eo propagatae fuerint tenaces, vel Melchisedeci exemplum nos condocet; cuiusmodi viros pietate, & recta in Deum fide conspicuos, hinc inde exstitisse, a vero non abhorret. Atque per hos vti doctrina ista de semine mulieris conseruata fuit, atque propagata; ita Deum hac ratione istius aetatis homines, ad foedus hocce gratiae amplectendum, vocasse, inde constat. Quod deinde cum gente israëlitica Deus pepegit foedus, itidem particulare equidem fuit; nec tamen hoc ita capiendum, ac si Deus reliquas gentes omnes a salute aeterna hoc ipso exclusas voluerit. Absit! quin potius, quae ad ipsam essentiam veraereligionis, foederisque gratiae caput praecipuum, spectabant, communia remanebant Israëlitis cum ethnicis; ita quidem, vt non minus hi, quam illi per fidem in semen mulieris, seu Messiam, salutem consequi possent. Immo tantum abest, vt foedus hocce, cum gente israelitica initum, vocationi vniuersali omnium hominum obstiterit, vt haec potius per illud maxime fuerit promota. Quemadmodum enim per istud foedus doctrina de Messia, quae summa est foederis gratiae atque euangelii, in ipsa gente israëlitica eo certius & conseruata, & propagata fuit; ita varia, quae gens ista experta est, fata occasionem praebuerunt, vt inter

alias

alias gentes, apud quas memoria euangelii aut obscurata, aut oblitterata erat, eius notitia renouaretur. Quae enim Israëlitis cum Aegyptiis, Phoenicibus, aliisque populis intercesserint commercia, satis notum est. Hinc vero cum primum per assyriacam, tum & per babylonicam captiuitatem Israëlitae atque Iudaei per vniuersum fere terrarum orbem dispersi essent, doctrinae simul, quam profitebantur, notitia ad easdem gentes peruenire potuit; immo, quin peruenerit, vix est, quod dubitemus. Certe, cum deinceps per apostolos euangelium vndique adnuntiandum esset, commodum perquam illis fuit, quod hinc inde inter gentes non tantum synagogas Iudaeorum, sed proselytos quoque quam plurimos offenderent. Plurimum enim ea res ad diffundendam breui temporis spatio euangelii doctrinam contulit. Et ea quidem ratione, aliisue modis, cum Deus in veteri testamento cuncta sapienter ita disposuerit, vt subinde apud ethnicos etiam euangelii notitia renouaretur; longe tamen luculentius hoc factum in nouo testamento, cum primum per apostolos, per vniuersum fere terrarum orbem, lux quaedam huius doctrinae spargeretur, magis magisque deinceps excitanda, atque diffundenda latius. Quae omnia qui rite pensitauerit, de vniuersalitate vocationis diuinae neutiquam dubitabit. Vt vero eo adcuratius tota haecce a nobis pertractetur quaestio, quod de *vocatione* Dei dicitur, vel de *externa*, vel de *interna* intelligi posse, obseruandum est. Externam iterum vel *verbo naturae*, vel *verbo reuelationis*, quod in scriptura sacra hodie legimus, fieri, nonnulli contendunt. Verum quantumuis haec, quae ex operum naturae consideratione oritur, vocatio, minime spernenda sit, quia tamen ad seruatoris cognitionem non ducit, ad salutem consequendam non sufficit, adeoque hic minime in censum venit. De

ea itaque nunc loquimur vocatione, quae fit *verbo reuelationis*, quod Deus ipse primum parentibus nostris primis adnuntiauit, hinc subinde nouis reuelationibus declarauit, quodue per patriarchas, prophetas, apostolos, ita propagatum, atque per orbem diffusum fuit, vt nemo exsistat, ad cuius notitiam non potuerit vtcumque peruenire. Quae quidem vocatio cum *externa* sit, *interna* tamen semper cum ea est coniuncta, cum verbum diuinum coniunctam secum habeat vim diuinam, homines mouendi, conuertendi, illuminandi, fidemque in illis producendi, modo ipsimet eam non impediant, quo minus sese exserere queat. Vniuersalem vero hanc esse vocationem, tum ex hactenus dictis patet, tum ex gratiae quoque diuinae vniuersalitate intelligitur. Vana namque atque ludicra esset ista omnes homines saluandi voluntas, nisi media quoque ad salutem perueniendi omnibus proponerentur. Pari ratione & ea scripturae huc pertinent testimonia, quae regnum Christi per vniuersum terrarum orbem erigendum, describunt; *psalm. II, 8. LXXII, 8. Es. II, 2. 3. XI, 9. XLII, 4. 10. 11. Zachar. IX, 10. &c.* Ne quid nunc de mandato, apostolis, de euangelio omnibus gentibus adnuntiando, dato, dicam, cui etiam eos gessisse morem, tot gentes ab illis per orbem vniuersum conuersae, & ad seruatoris veram agnitionem perductae, tot ecclesiae hinc inde ab illis plantatae, testantur; conf. *Matth. XXIV, 14. XXVIII, 18. 19. actor. XVII, 30. 31. Rom. X, 18.* Dum autem vocationis vniuersalitatem adstruimus, non ita hoc intellectum cupimus, ac si omnibus ac singulis hominibus, actu doctrina euangelii adnuntiari debeat, aut tempore apostolorum adnuntiata fuerit; sed mens nostra est, Deum numquam non, praesertim vero circa initium noui testamenti, curasse, vt doctrina haecce longe lateque per orbem spargeretur,

ita

ita vt omnes homines, praesertim, qui vsu rationis praediti, luminis naturalis paedagogia, ac manuductione rite vsuri essent, ad euangelicae veritatis cognitionem peruenire possent. Vnde simul patet, fieri omnino posse, & factum etiam esse, vt vno tempore maior lux doctrinae huius hominibus adfulgeat, quam alio; rursus vt vni genti maiori copia, & abundantiori mensura eam largiatur Deus, quam aliis; immo &, vt in vna gente diutius conseruetur, quam in aliis. Quae omnia dum expendimus, nihil aliud nobis relictum, fateamur necesse est, quam vt *vias Dei incomprehensibiles, & iudicia eius imperscrutabilia*, cum Paulo *Rom. XI, 33.* venerabundi admiremur. Interim illud sartum tectumque maneat, quamuis multa hic occurrant, ad quae ratio obmutescit, Deum tamen nemini notitiam, quae salutaris ei esse queat, denegare, & si qui actu etiam praeter culpam suam, vti quandoque videri potest, notitia ista priuentur, hoc ex quibusuis potius aliis caussis, quantumuis nobis ignotis, prouenire, quam ex absoluto quodam praedestinationis decreto.

§. XIV.

Vnica ergo cum haecce esset post lapsum ratio, perueniendi ad salutem; *actor. IV, 12. XV, 11.* mutari quoque hocce foedus non potuit, nec mutatum vmquam est: etsi, qua περιστάσεις quasdam externas, diuersas dispensationes, quae & oeconomiae vocari solent, subierit. Tria namque eius interualla, in quibus diuersa eius facies adparuit, obseruare licet; quorum primum tempus illud, quo patriarchae vixerunt, ad Mosen vsque; alterum, a Mose vsque

ad Christum; tertium denique, a Christo, vsque ad saeculi consummationem, complectitur. Duo priora interualla quibusdam *veteris*, vltimum *noui testamenti*, nomine venire solent; quamuis aliis medium illud specialiori quadam ratione, *veteris testamenti* nomine designetur. *

* Quae posterior significatio comprobari potest ex *Ierem. XXXI, 31. 32. Ebr. IX, 18. 20. Gal. IV, 24.*

§. XV.

In primo isto interuallo, quod patriarchale dicere liceat, doctrina istius foederis per patriarchas, aliosque viros sanctos, propagata, & per sacrificia diuinitus instituta, & ab omnibus, quantum constat, orbis gentibus recepta, exhibita fuit. * Nec aliud quidquam accessit, quam foedus illud particulare, cum Abrahamo initum, cui Deus circumcisionem, ceu sigillum foederis addidit; vnde & primum, quod iure meritoque hocce nomine venit, sacramentum. **

* A patriarchis, aliisque hominibus sanctis, qui ante Mosen vixerunt, hancce, de semine mulieris doctrinam, quae summa est euangelii, seu foederis gratiae, propagatam, eo minus dubitandum, quod subinde ipsimet fidem suam hac de re testimoniis apertissimis prodiderunt. Eua ipsa, omnium hominum mater, eamdem testabatur, quando primogenitum suum enixa exclamabat, קניתי איש את יהוה *adquisiui virum dominum: Gen. IV, 1.* Ita enim merito haec verba, cum interpretibus eruditissimis, reddimus,

dimus, cum praegnans ratio, cur aliter reddenda sint, adferri nequeat. Vnde sponte sua sequitur, eam iisdem suam de Messia fidem declarasse. Sed illud etiam sequitur, illam credidisse, Messiam non hominem tantum, sed & Deum fore; cum sensus istorum verborum sit, *ego vera fide possideo iam illum virum, qui simul erit dominus, verusque Deus.* Neque enim ad ipsum Cainum haec verba referenda sunt, quae quorumdam est sententia, sed in natiuitate Caini primam humani generis multiplicationem cernens Eua, & hinc argumentum spei suae de semine κατ' ἐξοχήν suo tempore oriundo, sumens, suam de ipso Messia fidem profiteri hac ratione voluit. Non praetermittendum quoque nonnulli censent, quod eadem Eua, alium postea filium enixa, eum Sethum appellauerit, quia שת *posuit*, inquit, *mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain, Gen. IV, 25.* Nimirum, dum illum *semen* vocat, respicere eam ad promissionem existimant, de semine, caput serpentis conculcaturo, simulque praedicere, fore, vt eximium illud semen ex eo prodeat. Vti autem soli Deo hoc semen fert acceptum, ita illud a Deo non modo datum, sed *positum* profitetur, hoc est, Dei consilio firmatum, vt in eius posteris vera ecclesia, doctrinam de semine mulieris sancte custoditura, propagaretur. Id sane per Sethi posteros factum constat, docetque Moses, cum de Enoso, Sethi filio faciens verba, dicit: אז הוחל לקרא בשם יהוה *tunc coeptum est, vocari in nomine domini; l. c.* Quae verba licet non vna explicentur ratione, hoc tamen certum, exploratumque, significari iis, tempore Enosi, adeoque haud dubie eius quoque ope atque ministerio, aliquid contigisse, quo cultus Numinis, ad fidem in Messiam praecipue spectans, illustrior, magisque conspicuus factus est; quocum etiam maior

piorum ab impiis separatio coniuncta fuisse videtur. Henochum, qui septimus fuit ab Adamo, prophetasse, atque dixisse: *ecce, venit dominus cum sanctis millibus suis, vt ferat iudicium, aduersus omnes, & redarguat, quicumque ex ipsis sunt impii &c.* Iudas apostolus auctor est, *ep. v. 14. 15.* Vbi per *dominum* non sine ratione ipsum Messiam viri docti intelligunt, quippe cui *a patre omne iudicium traditum est, Ioan. V, 22.* quiue suo tempore veniet, in *nubibus caeli*, ad iudicandum terrarum orbem, & *omnes angeli sancti cum illo; Matth. XXV, 31.* Posse autem hoc non tantum de aduentu Christi ad extremum iudicium, sed & de aduentu eius in carnem, itemque, de aduentu ad ferendam legem in monte Sinai, accipi, nonnullis obseruatum est. Haec ergo si praedixit, & adnuntiauit Henochus, quis dubitet, doctrinam de semine mulieris, seu Messia, ab eo propagatam? Accedat his Lamechus, cui, cum natus esset filius, eum נח *Noach* adpellari voluit, dixitque, זה ינחמנו *hic consolabitur nos de opere nostro, & de dolore manuum nostrarum, de terra cui maledixit Iehoua, Gen. V, 29.* Quae quidem verba non tam rationem continent, ex etymo nominis petitam, cum verbum נוח, vnde Noachi nomen descendit, *quiescere* significet; quam alluſionem quamdam, in re ipsa, & sono vocum admodum similium, fundatam. Neque a filio hocce solatium, quod tam anxie expetebat, & optabat Lamechus sibi pollicebatur, sed ab ipso Messia, seu semine mulieris, cuius aduentum natiuitas filii istius illi in memoriam reuocabat. Certe, ad primorum parentum lapsum, hinc & semen mulieris, post illum lapsum, iis promissum, eum respexisse, verba haec: *in terra, cui maledixit Iehouah*, nos minime dubitare sinunt. Ista enim maledictio, poenae, primis parentibus

post

post lapsum denuntiatae, partem constituebat, *Gen. III, 17.* Nonnulli equidem ad ipsum Noachum haec verba referunt, sed ita, vt in eo errasse Lamechum censeant, quod filium huncce suum pro Messia habuerit. Et fieri sane potuit, vt nimio desiderio videndi Messiam occupati, homines pii in adplicatione aberrarent; quod & nostram non euertit, sed confirmat potius sententiam, de doctrina hacce per illos eo tempore propagata. Sed conuenientius tamen videtur, si dicamus, filiorum natiuitatem, Messiae aduentum illis in memoriam reuocasse, vt semper de eo cogitarent, non minus & libenter loquerentur, simulque eiusmodi confessiones illis elicuisse, quibus suam fidem palam profitebantur. Ad ipsum vero Noachum quod attinet, eum Petrus κήρυκα δικαιοσύνης, *praeconem iustitiae*, adpellitat, *II. ep. II, 5.* Quo ipso significat, eum factis & verbis suae aetatis homines ad iustitiam, quae Deo placeat, erudiuisse; quod quidem sine Messiae venturi fieri notitia non potuit, cum is solus sit, per quem iustitiam, quae Deo probetur, obtineamus. Illustre vero etiam ipsius Noachi de Messia, eiusque regno, exstat vaticinium, *Gen. IX, 26.* vbi, eum per *Deum dominum Semi* ipsum intelligere Messiam, rationibus minime contemnendis probari potest. Ad reliquos patriarchas quod attinet, qui post diluuium ad Mosen vsque vixerunt, speciatim Abrahamum, Isaacum, & Iacobum, quo plures, quoue illustriores a Deo de Messia, ex illorum semine nascendo, acceperunt promissiones, eo minus dubitandum, hancce de Messia doctrinam praecipuum in eorum religione fuisse caput. Quo insignior etiam illorum fuit pietas, eo maiorem eos adhibuisse in hacce doctrina sancte custodienda, conseruanda, atque propaganda, diligentiam, vt credamus, par est. Quae cum satis nota sint, vt aliquid addamus, necesse non est.

Hoc

Hoc saltem monendum, praecipuum, quo in hocce interuallo haec doctrina conseruata, & propagata sit, medium fuisse sacrificia. Eo enim haec spectasse, vt sacrificium, ceu mortem cruentam Messiae exhiberent, non dubitabit, qui secum cogitauerit, Christum eum esse, qui *suo sanguine in sanctum intrauit, vt aeternam redemtionem inueniret; Ebr. IX. 12, qui se ipsum obtulit, vt multorum auferret peccata; ibid. v. 28. qui vnica oblatione consummauit in perpetuum eos, qui sanctificantur; cap. X, 14.* Vti vero vel Abelis & Caini exemplo constat, sacrificiorum vsum longe esse antiquissimum; *Gen. IV, 3. 4.* ita non minus notum, eumdem longe lateque per orbem vniuersum fuisse diffusum. Cuius rei non alia ratio reddi potest, quam quod a primis parentibus, tum porro a Noacho, huncce per sacrificia Deum colendi morem, & cum eo doctrinam de Messia acceperint. Idque sapientissimo Dei instituto; cum per ritus externos omnium constantissime doctrina quaedam propagari ac conseruari queat; licet hominum incuria atque negligentia plerumque fiat, vt externis tantum adhaerescant, missis internis, seu eo, quod caput caussae est; quod & in sacrificiis factum, quae equidem quam diutissime retinuerunt, cum vera de Messia doctrina, ob quam illa instituta erant, dudum esset oblitterata. Et ita, dum neglecto nucleo, corticem homines amplectuntur, fieri aliter nequit, quam vt vera religio in turpem tandem degeneret superstitionem.

** Foedus hocce, quod Deus cum Abrahamo iniit, quodue *Gen. XVII, 7. seq.* describitur, primum fuit, quod foederi vniuersali gratiae accessit. Illud enim, quod Deus cum Noacho, eiusque posteris pepigit, *Gen. IX, 11. seq.* longe alterius generis est, & eo solum pertinuit, vt homines certio-

res

res redderentur, orbem huncce numquam in posterum diluuio quodam vniuersali perdendum esse. Fuit tamen idem hoece foedus, cum Abrahamo initum, particulare, ad posteros eius tantum pertinens; cui adeo & promissiones particulares adiectae erant; quibus vti Abrahamo, eiusque posteris ἐξοχὴν quaedam, prae reliquis orbis gentibus conciliabatur, ita neutiquam foedus gratiae ipsum ad eos solos restringebant, ac si reliquis gentibus, a foedere hocce particulari alienis, aeternum pereundum fuisset. Memorabile autem maxime in hocce foedere est, quod Deus circumcisionem, ceu sigillum atque firmamentum eidem addiderit. Primum enim in ea sese nobis offert sacramentum proprie sic dictum. Originem eius a Deo ipso repetendam, institutio, quae *Gen. XVII, 7. seq.* legitur, nos minime dubitare sinit: quippe quam peractam fuisse amputatione praeputii, Ebraeis ערלה, graecis autem veteris testamenti interpretibus, & scriptoribus noui, ἀκροβυστία, dicti, etiam constat. Fiebat vero ista amputatio cultro quodam acuto, ex quacumque materia, ad sectionem apta, facto. Certe instrumentum, quo Zippora filium suum circumcidit, Moses ipse צור vocat, quo acutum silicem significari, ex *Ios. V, 2.* recte colligitur, quippe vbi Iosua ad populum circumcidendum חרבות צורים hoc est, vt LXX interpretes habent, μαχαίρας πετρίνας, *cultros siliceos*, fecisse dicitur. Praeputium porro illud, tamquam elementum sacramenti huius externum, vna cum amputatione, ceu actione circa illud occupata, theologis *materiale* circumcisionis dicitur, quemadmodum ipsum verbum institutionis, quod *Gen. XVII, 11.* exstat, *hoc est foedus meum*, prout ad actum circumcisionis adhibebatur, *formale* vocare solent. Nullum vero

est

est dubium, quin Deus ritum huncce circumcisionis rerum quarumdam spiritualium voluerit esse symbolum. Quae si recte ponderentur, tam praestans hocce nobis adparebit institutum, quam illud in se spectatum, contemnendum, & fere pudendum videri poterat. Primo namque eodem summa hominum significabatur miseria, ex labe ista originali, quae omnibus inhaeret, oriunda, quaeue membro isto, quod circumcidebatur, per carnalem scilicet generationem, propagatur; *Ioan. III, 6.* Scriptura ipsa hoc testatur, quando subinde *praeputium cordis*, vel *cor incircumcisum* memorat; *Deut. X, 16. Ierem. IV, 4. Leuit. XXVI, 41. Ierem. IX, 26.* Quam inuiti autem homines ad id accedant, vt vitia sua exuant, prauisque nuntium mittant cupiditatibus, dolorifica illa partis carneae abscissio nos condocere potest. Significabatur porro hocce ritu aduentus Messiae, ex posteritate Abrahami, licet neutiquam carnali modo, nascituri. Ex Abrahamo enim iam circumciso nascturus erat Isaacus, *Gen. XVII, 16.* pater seminis istius benedicti, siue Messiae, qui suo sanguine hominum expiaturus erat peccata. Quae quidem sanguinis effusio itidem circumcisionis ritu indicabatur. Ex qua etiam hoc intelligebatur, eum eiusdem nobiscum sanguinis, atque carnis participem futurum; *Ebr. II, 14.* quin & eum daturum nobis abscissionem carnis peccati, per regenerationem & sanctificationem. Namque huc itidem circumcisionem spectasse, apostolus nos dubitare non sinit, *Coloss. II, 11.* De ministro circumcisionis, seu eo, qui circumcidendi munere fungi debuerit, nihil equidem diserte a Deo constitutum est. Interea ipsum Abrahamum & semet, & Ismaëlem filium, & seruos, qui in eius familia erant, circumcidisse, ex *Gen. XVII, 23. 24.* condiscimus. Idem deinceps reliquos

reliquos patriarchas feciſſe, eo minus dubitandum, quod ſacra inter ſuos adminiſtrare, iis ſollemne eſſet. Quae ſacrorum adminiſtratio, cum deinceps in gente iſraëlitica ad tribum Leui, ſpeciatim autem ad ſacerdotes, translata eſſet, ab hiſce eo tempore circumciſionem peractam, recte adfirmatur. Praeter ordinem tamen, & vrgente neceſſitate, etiam ab illo, qui non erat ſacerdos, immo, & a femina circumcidi potuiſſe puerum, ex Zipporae exemplo *Exod. IV, 25. 26.* colligitur. Quod ſi quaeras, quinam itaque circumcidendi fuerint? reſpondetur, non ſoli Abrahamo & Iſaaco, ſed Abrahamidis omnibus, ſiue ex Sarah, ſiue ex Agare, ſiue ex Ketura oriundis, omnibus porro domeſticis eius, etiam emtitiis, & alienigenis, circumciſionem imperatam fuiſſe; *Gen. XVII, 25. 26. 27.* Nec obſtat, quod *l. c. v. 16. 19.* foedus cum Abrahamo initum, ad Iſaacum, eiusque poſteros, reſtringi videatur. Exinde enim hoc ſolum ſequitur, ſpecialiori quadam ratione, cumprimis, qua promiſſionem de Meſſia, ex ſemine Abrahami naſcituro, foedus hocce ad Iſaacum, eiusque poſteros, ſpectaſſe; Iſmaëlem, & liberos, quos Abrahamus ex Ketura ſuſcepit, plane ab eodem excludendos eſſe, inde colligi nequit. Et cur, quaeſo, Abrahamus Iſmaëlem circumcidiſſet, niſi & ad illum certa quadam ratione foedus hocce pertinuiſſet? Sapientiaeque diuinae hoc prorſus fuit conueniens; cum per Iſmaelitas, filiosque Keturae, longe lateque per Arabiam diſperſos, doctrina euangelii, cum hocce foedere coniuncta, ad plures propagari homines potuerit. Atque, hoſce omnes etiam ad circumciſionem ſuſcipiendam adſtrictos fuiſſe, inde conſequitur, donec per aduentum Meſſiae eius neceſſitas tolleretur. Idem adeo & de Idumaeis, ab Eſauo, Iſaaci filio, oriundis,

undis, obseruandum. Ex eo porro, quod diximus, domesticos Abrahami, etiam emtitios alienigenas, circumcisos, recte colligitur, proselytos itidem, qui in sacrorum cum Israelitis venire cupiebant communionem, fuisse circumcidendos. Idque inde confirmatur, quod deinceps Deus ipse sanciuit: *Quod si peregrinus voluerit tecum facere pascha, circumcidetur ei omnis mas, & tunc accedito ad faciendum pascha*; *Exod. XII, 48.* Ex Abrahami posteris omnes masculi circumcidendi erant, & quidem die a natiuitate octauo; *Gen. XVII, 12.* idque Israëlitae atque Iudaei semper adcuratissime obseruarunt, adeo, vt, licet hi in sanctificatione sabbati ad superstitionem vsque religiosi essent, circumcisionem tamen eodem, si octauus a natiuitate dies esset, administrare non dubitarent. Differri vero quandoque ob causas grauissimas eam potuisse, vel Israëlitarum, dum in deserto versabantur, exemplo patet. Eorum namque infantes quadraginta istos annos non circumcisos, constat. Cum enim certam stabilemque sedem non haberent, sed, quoties columna mouebatur, toties castra quoque mouenda essent, fieri circumcisio commode, & citra vitae periculum, non poterat. Atque hinc quoque patet, cur שנית circumcisi dicantur, *Ios. V, 2.* Renouationem nimirum circumcisionis hactenus omissae indicari, res ipsa docet. Quemadmodum autem interdum ob causas grauissimas differre circumcisionem vltra diem octauum licuit; ita eamdem ante diem octauum, etiamsi mortis periculum adesset, peragere, minime fas erat. Certe, nullo exemplo hoc constat. Nec tamen de salute infantum, qui ante diem octauum moriebantur, dubitandum. Non enim priuationem, sed contemtum sacramenti damnare, notum est. Sexui autem feminino, vti Deus circumcisi-

cumcisionem non praescripserat, ita eumdem absque illa in foedus gratiae receptum, nemo non intelligit. Quis finis, & quidem proximus circumcisionis fuerit, ex ipsa eius institutione *Gen. XVII, 7. 10.* patet. Recipiendi nimirum per illam erant in foedus gratiae, cuius sollemnis formula: *Ego ero Deus tuus, & seminis tui post te.* Hoc ipso namque omnibus, qui circumcidendi erant, quidquid bonorum spiritualium in foedere hocce continebatur, ad salutem praesertim necessariorum, promittebatur. Inter quae cum fides in Messiam emineat, haec ipsa in infantibus excitabatur, vt, impetrata hac ratione peccatorum remissione, Deus illorum Deus esse posset. In adultis autem cum fides iam adesset, eadem confirmabatur; quod ipsius Abrahami exemplo condocemur. Quo sensu & Paulus, Abrahamum circumcisionem accepisse, dicit, in *sigillum iustitiae fidei, Rom. IV, 11.* Accedebat porro, quod per circumcisionem Abrahami posteri, deinceps vero speciatim Israelitae, a reliquis orbis populis distinguendi essent, vt externo etiam hocce charactere indicaretur, Israelitas esse Dei peculium, sacerdotale regnum, populumque electum ac sanctum; *Exod. XIX, 5.* simulque & ecclesiam hac ratione a mundo separandam, segregandamque esse, significaretur; *II. Tim. II, 19. I. Petr. II, 9.* Vltimus vero finis, apud eos, qui in fide constantes ad finem vsque permanebant, salus aeterna, non poterat non sua sponte hinc consequi. Ita nimirum, quod diximus, est intelligendum, externam circumcisionem tum demum circumcisis profuisse, si fidem in Messiam retinerent, eamque etiam toto vitae suae instituto demonstrarent. Absque fide si erat circumcisio, neminem iuuabat. Vnde stolida plane vanaque erat Iudaeorum gloriatio, ob circumcisionem se efferentium, & gentiles ceu praeputiatos magno supercilio contemnentium; quam acri-

ter, & merito quidem, castigat Paulus, *Rom. II, 25. seq.* Quamdiu durare circumcisio debuerit, Deus ipse hisce definiuit verbis: *Et erit foedus meum in carne vestra* לברית עולם *in foedus saeculi, Genes. XVII, 13.* Quod tamen non ita capiendum, ac si semper, ad finem vsque mundi durare circumcisio debuerit. Eam enim aliquando abrogandam fuisse, vel inde patet, quod ad vmbras illas pertinuerit, quibus, postquam corpus ipsum venit, non amplius locus fuit, *Coloss. II, 17.* Magna praeterea pars erat parietis illius intergerini, qui Iudaeos a gentilibus discriminabat, & cuius septum morte Christi solui debuit, *Ephes. II, 14.* Cumque Iudaeorum atque gentilium in vnam ecclesiam, tempore Messiae coniunctionem, prophetae ipsi praedixerint, vt Esaias *cap. XIX, 24. 25. LX, 3.* alibique; haec vero non aliter, quam sublato Iudaeorum gentiumque discrimine, adeoque & abrogata circumcisione, fieri poterat; hanc abrogationem iisdem vaticiniis praedictam, merito inde concludimus. Immo, prorsus necessarium erat, vt cum legibus caerimonialibus reliquis, circumcisio quoque, postquam aduentauerat Messias, abrogaretur: cum, si quis eo tempore eiusmodi ritus adhuc obseruare voluisset, perinde fecisset, ac si negasset, Christum iam venisse, seu, Iesum Nazarenum Messiam illum esse, patribus promissum. Quo sensu Paulus dicit: *Ecce ego Paulus dico vobis, si circumcidamini, Christum nihil vobis profuturum. Testor enim rursus omni homini, qui circumciditur, eum esse debitorem totius legis seruandae, Gal. V, 2. 3.* Nec obstat nobis vox עולם *Gen. XVII, 13.* Hac enim non semper aeternitatem, seu durationem, quae fine destituitur, sed longum subinde temporis spatium denotari, notum est.

§. XVI.

§. XVI.

Per *sacramentum* namque proprie sic dictum, actio quaedam diuinitus mandata, & circa elementum aliquod externum & visibile occupata, intelligitur, per quam, accedente verbo institutionis, gratia euangelii, de remissione peccatorum, ad vitam aeternam confertur, & obsignatur. * Et eiusmodi quidem sacramentum circumcisionem fuisse, adcuratior eius consideratio quemlibet condocere potest. **

* Notionem, quae voce ista proprie & stricte accepta, denotatur, tum demum quam rectissime constituemus, si ex baptismi, & sacrae coenae, quae omnium confessione vere & proprie sunt sacramenta, ratione, colligamus, quaenam demum ad verum proprieque sic dictum sacramentum requirantur. Atque haec ad tria tum redire capita, deprehendemus, vt sacramentum scilicet proprie vereque sic dictum, primo quidem actio sit, a Deo instituta & mandata; tum, vt elementum habeat visibile, a Deo praescriptum; & denique, vt ea, quae in euangelio hominibus promittuntur, per hancce actionem iis conferantur, & obsignentur. Per *actionem*, externam quamdam, atque in oculos incurrentem, intelligi, vel me non monente, quilibet perspicit. Sed & per *elementum*, signum aliquod externum, quale est aqua, panis, vinum, intelligi, neminem fugit. In euangelio hominibus promittuntur beneficia quaeuis spiritualia, inter quae primum, praecipuumque locum tenet remissio peccatorum, quacum adoptio in numerum filiorum Dei, inhabitatio spiritus sancti,

& alia, indissolubili vinculo coniuncta sunt. Haec conferuntur, quando fides, quae, vt istorum beneficiorum participes reddamur, requiritur, per ista sacramenta aut excitatur, aut confirmatur, obsignaturque. Atque haec cum ita sese habeant, recte inde concluditur, duo tantum veteris testamenti esse veri nominis sacramenta, *circumcisionem, & agnum paschalem*; & duo itidem noui, *baptismum*, & *sacram coenam*. Speciatim in sacramentis notare debemus 1) *caussam efficientem principalem*, quam solum esse Deum, constat. Non tantum enim is, summa sua benignitate permotus, simulque intuitu meriti Christi, sacramenta ista instituit, sed solus instituere etiam potuit. Qui namque salutis nostrae auctor est, is solus quoque media praescribere potest, quibus salutem consequamur. Accedit, quod solus Deus vim istam infinitam addere sacramentis potuerit, per quam id efficere queunt, quod in hominibus, rite iis vtentibus, efficiunt, hoc est, fidem, per quam gratiae diuinae participes fiunt, in iis producere, & obsignare. Cum vero & hominum quorumdam, tum in promulgatione, tum in dispensatione, Deus vtatur opera, & horum hic non est praetermittenda consideratio. Et ad promulgationem quidem quod attinet, quaenam hic in circumcisione Abrahami, in agno paschali Mosis, & Aaronis, in baptismo apostolorum fuerint partes? neminem fugit. Dispensationem autem, seu administrationem illis demandatam, quos Deus doctores, ministrosque ecclesiae constituit, vel inde constat, quod οἰκονόμοι vocentur μυστηρίων θεοῦ, *dispensatores mysteriorum Dei*, hoc est, vt antea iam obseruauimus, verbi diuini, atque sacramentorum. Hoc enim de apostolis ita Paulus pronuntiat, vt de eorum etiam successoribus, seu doctoribus publicis rite vocatis, merito intelligatur. Atque de sacramentis noui quidem testamenti hoc est positum extra con-

trouersiam.

trouersiam. Circumcisionem quoque in veteri a patriarchis, prout ius sacrorum habebant, deinceps vero a sacerdotibus Leuiticis peractam, ad §. *praecedentem* iam monuimus. Agnus paschalis cum primum institueretur, sacrorum administratio nondum in tribum Leui erat translata. Hinc eius mactatio, & praeparatio initio a patribus familias fiebat, deinceps tamen eamdem a Leuitis itidem administratam fuisse, in sequentibus docebimus. Sed, circumcisionis exemplo, supra quoque iam ostendimus, posse subinde ab iis, qui non sunt ex ordine sacro, immo & a feminis, sacramenta administrari. Quod tamen de iis solum intelligendum est, quae absolutae sunt necessitatis, deque eo rerum statu, vbi & in mora periculum vitae est, & nemo ex sacro ordine praesto est, qui hocce munere fungi queat. Ita circumcisio comparata erat in veteri testamento, cum Deus ipse diserte sanciat: *Praeputiatus autem mas, qui non circumciderit carnem praeputii sui,* נכרתה הנפש ההוא מעמיה *exscindetur anima illa ex populis suis, foedus meum irritum fecit: Gen. XVII, 14.* Eiusdem conditionis baptismus est in nouo testamento, quippe de quo seruator ipse pronuntiauit, *non posse quemquam introire in regnum Dei, nisi ex aqua & spiritu fuerit natus, Ioan. III, 5.* Eiusmodi quid cum de agno paschali, deque sacra coena non legatur, vt aliter quoque de hisce statuamus, par est. 11) In sacramentis solent theologi & *materiam* & *formam* obseruare. Et *materiam* quidem, aut, si mauis, *materiale*, hoc est, conceptum illum communem, in quo sacramentum cum aliis actionibus, quae non sunt sacramenta, conuenit, in elemento quodam visibili, & actione circa elementum illud occupata constituunt; *formam* autem, seu *formale*, in verbo institutionis, prout actioni circa elementum sensibile occupatae additur. Sunt quidem

dem, qui in quolibet sacramento geminam materiam, *terrenam* & *caelestem*, statuunt; sed cum tantum in sacra eucharistia duplex haecce materia, proprie & adcurate loquendo, deprehendatur; inde autem concludi nequeat, quod in omnibus sacramentis ita se res habere debeat; quin & in reliquis, si ab eucharistia discesseris, quaenam materia illa caelestis sit? certe definiri nequeat: non adeo firmo hanc sententiam niti fundamento, dudum iudicarunt alii. III) Notari debet *finis* sacramentorum, qui & *effectus* rationem habet. Ex antea commemoratis nemini obscurum esse potest, proximum esse, fidei tum productionem, tum eius confirmationem, diuersa tamen ratione, prout, qui sacramentis vtuntur, aut infantes fuerint, aut adulti, intelligendum. Eodem recidit, quod alii dicunt, finem proximum esse regenerationem & renouationem. In regeneratione namque fides producitur, quae in renouatione augetur, & confirmatur. Nec dissentiunt a nobis, qui docent, finem proximum esse gratiae euangelicae collationem, aut obsignationem. Ita enim, dum fides producitur, & confirmatur, promissionum simul, quas euangelium exhibet, magis magisque participes reddimur. Hinc vero etiam cognoscitur, quo sensu finis vltimus sacramentorum aeterna hominum statuatur salus.

** Patet hoc ex eo, quod requisita veri & proprie sic dicti sacramenti circumcisioni prorsus conueniant. A Deo enim hancce actionem Abrahamo, eiusque posteris mandatam, nemo dubitat, & verba Mosis, *Gen. XVII, 10. 11.* diserte testantur. Elementum quoque visibile adfuit, praeputium, cuius amputatio a Deo praecepta. Beneficiorum denique diuinorum, quae euangelium promittit, participes circumcisi reddebantur, dum in hocce foedus recepti, remissionem peccatorum, & reliqua bona spiritualia, quae

quae inde fluebant, consequebantur; *Gen. XVII, 7. 8.*

§. XVII.

In altero interuallo, quod Mosaicum recte vocatur, * eadem non tantum doctrina, quae foederis gratiae summam constituit, eademque, per fidem in Messiam, perueniendi ad salutem ratio, hinc & bona quaeuis spiritualia, cum foedere hocce connexa; ** sed cuncta insuper per leges caerimoniales, magno rituum adparatu, adumbrata, & velut pictura quadam elegantissima, illustrata fuerunt. Ob operosas tamen, quas caerimoniae istae requirebant, praestationes, habuit simul schema status seruilis, in quo vel maxime & a primo, & ab vltimo interuallo diuersum fuit.*** Accessit & alterum veteris testamenti sacramentum, agnus paschalis. *

* Accessit enim in altero hocce interuallo, ad foedus gratiae vniuersale, particulare illud, a Deo cum Israelitis per Mosen initum, qui ideo μεσίτης huius foederis dicitur; *Gal. III, 19.* conf. *Exod. XX, 19. Ioan. I, 19.* Conditiones foederis huius particularis erant, ex parte Dei, quod populum israeliticum pro populo, prae omnibus mundi nationibus sibi proprio, & peculiari habere vellet: vnde & peculiaris protectio, & supremum in populum istum regimen. Hinc Deus ipse: *Nam populus sanctus es Iehouae Deo tuo. Te elegit Iehoua Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris, prae omnibus populis qui sunt sub vniuerso caelo; Deut. VII, 6.* Deinde, quod eidem terrae Canaan daturus conseruatu-

uaturusque esset possessionem; quam quidem primum Abrahamo, tum & Isaaco, & tandem Iacobo dedit promissionem, *Gen. XII, 7. XIII, 15. XV, 7. 18. Exod. XXXIII, 1. Ezech. XX, 6.* Ex parte autem Israelitarum foederis huius conditio erat, adcurata legum, a Deo ipsis praescriptarum, obseruantia, hinc & peculiaris morum sanctimonia, qua ab aliarum gentium impuritate distinguerentur, *Exod. XIX, 5. 6. 8. XXIV, 3. 7. 8. Leuit. XX, 22. seq.* Tantum vero abest, vt per foedus hocce particulare, vniuersale illud gratiae sublatum, vt potius confirmatum fuerit. Et licet Israelitae omnino per istud foedus insignem prae aliis gentibus ἔξοχὴν consequerentur, neutiquam tamen ideo his via ad salutem aeternam per foedus illud gratiae vniuersale intercluſa fuit.

** Quemadmodum supra demonstrauimus, patriarchas, aliosque homines sanctos, qui ante Mosen vixerunt, per fidem in Messiam salutem aeternam consequutos esse; ita, si quis adserere vellet, Mosen aliam viam Israelitis monstrasse, illi hoc probandum foret. Tantum vero abest, vt hoc probari queat, vt potius non alium in finem Moses, quae de fide patriarcharum commemorat, litteris consignauerit, quam vt eamdem salutis viam Israelitis suis commonstraret. Per leges caerimoniales Messiam huncce adumbrauit, & Israelitis descripsit. Hunc ipsum etiam clarissime designauit, quando prophetam suo tempore a Deo excitatum iri dixit, sicut se ipsum, hoc est, se neutiquam minorem, licet multo maior futurus esset, quem audire deberent, *Deut. XVIII, 15.* Sed eumdem quoque in finem illustre illud, de stella ex Iacob oriunda, oraculum commemorauit, *Num. XXIV, 17.* Etsi enim illud a Bileamo profectum sit, in gratiam tamen Israelitarum haud dubie a Mose

fuit

fuit litteris mandatum. Eamdem deinceps de Messia doctrinam repetierunt, confirmarunt, magisque illustrarunt prophetae reliqui, qui Mosen sequuti sunt, omnes. *Omnes enim prophetae*, inquit Petrus ipse, *qui a Samuele & deinceps fuerunt, haec tempora praedixerunt, & denuntiarunt; actor. III, 24.* Et iterum, de seruatore nostro verba faciens: *Huic prophetae omnes testimonium dant, eum esse, per cuius nomen peccatorum veniam consequantur, quicumque in eum credant; actor. X, 43.* Atque ex vltimo hocce Petri testimonio illud etiam constat, eum in finem veteris testamenti fidelibus istam de Messia doctrinam propositam fuisse, vt per fidem in eius nomen remissionem peccatorum, adeoque salutem aeternam, consequerentur.

*** Nimirum cum magna populi israelitici esset σκληροκαρδία, placuit Deo, ad ferociam eius perdomandam, varias, easque ex parte laboriosas praestationes, illi imponere. Hinc, licet filius esset Israel, & bonorum caelestium haeres, sub tutoribus tamen & curatoribus velut erat, & serui instar adhuc habebatur, teste Paulo, *Gal. IV, 1. 2. seq.* Ideoque Petrus has leges *iugum* vocat, quod nec ipsimet, qui tum viuebant, Iudaei, nec patres eorum portare potuerint; *actor. XV, 10.* Atque hinc σχῆμα illud, seu forma status legalis atque seruilis, qua vetus testamentum, stricte sic dictum, tum a statu patriarchali, tum vel maxime a statu noui testamenti differebat. In nouo enim testamento status gratiae modo eminentiori exsplendescebat. Hinc Ioannes dicit: *lex per Mosen tradita est; gratia & veritas per Iesum Christum; cap. I. vers. 17.* Eleganter legi tum *gratia* opponitur, tum *veritas*. Gratia quidem, quia lex, cuius imaginem vetus testamentum referebat, iram operatur, maledictionem ei minitans, qui vel mi-

nimam eius migrauerit partem: veritas autem, siue ἀλήθεια, quia lex caerimonialis *vmbra* solum *fuit futurorum, corpus autem Christi; Col. II, 17.* Atque haecce veritas, seu id, quod per leges caerimoniales adumbratum fuit, in nouo testamento exhibetur. Cum vero etiam nemo mortalium obseruare legem adcurate possit, facileque adeo, ob insitam omnibus philautiam prauam, ad hypocrisin descendant, vt operibus quibusdam externis se legem pulchre impleuisse sibi videantur; illi autem, qui in Christum credunt, eiusmodi simulationem procul facessere iubeant; non errauerit, qui & hoc simul innui existimauerit, quando per Christum ἀλήθεια, *veritas*, nobis obtigisse, dicitur. Haec enim est ἀλήθεια illa, quam in Christo esse Paulus docet, *Ephes. IV, 21.* Lex autem cum per Mosen tradita adseritur, non ita hoc est intelligendum, ac si Moses euangelium non docuerit, aut, ac si foedus, cum populo israelitico initum, mere legale fuerit: secus enim se rem habere, ex hactenus dictis constat; sed quod foedus illud israeliticum, schema, seu formam habuerit status legalis, idque tum ob onerosas praestationes, cum foedere hocce coniunctas, quae externis maximam partem operibus absoluebantur; tum ob grauissimas comminationes, eidem foederi adnexas. Idem & Paulus apostolus confirmat, quando *Gal. IV, 24.* vetus testamentum, quod a monte Sina repetit, ab Agare repraesentatum docet, idque *in seruitutem gignere*, adserit. Seruitutis namque speciem onerosae istae praestationes exhibebant; quamuis simul hic spectetur status ille legalis, sub quo degunt, quotquot per veram fidem in Christum libertatem non sunt consequuti, quippe qui itidem durissimo seruitutis iugo premuntur. Atque haec obseruare iuuat, cum variis scripturae sacrae oraculis

culis lux minime contemnenda inde adfundi queat.

* Duo enim haecce in isto temporis interuallo, quod a Mose vsque ad Christum natum procurrit, fuere sacramenta, *circumcisio*, atque *agnus paschalis*. Ad *agnum paschalem*, seu *paschatos sacramentum* quod attinet, vocem פסח vnde *pascha*, non eodem modo sumi, obseruandum. Interdum enim aut generatim *transitum*, aut speciatim angeli istius, qui, Aegyptiorum primogenitos percutiens, Israelitarum domos transsiliit, iisque pepercit; interdum vero aut ipsum agnum, aut diem festum, quo agnus ille paschalis mactabatur, atque comedebatur; aut denique actionem sacramentalem, qua agnus in memoriam beneficii in Aegypto Israelitis exhibiti, dum angelus percussor illis pepercit, mactabatur, atque comedebatur, denotat. Atque vltima quidem significatio huius loci est. Sacramentum hocce a Deo ipso institutum, nemo dubitabit, idque diserte & Moses docet; *Exod. XII, 3. seq.* Non aliam vero ob caussam Deum hoc feciſſe, quam quod summi istius beneficii, quod Israelitis in Aegypto exhibuerat, recordatione, omnes illorum posteros ad animum gratum excitare, simulque fidem in illis confirmare voluerit, adcurata rei huius consideratio itidem facile quemuis condocebit. De ritibus, qui circa agnum paschalem obseruandi erant, ante omnia illud monendum, discrimen aliquod interceſſiſſe inter primum illud pascha, quod Israelitae in Aegypto celebrarunt, & quod deinceps in terra Canaan fuit celebratum. Idque primo in separatione, seu depositione agni, quarto ante mactationem die ponitur. Id enim in Aegypto neceſſe fuiſſe, videtur, ne forte inter Aegyptios, hostes Israelitarum infensiſſimos, agni iis defuiſſent, si tempore paschatos iam instante, eos voluiſſent conquirere;

quae

quae ratio cessabat in Palaestina. Certe, ex historia passionis Christi videtur colligi posse, separationem, seu depositionem eiusmodi tum non fuisse obseruatam. Discipuli enim primo demum azymorum die magistrum rogant: *vbi vis, vt profecti paremus, vt edas pascha? Marc. XIV, 12.* Deinde legem, de superliminari & postibus sanguine agni adspergendis, itidem in Aegypto tantum locum habuisse, putant; cum ratio legi huic addita non alibi quam in Aegypto locum inuenerit; *Exod. XII, 12. 13.* & ex *II. chron. XXX, 15. 16.* & ex *XXXV, 5. 6. 11.* constet, agnos paschales in atrio templi mactatos fuisse, ibique sanguinem eorum effusum. Idem de lege, quae non nisi accinctis & calceatis, cum baculo in manu, & raptim, agnum paschalem comedendum praecipit, censendum. Id enim istius temporis postulabat ratio, cum in eo erant, vt ex Aegypto migrarent. In Palaestina postquam constituti erant, eos non stantes, sed sedentes, nec raptim, sed pacate agnum paschalem comedisse, Christi itidem, & discipulorum eius exemplo comprobari potest. His denique addenda lex, de non egrediendo ex aedibus, ne incideret in angelum percussorem. Non tantum enim ratio legis in primo solum paschate locum habebat, sed eam non fuisse obseruatam, vel Christi seruatoris, eadem nocte, qua agnum paschalem comederat, cum apostolis ad montem oliueti se conferentis, exemplo patet. Addendum porro, in primo paschate, agnum paschalem ab ipsis patribus familias mactatum & praeparatum fuisse: deinceps vero Leuitis hocce munus incubuisse videtur. Certe, si patribus familias hocce munere fungi non libebat, aut propter defectum munditiei non licebat, Leuitas eorum sustinuisse vices, dubio caret; conf. *Esr. VI, 20. II. chron. XXX, 17. 18.* Immo ex *II. chron.*

chron. XXXV, 10. 11. videtur colligi posse, ordinarium eo tempore hocce fuisse Leuitarum munus, idque eo magis, quod post ingressum populi israelitici in terram Canaan agnus paschalis eo in loco mactandus esset, vbi templum erat, vt Deus ipse diserte praeceperat, *Deut. XVI, 5. 6. 7.* Atque hinc vt de loco simul, vbi agnus paschalis mactandus fuit, constat; ita ad tempus quod attinet, *Leuit. XXIII, 5.* diserte dicitur: *primo mense, die mensis decima quarta, inter duas vesperas, erit pascha domino.* Mensis itaque primo hic designatur, qui primus erat, & *Exod. XIII, 4. Abib*, alibi vero vt *Nehem. II, 1. Esth. III, 7. Nisan*, vocatur. Primus autem hic fuit mensis anni sacri. Duplicem enim annum Ebraeis fuisse, sacrum, & ciuilem, constat; quamquam non desint, qui dissentiant. Tum vero & dies indicatur, qui erat decimus quartus istius mensis; & hora diei, בין הערבים *inter duas vesperas*, hoc est, in illo temporis spatio, quod initium capit, cum sol occidere incipit, & ad eius vsque occasum se protendit. Hunc enim verborum istorum sensum esse, arbitror, etsi non nesciam, esse, qui ea aliter interpretentur. *Materia*, aut si mauis, *materiale* huius sacramenti, partim in agno ipso, qui erat elementum externum, & visibile, partim in certis actibus, qui circa illum occupabantur, segregatione de grege, mactatione, assatione, porro comestione, & adspersione denique sanguinis ad superliminare, & postes aedium, constitui solet: *forma* autem in ipso verbo institutionis; quamquam alii agnum paschalem ipsum ad obiectum huius sacramenti referant, formam vero in certa manducationis agni mactati & assati, ad institutionem diuinam relatione, positam esse, contendant. Et ad agnum quidem ipsum quod atti-

attinet, debebat is esse בן שנה *filius anni*, hoc est, qui annum non excesserat, etsi eumdem nondum compleuisset. Ita enim viri docti hoc explicant. Debebat porro esse integer, hoc est, omnis vitii expers, & masculus; *Exod. XII, 5.* Interdum, si agnus deesset, hoedum potuisse adhiberi, ex *Exod. XII, 5.* colligitur. Segregationem de grege in Aegypto solum necessariam fuisse, antea iam obseruauimus, vbi & rationem eius exposuimus. Mactationem, quae ita fieri debebat, ne os vllum frangeretur, necessariam fuisse, res ipsa docet; quacum & cum sanguinis effusio coniuncta esset, eo sane in primo paschate, quod in Aegypto celebratum, superliminare, & postes adspersae fuerunt; deinceps vero in terra Canaan sanguis agnorum paschalium ad altare circumcirca sparsus fuit; idque & Iudaeorum magistri tradunt, & ex *II. chron. XXX, 16. & XXXV, 11.* confirmatur. Atque poterat hinc colligi, agnum paschalem fuisse sacrificium, & quidem proprie sic dictum. Accedit quod diserte *Exod. XII, 27.* זבח *sacrificium*, & *Num. IX, 7. 13.* קרבן *oblatio* adpellitetur. Et negari sane nequit, fuisse nonnulla, in quibus agnus paschalis cum sacrificiis conueniret, vt adsperso sanguinis ad altare; id tamen, quod praecipue ad rationem indolemque sacramenti spectat, comestio erat, cum ritibus a Deo praescriptis, & hac ratione pro sacrificio haberi nequit. Mactationem, sanguinisque effusionem, & adspersionem, excipiebat assatio, secundum praescriptum diuinum, *Exod. XII, 8. 9.* Assari autem agnus integer debebat, nulla parte fracta. Tandem comestio sequebatur, actus sacramenti huius praecipuus. Comedendus autem erat cum azymis, & herbis amaris. Neque enim solum

agnus

agnus paschalis cum azymis edendus erat; sed integrum septiduum Israelitas fermento abstinere, Deus iussit, *Exod. XII, 15.* Herbae autem istae amarae quaenam fuerint, non constat, etsi Ebraeorum magistri quasdam designent, quarum nomina explicare admittitur SAM. BOCHARTVS, *hieroz. part. I, p. 603.* Comedendus porro erat integer, vt nihil plane relinqueretur; si quid reliquum esset, igne comburendum erat; *Exod. XII, 10.* Si familia quaedam absumendo agno non sufficeret, poterant ex vicinis adsumi, & ita societates quaedam constitui, a quibus totus absumeretur. Atque in hisce omnibus quaedam erant, quae speciatim Israelitas respiciebant, summique beneficii, quod Deus in eos per liberationem ex seruitute aegyptiaca contulerat, momentum illis in animum reuocabant. Ipsum nomen paschatos eos admonere poterat, in quanto vitae periculo, qui tum in Aegypto erant, fuerint versati. Herbae amarae acerbam illam, durissimamque, sub qua gemendum illis erat, seruitutem iis in memoriam reuocare poterant. Eiusdem generis & alia sunt. Sed praecipuum tamen, quod Deus per agnum paschalem adumbrare, omnesque condocere voluit, Christus ipse fuit, cum beneficiis, quae in hominum genus contulit. Contemplari namque in hacce imagine & Christum ipsum licet, & ea, quae nostri caussa passus est, quiue inde ad nos redundarunt fructus, & quo pacto eorumdem participes fieri queamus. Illi autem, qui ad agni paschalis manducationem admittebantur, seu conuiuae, omnes erant Israelitae, citra discrimen sexus & aetatis, itemque serui & proselyti, qui per circumcisionem ius sacrorum adepti erant. Idque ex *Exod. XII, 13.* constat. De seruis, sed circumcisis, hoc speciatim manifestum est, ex *Exod. XII, 4.*

de

de proselytis, sed itidem circumcisis, ex *eiusdem capitis v. 48. 49.* & *Numer. IX, 14.* Qui immundi erant, siue ex contactu mortui, siue ex lepra, siue alio quocumque casu, vti & mulieres menstruis laborantes, paschate arcebantur; *Num. IX, 6. 10.* Ne tamen isti hocce sacramento per integrum annum destituerentur, alterum iis pascha in mensem secundum indictum est, quo & illi tenebantur, qui in itinere erant constituti, vt stato paschatos tempore Hierosolymam venire non possent; *Num. IX, 10. 11.* Pueros etiam atque puellas tum demum ad paschatos comestionem admissos, cum vsu rationis pollerent, probabile est. Finem paschatos ex hactenus dictis facile intelligere licet. Reuocare nimirum Deus equidem Israelitis liberationem ex seruitute aegyptiaca in memoriam voluit; sed praecipue tamen eo spectabat, vt Christus, eiusque passiones, cum morte cruenta, quam ceu agnus Dei, hominum portans peccata, subiturus esset, animis illorum exhiberentur, hacque ratione promissiones de hocce mundi redemtore, qui homines a seruitute peccati liberaturus esset, obsignarentur, adeoque & fides fidelium in veteri testamento confirmaretur. Qua de re non dubitabit, qui secum expenderit, nullam partem, nullumue actum paschatos fuisse, qui mysterio caruerit; cuncta contra pulcherrime in Christum, eiusque passionem & mortem, quadrare; immo, quod maximum est, a scriptoribus noui testamenti, vt Paulo, *I. Cor. V, 7.* quod huc spectent, perhiberi. Cumque hac ratione pascha ad vmbras illas pertinuerit, quae, postquam corpus ipsum adfuit, euanuerunt; *Coloss. II, 17.* causa patet, cur in nouo testamento non amplius locum inueniat. Denique & id ex dictis abunde constat, agnum paschalem merito a nobis pro sacramento, proprie & stricte sic dicto,

dicto, haberi. Adfuit mandatum diuinum, adfuit etiam elementum visibile, agnus, qui mactabatur, & manducabatur; dumque hac ratione fides piorum hominum in Messiam confirmabatur, beneficiorum simul, eius passione & morte nobis partorum, magis magisque reddebantur participes.

§. XVIII.

In vltimo autem interuallo, quod noui testamenti nomine venit, cum & schema status legalis cessauerit, & Christus ipse adparuerit, pretiumque redemtionis pro hominum genere persoluerit, &, ceu verus sacerdos summus, suo sanguine in sanctum sanctorum ingressus sit; *Ebr. IX, 12.* donaque spiritus sancti longe maiori copia ac abundantia in credentes conferantur; *Ioel. II, 28.* longe hoc prioribus duobus nobilius praestantiusque merito censetur.* Cum vero id praecipuum nostrae tractationis caput sit, de iis, quae speciatim ad illud pertinent, suo loco ex instituto dicemus.

* Insignem plane noui testamenti ἐξοχὴν atque praestantiam esse prae veteri, nemo negabit, nisi, qui hospitem plane ex sacrarum litterarum lectione retulerit animum. Diserte enim non tantum de praestantia ista testantur, sed, in quo consistat, etiam luculenter exponunt. Paulus namque apostolus nouum illud citra ambages *melius testamentum* vocat: *tanto melioris, seu praestantioris testamenti* (κρείττονος διαθήκης) *sponsor fuit Iesus; Ebr. VII, 22.* Idem apostolus, statum fidelium veteris testamenti cum felicitate noui conferens, concludit: *atque hi omnes fide explorati, non obtinuerunt promissum*, τοῦ θεοῦ περὶ

περὶ ἡμῶν κρεῖττόν τι προβλεψαμένου, *Deo de nobis melius quid prouidente, ne illi sine nobis perfecti redderentur*, hoc est, ne illi felicitatem obtinerent, quam nobis (fidelibus noui testamenti) Deus reseruauit; *Ebr. XI, 39. 40.* Et hanc quoque noui testamenti felicitatem oraculis suis praedixere prophetae, inprimis *Ioel. cap. II, 28. 29. 30.* Praecipua autem praestantiae huius capita haec sunt: i) ratione *mediatoris*. Etenim veteris testamenti mediator fuit Moses, vir vtique praestantissimus, & summus voluntatis diuinae interpres. At noui testamenti mediator est ipse Dei filius, qui non vt ministeer, sed vt filius domui Dei praepositus fuit, *Ebr. III, 3. seq.* Neque tantum μεσίτης melioris testamenti Christus fuit, sed & ἔγγυος; *cap. VII, 22.* ii) *peccatorum propitiationis*, quae in nouo testamento non typica, vt in veteri, sed realis per exhibitum iam Messiam est: *Ebr. X, 11. 12. IX, 12. Matth. XXVI, 28.* iii) *status legalis*, cuius figuram vetus testamentum habuit, quo cessante, immunitas ab omnibus caerimoniarum oneribus fidelibus noui testamenti contigit, *Gal. V, 1. Coloss. II, 16. 17.* iv) *donorum spiritualium*, quorum in nouo testamento maior est copia, *Ioel. II, 28. 29. Ier. XXXI, 31.* v) *cognitionis mysteriorum fidei*, quae in nouo testamento clarior & vberior, *Es. XI, 9. LIV, 13.* vi) *numeri piorum ac sanctorum* qui etiam tempore huius foederis copiosior est, *Es. XXXIII, 23. 24. XXXV, 9. LX, 21. 22. Zach. X, 5. XII, 8.*

§. XIX.

Errores eorum, qui hic in diuersa abeunt, non sunt vnius generis. Nonnulli namque, caussam salutis ex absoluto quodam Numinis decreto deriuantes, gratiam quoque eius certis limitibus circumscribunt, eamque ad omnes pertinere homines,

nes, negant; atque hi ipsi etiam, cum iis solum, qui ex eodem decreto absoluto ad vitam aeternam electi sunt, foedus gratiae iniri, contendunt; alii rursus gratiam equidem vniuersalem admittunt, adeoque ad omnes pertinere foedus gratiae, fatentur; sed de conditione ex parte hominis non recte sentiunt, aut homini ipsi, quod Dei erat, tribuentes, simul & ipsum foederis huius fundamentum, sponsionem Christi labefactantes, aut pro fide bona opera substituentes. Sunt &, qui foedus gratiae cum foedere operum, seu, legem cum euangelio, turpiter confundunt, aut in foedere gratiae, nouum a veteri non recte distinguunt testamento. De sacramentis quoque, tum generatim spectatis, tum speciatim veteris testamenti, eiusmodi animo nonnulli concipiunt notiones, prout sententiae, quam de noui testamenti sacramentis fouent, hoc conuenire arbitrantur. Hi vero errores omnes, cum ex aliis, iisque prauis, atque falsis hypothesibus fluant, harum detecta origine, illorum simul fontes aperientur.

§. XX.

Interim & in hisce, quae veritati consentanea est, sententia, conseruata semper, & ad nos propagata fuit. Siue enim gratiae diuinae vniuersalitatem, foederisque gratiae indolem atque conditionem; siue dis-

crimen legis atque euangelii; siue sacramenta denique, tum generatim considerata, tum veteris testamenti, spectes; testimoniis fide dignis comprobari potest, numquam non exstitisse, in veteri cumprimis ecclesia, quibus de hisce omnibus nihil aliud persuasum fuit.

§. XXI.

Quo luculentius ex isto, homines omnes ex summa miseria eripiendi, consilio, & ex toto quoque foedere gratiae, immensa illa, & prorsus ineffabilis diuini vis amoris elucet; eo acriori inde nos concitari decet stimulo, ne ingrati, aut indigni tanta gratia, & tot, tamque infinitis beneficiis, reperiamur. Quare & sedulo, diligentique meditatione, numquam non eam expendere decet, vt τὸν ὑπερβάλλοντα πλοῦτον eius, *Ephes. II, 7.* aliqua ratione adsequamur; indeque, qui adhuc mortui sunt in peccatis, ad vitam, quae est in Christo, reuocentur ab eo, qui est πλούσιος ἐν ἐλέει, *Ephes. II, 4.* qui vero iam per veram fidem ad vitam istam peruenerunt, adeoque in foedus gratiae recepti sunt, per tanti beneficii considerationem se induci patiantur, vt quotidie magis magisque, quidquid Deo displicet, exuant, seque totos ad eius voluntatem componant; *Tit. II, 12.* idque spiritu filiali, qui foederi gratiae proprius est; *Rom. VIII, 15.* Cumprimis

primis vero & ad alios homines ſincere amandos, abundans illa vis diuini amoris nos excitare debet; cum iniquum eſſet, eos non amare, quos amat, & amari vult ille, cuius erga nos amorem nemo ſatis vmquam praedicauerit; *I. Ioan. IV, 10. 11.*

§. XXII.

Ingentes porro illos gratiae diuinae theſauros, quos euangelium nobis recludit, conſiderantes, cogitemus, parum illos nobis prodeſſe, niſi reuera eorum compotes fiamus, & ita in *communionem* veniamus *euangelii; Philipp. I, 5.* Id autem, cum non aliter, quam obſeruato, quem Deus praeſcripſit, fieri queat ordine; quae noſtrarum hic ſint partium, probe expendamus. Vt nos ipſos nimirum diligenter exploremus, neceſſe eſt, vt per legitimum legis vſum animi noſtri ita conterantur atque ſubigantur, vt gratiam illam diuinam, peccatorumque remiſſionem, ſerio cupiamus, *eſurientes, ſitientesque iuſtitiam* (Chriſti) *Matth. V, 6.* Tum vero, vt iſta Numinis, quae euangelium proponit, rite aeſtimemus beneficia; nec ad ſecuritatem, ſed ad vitam in timore Dei ducendam, iis vtamur, ſecundum illud: *quia tecum eſt remiſſio* (peccatorum) *vt timearis; pſalm. CXXX, 4.*

§. XXIII.

Quo beatior etiam eſt ſtatus omnium,

qui in vltimo foederis gratiae interuallo, seu sub nouo testamento, viuunt; eo grauiores eos manere poenas, cogitemus, qui maxima ista, quae illis offeruntur, bona in minimis ponunt, repudiantque, aut omnino pedibus conculcant; idque ex monito apostoli, *Ebr. II, 2. 3.* Ex sacramentis autem generatim spectatis, summam Numinis, hominum imbecillitati, quacumque potest, ratione succurrentis, φιλανθρωπίαν agnoscentes, simul, an iis secundum ordinem a Deo praescriptum recte vtamur, inquiramus, semper cogitantes, sine fide ea prodesse nemini; *Rom. II, 28. 29.* Veteris vero testamenti sacramenta etsi hodie locum non inueniant, spiritualis tamen circumcisionis neminem expertem esse debere, nouimus; *Coloss. II, 11.* quemadmodum & agnum paschalem longe praestantiorem, Christum ipsum habemus; quo vt rite fruamur, omne *malitiae & improbitatis fermentum* eiicere nos decet, *sinceritati* autem atque *veritati operam nauare*; *I. Cor. V, 7. 8.*

LIBRI

LIBRI QVARTI
CAPVT SECVNDVM
DE
CHRISTO
REDEMTORE HOMINVM.

Σύνοψις.

ORdinis ratio postulat, vt de sponsore, seu mediatore foederis gratiae agatur, §. I.

Is est Iesus Nazarenus, ab officio Christus dictus; cuius & persona consideranda, & status, & officium, quo functus est, §. II.

Secundum personam si spectetur, verus Deus est, verusque homo, sed in vna persona, §. III.

Non tantum verum Deum, sed verum etiam hominem eum esse, probatur, §. IV.

Et homo quidem est per generationem ex Maria virgine; quae paullo adcuratius describitur, §. V.

Quaenam Christo, vt homini, fuerint propria, §. VI.

Quod humana atque diuina natura vnam tantum personam in Christo constituant, id per vtriusque factum est vnitionem, §. VII.

Resultauit inde vnio personalis, quae describitur, §. VIII.

et ex scriptura demonstratur, §. IX.

Ex vnione personali naturarum fluit communicatio, §. X.

In qua propositiones, quas vocant, personales, fundantur; quae licet inusitatae sint, reales tamen sunt, atque propriae, §. XI.

Naturarum communicationem non potest non sequi communicatio proprietatum & operationum, §. XII.

Qualis ea sit communicatio, explicatur, §. XIII.

Certa quoque eius genera, & quidem tria, recte constituuntur, §. XIV.

Primum genus, in quo con-

consistat, & quaenam huc pertineant propositiones? §. XV.

De altero genere & propositionibus eo spectantibus, §. XVI.

Attributa diuina, & quidem ἐνεργητικὰ, humanae Christi naturae recte tribui, demonstratur, §. XVII.

Tertii generis, & propositionum eo spectantium, quaenam sit ratio, §. XVIII.

Cum Christus vsu diuinae maiestatis ad certum tempus sese abdicauerit, duplex hinc eius oritur status, & exinanitionis, & exaltationis, §. XIX.

Status exinanitionis in quo consistat? §. XX.

ad totum illud tempus, quo Christus inter mortales versatus est, pertinet, §. XXI.

speciatim in passione, morte, & sepultura eius conspicitur, §. XXII.

Necessitas, finisque passionum, mortisque Christi, §. XXIII.

Status exaltationis in quo consistat? §. XXIV.

in quibus vitae Christi actibus conspiciatur? §. XXV.

Certo munere seruatorem nostrum functum, ipsum nomen Messiae, seu Christi, indicat, §. XXVI.

Iesum Nazarenum Messiam esse, in veteri testamento promissum, demonstratur, §. XXVII.

Quotuplex officium Christi sit? §. XXVIII.

Triplex licet sit istud officium, vnum tamen ab altero separari nequit, §. XXIX.

Propheticum Christi officium in quo consistat? §. XXX.

eodem seruator & docendo functus est, §. XXXI

& exemplum, quod imitari debeamus, praebendo, §. XXXII.

Doctrinam vero etiam suam miraculis confirmauit, §. XXXIII.

Ministros porro ecclesiae, qui post eius abitum hocce munere fungerentur, constituit, §. XXXIV.

Officii sacerdotalis duae sunt partes, sacrificii pro hominum peccatis oblatio, & pro iisdem intercessio, §. XXXV.

Quo

Quo pacto Christus sacrificium pro nobis obtulerit? quaeue eius prae sacrificiis veteris testamenti sit praestantia? .XXXVI.

Effectus sacrificii istius fuit hominum cum Deo reconciliatio, seu, pro illorum peccatis satisfactio; quae, in quo consistat, explicatur, §. XXXVII.

Christum pro hominum peccatis satisfeciſſe, demonstratur, simulque veritas, necessitas, & iustitia istius satisfactionis adseritur, §. XXXVIII.

Vniuersalitas satisfactionis istius probatur, §. XXXIX.

Intercessio Christi pro hominibus, ceu altera pars officii eius sacerdotalis, quo pacto ab eo peracta sit, & adhuc peragatur? §. XL.

Regium Christi officium probatur, §. XLI.

Quo pacto & secundum diuinam, & secundum humanam naturam illi conueniat? & secundum hanc si spectetur, initium quidem habuit, finem autem non habebit, §. XLII.

Est hocce regnum Christi vel potentiae, vel gratiae, vel gloriae, §. XLIII.

Doctrina de Christo a quam plurimis, in varia praecipitia ruentibus, saepius fuit impugnata, §. XLIV.

Non minus tamen & fortiter defensa, ac propugnata; hinc & conseruata, ac ad nos propagata fuit, §. XLV.

Vsus eius in praxi vitae christianae, & quidem speciatim de persona Christi, §. XLVI.

de duplici eius statu exinanitionis & exaltationis, §. XLVII.

de officio eius prophetico, sacerdotali, regio, §. XLVIII.

§. I.

QVod in foedere gratiae, post Numinis erga lapsos homines amorem, praecipuum est, id nunc merito considerandum nobis venit. Sponsorem istius foe-

deris, seu μεσίτην inter Deum & homines innuo; quem cum, qui in prioribus duobus interuallis vixerunt, adhuc exspectarent, nobis nunc propius intueri licet, siquidem tempore a Deo definito, is, vt munere suo fungeretur, adparuit. *

* Cum enim venisset τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου, *plenitudo temporis*, hoc est, cum tempus, a Deo destinatum, adesset, *Deus misit filium suum*; *Gal. IV, 4.* conf. & *Eph. I, 10.* Hoc est vltimum illud tempus, seu *vltimi dies*; *Ioel. III, 1. actor. II, 17. Ebr. I, 1. annus beneplaciti domini*; *Es. LXI, 2. dies salutis*; *II. Cor. VI, 2.* Quod quidem tempus a Deo per varia signa definitum erat, quae omnia tum conspiciebantur, cum imperante Romanis Augusto, Herode magno summam rerum apud Iudaeos tenente, horumque adeo nondum penitus destructa republica, *Luc. II, 1. Matth. II, 1. Gen. XLIX, 10.* intra LXX Danielis hebdomadas, *Dan. IX, 24.* promissus ille patribus, totque sanctorum hominum votis expetitus, humani generis redemtor, nasceretur. Fusius haec edisserentur ad §. *XXVII.*

§. II.

Is vero Iesus est, * ab educationis loco Nazarenus, ** ab officio, vt deinceps dicemus, Christus adpellatus. De quo quae dici & possunt, & debent, vt ordine edisseramus, primo de persona eius, tum de duplici statu, exinanitionis & exaltationis, denique de officio verba faciemus.

* Nomen hocce a Deo patre per angelum seruatori datum, ex *Matth. I, 20. 21.* constat, vbi etiam veram eius significationem condocemur. Ita enim

angelus

angelus ad Ioſephum: *pariet autem* (Maria) *filium, & vocabis nomen eius Ieſum; ipſe enim ſaluabit populum ſuum a peccatis ſuis.* Nimirum a verbo הושיע, quod *ſaluauit* ſignificat, & cuius forma prima ישע vſitata non eſt, nomen *Ieſus* deſcendere, poſitum eſt extra controuerſiam.

** Ita Matthaeus: *& veniens habitauit in ciuitate, quae vocatur Nazareth, vt adimpleretur, quod dictum eſt per prophetas: quoniam Nazarenus vocabitur, c. II,23.* Nullum itaque eſt dubium, quin Ieſus a loco educationis *Nazarenus* dictus ſit. Cum vero nullus in veteri teſtamento occurrat locus, in quo hoc ita fore, diſerte adſeratur; quo iure, aut quo ſenſu Matthaeus dicat, impletum hac ratione, quod per prophetas dictum: *quoniam Nazarenus vocabitur*, vehementer viri docti inter ſe diſputant. At cum conſtet, prophetas Meſſiam vocaſſe נצר *ſurculum, Eſ. XI,1.* itemque צמח *germen, Ier. XXIII,5.* & vero probabile ſit, vrbem Nazareth a נצר ſeu *virgulis*, vel *floribus* nomen ſortitam, proxime ad verum accedere videntur, qui, Matthaeum ad certa prophetarum loca, ea ſcilicet, in quibus Meſſias נצר ſeu *ſurculus*, cum alluſione quadam ad locum educationis, dicitur, reſpicere, arbitrantur.

§. III.

Primo itaque modo ſi conſideretur, id cum primis firmiter tenendum, eum & verum Deum, verumque eſſe hominem; eo quod filius Dei humanam naturam adſumſit; * nec tamen duos, ſed tantum vnicum eſſe Chriſtum, ſeu μεσίτην inter Deum & homines, *I. Tim. II,5.* ** Idque eſt, quod dici ſolet, Chriſtum eſſe verum Deum, & verum

verum hominem, in vna persona, seu, quod perinde est, duas in Christo esse naturas, personam vnam.

* Non pater, neque spiritus sanctus, sed solus filius, naturam humanam adsumsit. *Verbum* enim *caro factum, Ioan. I, 14. Deus filium suum misit factum ex muliere, Gal. IV, 4.* Hinc nec dici potest, totam essentiam diuinam carnem adsumsisse, cum vnica sit persona, scilicet filius, de quo scriptura sacra hocce adserit. Si quis autem quaerat, cur non pater, nec spiritus sanctus, sed filius, homo factus sit? responderi potest, hoc ita visum fuisse sapientiae diuinae. Simul tamen id conuenientissimum virtutibus diuinis, scriptura sacra nos ignorare non sinit. Quia enim per filium homo conditus fuit, *Ioan. I, 3. Coloss. I, 16.* conueniens etiam erat, vt per eum in pristinum statum, quem per peccatum amiserat, restitueretur, & denuo velut crearetur; *Ephes. II, 10.* Idemque Dei filius cum esset λόγος ὑποστατικὸς, par vtique erat, vt nobis adnuntiaret, quae in sinu patris didicerat, *Ioan. I, 18.* Ipseque cum esset imago patris, *Coloss. I, 15.* & χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ; *Ebr. I, 3.* eum quoque vel maxime decebat, amissam per lapsum Dei imaginem in hominibus instaurare.

** Ita paucis, & quidem ipsis scripturae verbis, magnum illud τῆς εὐσεβείας μυστήριον, *Deus in carne manifestatus, I. Tim. III, 16.* exprimi potest; quod terminis in ecclesia receptis effertur, duas in Christo esse naturas, vnam personam. Summa haec illorum est, quae nunc copiosius edisserentur.

§. IV.

Atque verum eum quidem esse Deum, eo minus dubitari potest, quod is ipse, qui naturam humanam adsumsisse, & ad homi-

num

num genus redimendum comparuisse dicitur, subinde ceu verus Deus, Deique filius, ab illo genitus, describatur. * Simulque cum de eo, ceu vero homine, scriptura loquatur, & omnia ea, quae homini propria sunt, illi tribuat, eum quoque verum hominem fuisse, nemo sine impietate negauerit. **

* Hoc Ioannes omnium luculentissime nos condocet. De τῷ λόγῳ enim, seu de *verbo*, de quo *cap. I, 14.* dicit: ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, *verbum caro factum est*, antea dixerat, ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, *in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*, hoc est, a patre, vt persona ab alia, distinctum. Is ergo, qui caro factus est, seu, qui humanam naturam adsumsit, fuit verus Deus. Idem vero, cum & *filius Dei* dicatur, vel vt Ioannes iterum loquitur, ὁ μονογενὴς παρὰ πατρός, *v. 14.* ὁ μονογενὴς υἱός, ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρός, *v. 18.* nihil aliud supereſt, quam vt probetur, Deum habere filium, eumque plane eiusdem essentiae esse cum patre, quod supra *lib. II. cap. I. §. XLIX.* demonstratum fuit. Ipsa porro officii, quo Messias functurus erat, ratio postulat, vt non tantum verus homo, sed & verus Deus esset. Pretium enim redemtionis pro nostris peccatis patri per sanguinis effusionem offerre non potuisset, nisi fuisset verus homo; idem vero pretium cum infiniti valoris esse deberet, eum quoque verum oportebat esse Deum, *psalm. XLIX, 4. 8. 9.* Hinc & alibi vt *psalm. CXXX, 8. Es. XLIII, 11.* soli Deo opus redemtionis tribuitur. Quod & Paulus confirmat, quando, *talis*, inquit, *nobis conueniebat pontifex, sanctus, vitii expers, intemeratus, a sontibus alienus, caelisque sublimior factus*: *Ebr. VII, 26.* Atque

que hinc etiam in veteri testamento subinde indicatur, Messiam, seu humani generis redemtorem, non hominem tantum, sed Deum quoque fore.

** Quod diximus, scripturam de eo, vt vero homine loqui, inde manifestum est, quod saepissime in illa differte *homo* vocetur, itemque *filius hominis*, *filius Abrahae*, *Mariae*, *semen mulieris*, *semen Abrahae*, *Isaaci*, *Dauidis*, &c. *I. Tim. II*, 5. *Matth. VIII*, 20. *Matth. I*, 1. *Luc. II*, 7. *Gen. III*, 15. item *XXII*, 18. *XXVI*, 4. *II. Sam. VII*, 12. Quas denominationes cur aliter, quam in propria accipere significatione debeamus, nulla adparet ratio. Accedit porro, quod partes, quas vocant, essentiales, quae integrum verumque hominem constituunt, anima atque corpus, & eiusmodi quidem corpus, quod carne, ossibus, atque sanguine constat, seruatori tribuantur; *Matth. XX*, 28. *XXVI*, 26. *Luc. XXIV*, 39. *Ioan. XIX*, 34. ne quid nunc de passionibus, verum hominem arguentibus, quales sunt, esurire, sitire, dolorem persentiscere, defatigari, & quae his respondent, actionibus, edere, bibere, dolores fugere, dormire &c. dicam.

§. V.

Deus nimirum verus est, per aeternam a patre generationem, per quam adeo patri est ὁμοούσιος; homo autem, per generationem ex Maria virgine, per quam hominibus factus est ὁμοούσιος. * Quae quidem ex Maria virgine generatio modo facta est plane supernaturali, dum spiritus sanctus, qui specialiori quadam ratione in hocce opere sese manifestauit, massam sanguineam beatissimae virginis purificauit, & ad debitum generationis locum delatam, ita

ita disposuit, & exornauit, vt fetus humanus, cui nihil ad humanam naturam deesset, inde prodiret; simul vero filius Dei humanam istam naturam adsumsit. **

* Cum Christus & patri,& hominibus ὁμοούσιος dicitur, non eadem ratione vox illa accipitur. Patri nimirum ὁμοούσιος vocatur, quia eiusdem numero cum eo est essentiae; hominibus vero, quia eamdem specie cum illis essentiam habet. Ceterum, cum diuinam naturam a solo patre habeat per aeternam generationem, humanam autem per natiuitatem ex Maria virgine; hinc ad exemplum Melchisedeci, qui typus eius fuit, ἀπάτωρ & ἀμήτωρ adpellatur, *Ebr. VII, 3.*

** Vt magnum hocce incarnationis mysterium paucis explicemus, primo quidem extra dubium positum esse existimamus, filium Dei reuera humanam naturam adsumsisse. Id namque est, quod Paulus diserte nos condocet: *Sicut pueri communionem habent* (κεκοινώνηκε) *carnis & sanguinis, ipse similiter* μετέσχε τῶν αὐτῶν, *particeps factus est eorumdem; Ebr. II, 14.* atque *I. Tim. III, 16. Deum manifestum factum in carne.* Cum enim Deus, ceu spiritus, inuisibilis sit, nec vllis sensibus externis expositus, in carne manifestatus est, dum carnem, seu humanam naturam adsumsit, vt adeo hac ratione videri, audiri, manibusque palpari potuerit. Sed & Ioannes idem docet, cum dicit: *& verbum,* ὁ λόγος ille, qui ab initio erat, & qui apud Deum erat, immo, qui Deus ipse erat, *v. 1. caro factum est*, hoc est, homo esse coepit, ea quidem ratione, vt Deus simul maneret, adeoque & Deus & homo esset; *Ioan. I, 14.* quod rursus non aliter fieri potuit, quam vt filius Dei, siue ὁ λόγος, naturam humanam adsumeret, & ita vtraque natura, diuina

&

& humana, arctissimo vinculo coniungeretur. Atque hinc etiam colligere licet, incarnationem neutiquam per *mutationem* quamdam, aut *confusionem*, factam esse. Vtrique enim adsumtio, seu vnitio, quae ex hactenus dictis fluit, repugnat. Accedit, si per mutationem facta esset, aut humana natura in diuinam, aut diuina in humanam mutata esset. Posterius adeo absurdum est, vt ne cogitatio quidem eiusmodi alicui in mentem venire queat. Prius itidem esse nequit, cum Christus verus homo fuerit, & ita quoque in scriptura sacra describatur. Humana autem natura in diuinam mutata, non amplius fuisset verus homo. Sed nec per confusionem naturarum facta est incarnatio, cum etiam post eam Christus mox vt homo, mox vt Deus, adeoque vtraque natura distincta cum suis proprietatibus, sed tamen vt in vna persona, describatur. Vt vero specialiori quadam ratione rem omnem, praeeunte scriptura, declaremus, obseruare porro iuuat, naturam humanam a spiritu sancto ex massa beatae virginis Mariae productam, riteque praeparatam esse, vt in ea πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος *habitare* σωματικῶς posset; *Coloss. II, 9.* Quod non ita capiendum, ac si reliquae diuinitatis personae ab hocce munere excludendae sint; sed quod spiritui sancto modo quodam specialiori in scriptura sacra hoc tribuatur. Diserte enim Gabriel angelus, ad Mariam: πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπί σε, *Luc. I, 35.* Hinc & *Matth. I, 18.* Maria vterum gessisse dicitur, ἐκ πνεύματος ἁγίου, *ex spiritu sancto*; item: *quod ex illa nascetur*, ἐκ πνεύματός ἐστιν ἁγίου, *ex spiritu sancto est.* Haec vero productio atque praeparatio in eo constitit, quod spiritus sanctus massam sanguineam beatissimae virginis purificauit, & ad debitum generationis locum delatam, ita disposuit, vt fetus humanus inde prodiret. Nimirum,

mirum, purificatio, seu sanctificatio massae sanguineae, beatae virginis necessaria erat, vt fetus humanus, omnis labis atque peccati expers, produceretur. Vnde & angelus illud, quod ex Maria nasci, filiusque Dei vocari debebat, τὸ ἅγιον, *sanctum* appellitat; *Luc. I, 35.* Enimuero, cum extra controuersiam positum sit, naturam humanam Christi omnis peccati atque labis immunem fuisse; simulque constet, eam minime creatam, seu, ex nihilo productam, vti antea iam obseruauimus; sequitur sane, massam illam sanguinis virginei, ex qua humana Christi natura producta est, aut praeseruatam fuisse a peccato, aut purificatam a spiritu sancto. Prius etsi nonnullis placeat, non tamen facile, quo pacto fieri potuerit, mente concipitur; vnde posteriori potius sententiae, quae & plerorumque nostrae ecclesiae theologorum est, subscribere nullus dubito. Nec est, quod dicas, cum ista purificatio sine satisfactione fieri non potuerit, sequi tum inde, quod Christus pro se ipso satisfecerit. Particula enim ista massae sanguineae, ex qua humana Christi natura producta est, tum nondum spectabatur, vt natura Christi, sed vt particula corporis Mariae. Pro Maria autem quod Christus, aeque ac pro aliis hominibus, satisfecerit, dubio caret. Neque dubitamus adserere, humanam Christi naturam aeque ac alios homines omnes, fuisse in lumbis Adami. Non enim inde sequitur, filium Dei humanam naturam adsumturum fuisse, etiamsi hominum genus non peccasset, vti Pelagiani, & ex scholasticis doctoribus nonnulli, aliique, sibi persuadent. Caussa siquidem non adparet, cur omnes, qui in lumbis Adami fuerunt, etiam nasci debuerint, aut si ex hocce semine, ex quo natura Christi humana sumta est, homo natus fuisset, is merus fuisset homo, cum filius Dei eius naturam non adsumsisset. Non tantum autem par-

ticula illa sanguinis virginei, ex qua natura humana Christi formari debuit, purificata est a spiritu sancto; sed in locum etiam debitum generationis delata, vt fetus humanus, cui nihil ad humanam naturam deesset, inde prodiret. Cum corpore itaque organico, vel eius delineatione prima, ipsa statim quoque anima humana exstitit, eo modo, quo alias animae hominum in eorum generatione exsistere solent.

§. VI.

Vt autem, secundum hactenus dicta, seruator optimus cum hominibus omnia, quae iis, prout homines sunt, conueniunt, communia habuit;* ita propria illi fuere, quod peccati omnis atque labis expers esset; *Ebr. IV, 15. VII, 26.* itemque, quod humana eius natura, propria subsistentia destituta, subsistentia τῦ λόγυ subsisteret. Immo & dotes istae huc pertinent, quibus qua mentis, qua corporis facultates Christus reliquos omnes homines longissimo interuallo post se reliquit. **

* Sequitur hoc sponte sua ex incarnatione. Si enim Christus verus homo est, vti omnino est, necesse est, vt omnia, quae hominibus, prout homines sunt, conueniunt, cum iis communia habeat. Huc itaque omnes animae facultates, intellectus cumprimis & voluntas, earumque operationes, omnes itidem adfectus, qui nullum vitium inuoluunt, gaudium, tristitia, ira, misericordia, & quae reliqua sunt eiusdem generis, pertinent. Nec excludendae sunt infirmitates naturales, vt esurire, fatigari, & reliquae, quibus homines etiam absque peccato obnoxii esse possunt. Quae vero ex peccato fluunt, seu in homine non essent, nisi peccato originali esset infectus, ea

Christo

Christo minime tribuenda. Quidquid ergo ἀταξίας, aut in intellectu, aut imaginatione, aut in voluntate, eiusque motibus est, procul ab eo remouendum. Hinc nec tentationibus eiusmodi, quae deprauatam per peccatum hominis naturam arguunt, obnoxius fuit, siquidem vndique equidem (per varia vitae huius incommoda, perque cruciatus, atque dolores) tentatus est, sicut alii homines, *sed absque peccato*, *Ebr. IV, 15.* Morbos itaque etiam nullos corporis expertus est, immo, nec experiri potuit; cum morbi peccatum aliquod illis inhaerens, qui iis adficiuntur, arguant. Id quod de morte ipsa censendum, cuius in Christum nulla fuisset potestas, nisi eam nostri caussa subire, illi placuisset; *Ioan. X, 17. 18.* Est enim mors *stipendium peccati*, *Rom. VI, 23.*

** Inter ea, quae Christo, vt homini, propria sunt, primum est, quod omnis peccati, omnisque labis expers fuit. Diserte hoc testatur apostolus, *loco* iam *citato*, *Ebr. IV, 15.* hinc & τὸ ἅγιον dicitur, quod ex Maria nasci debebat, *Luc. I, 35.* talemque sacerdotem nostrum summum esse oportebat, *Ebr. VII, 26.* Id ei ita proprium, vt ceteroquin nulli mortalium conueniat. Ex immundis enim nascuntur immundi; *Iob. XIV, 4. psalm. LI, 7. Ioan. III, 6.* Praeterea & hoc illi proprium fuit, quod humana natura, propria subsistentia destituta, subsisteret subsistentia τοῦ λόγου. Tandem & dotes illae animi pariter ac corporis huc pertinent, quibus itidem ἐξοχὴν quamdam prae reliquis hominibus omnibus obtinuit. Et ad corporis quidem dotes quod attinet, quin summa in illo fuerit εὐκρασία & aequabilis temperies, non est quod dubitemus. Nullis idem morbis, nec morti ipsi obnoxium fuisse, antea iam monuimus: quod corpus, peccati omnis expers, nullam quoque deformitatem admittit. Cum etiam corpus, ceu habitaculum, animae nobilissimae respon-

disse censeatur merito ; dotibus longe pulcherrimis illud exornatum fuisse, vt credamus, par est. Muneri quoque, quo Christus inter mortales fungi debebat, adeo hoc non repugnat, vt prorsus conueniat, immo eius ratio hoc postulasse quodammodo videatur. Dotes porro prorsus eximiae, quibus anima Christi exsplenduit, vel naturales sunt, vel spirituales. Ad naturales omne illud, quod aut intellectu, aut voluntate praestans, aut egregium cogitari potest, pertinet. Ad spirituales autem, exquisitissima rerum omnium, humanarum, diuinarumque cognitio, cum sapientia summa, per incrementa tamen subinde augenda; *Luc. II, 54.* itemque, si voluntatem spectes, chorus integer virtutum omnium, quarum summa, in perfectissimo patris amore, obsequioque, voluntati eius praebendo, se conspiciendam exhibebat. Atque hae quidem animi dotes per *oleum* illud *laetitiae* designantur, quo seruator *vnctus* dicitur, prae consortibus, *psalm. XLV, 8.* conf. *Es. XI, 1.* Sedulo autem distinguendae sunt istae dotes ab attributis illis diuinis, quorum humana natura per vnionem cum diuina, facta est particeps.

§. VII.

Per istam itaque vtriusque naturae, diuinae & humanae, qua diuina humanam, propria subsistentia destitutam, intra suam hypostasin adsumsit, & se cum illa arctissime coniunxit, factum est vnitionem, vt vna tantum persona θεάνθρωπος inde resultaret; vnusque adeo inter Deum & homines esset μεσίτης, qui Deus simul, atque homo esset. *

* Vnitio itaque haecce, aeque ac vnio ipsa, (voce pro statu sumta) *personalis* dicitur, a termino, hoc est,

est, quia per vtriusque naturae coniunctionem, vna persona, quae simul Deus & homo erat, exstitit. Id autem vt fieret, necesse erat, vt alterutra natura ex iis, quae in vnam personam coaluerunt, propria subsistentia destitueretur; cum ex subsistentia persona aestimari soleat. De diuina autem natura cum id dici nequeat, quod subsistentia sua destituatur, nihil aliud supereſt, quam vt de humana illud adseramus, eam subsistentia propria destitutam, subsistere subsistentia τοῦ λόγου. Neque inde humanae Christi naturae quidquam decedit, cum ad naturae perfectionem subsistentia non pertineat; adeoque natura humana in Christo perfecta esse queat, etsi non subsistat subsistentia propria, sed subsistentia τοῦ λόγου. Adserendum hoc ideo est, quia ceteroquin duae in Christo forent personae, hoc est, reuera duo Christi, quod prorsus absonum. Scriptura enim semper de vno Christo, deque vna persona, quae Christus sit, loquitur. Diserte namque Paulus *vnum* saltem μεσίτην esse, dicit, *inter Deum & homines, I. Tim. II, 5.* Accedit porro, quod vnus idemque Christus mox tamquam Deus, mox tamquam homo, in sacris litteris describatur; vt cum idem ille, *qui est ex patribus* κατὰ σάρκα, *Deus* dicitur *super omnia benedictus in saecula*; *Rom. IX, 5.* & idem ille, qui *ex Maria nascitur*, vocatur *filius altissimi*, *Luc. I, 35.* Quae profecto aliter intelligi nequeunt, quam vt in Christo duae naturae, humana & diuina, sed vna tantum persona, admittatur. Et ex hactenus quidem dictis perspicitur, vnitionem illam eiusmodi esse actionem, qua filius Dei, seu natura diuina, prout est filii Dei natura, humanam, propria subsistentia destitutam, intra suam hypostasin adsumsit, & cum ea arctissime se coniunxit, vt vna persona, quae simul verus Deus, & verus homo esset, inde prodiret.

§. VIII.

Status, qui ex vnitione ista resultauit, *vnionis* nomine venit, & quidem *personalis*, quia vnitio ista, vti dictum, ad vnam personam constituendam tendit. Vnde simul patet, quod coniunctio duarum istarum naturarum longe arctissima, eaque plane indissolubilis, immo talis, qua natura humana subsistit hypostasi τῦ λόγυ, hac voce denotetur, quae tamen nullam naturarum aut commixtionem, confusionemque, aut alterius in alteram conuersionem, aut mutationem, absorptionemque, vel simile quid, inferat. *

* Terminus vnitionis & Christus ipse est, θεάνθρωπος, seu vna persona Christi, eaque ex naturis duabus, arctissime inter se vnitis, constans; & status etiam iste duarum naturarum in vna persona, qui *vnionis* nomine venit, quamuis interdum ipsa vnitio seu coniunctio istarum naturarum hac voce significetur. Prout ergo statum vox ista denotat, per *vnionem* perpetua & inseparabilis humanae Christi naturae in communicata sibi hypostasi τοῦ λόγου permansio, intelligitur. Vnde simul patet, vnionem hancce merito *personalem* dici, eamdem scilicet ob rationem, ob quam ipsa vnitio ita salutatur. Sed & reliqua, quae de vnione dici solent & possunt, hinc facile diiudicare licet. Namque, non qualemcumque duarum naturarum coniunctionem, sed intimam, arctissimamque, immo talem, ex qua vna persona θεάνθρωπος resultat, indicari, ex iis, quae de vnitione ipsa docuimus, manifestum est. Eam igitur ab aliis, qui subinde occurrunt, vnionum modis

plane

plane diuersam esse, intelligitur. Speciatim a naturali, seu essentiali vnione plurimum differt. Naturalis nimirum seu essentialis vnio eorum est, quae per se ad hoc ordinata sunt, vt vnam naturam, seu essentiam constituant; quod de humana, diuinaque Christi natura dici nequit. Etsi enim ex earum coniunctione vna resultet persona, naturarum tamen ipsarum remanet diuersitas. Vnde *naturarum*, non *naturalis* haec vnio vocari solet. Quod si vox *naturalis* τῷ *supernaturali* opponatur, & hoc quoque sensu vnio naturarum in Christo naturalis esse recte negatur; simul vero & alios supernaturalis vnionis modos dari, fatendum, a quibus personalis haecce maximopere differt. Namque & eminentissima illa, secundum essentiam, vnio, quae inter sacrosanctae trinitatis personas est, & sacramentalis illa, quae est inter panem & corpus Christi, & inter vinum atque sanguinem Christi, pro supernaturali recte habetur. Neque pro *accidentali*, vnio haecce personalis reputanda. Praeterquam enim, quod non accidens aliquod cum substantia, sed duae substantiae seu naturae vniantur, vinculum etiam, seu ratio vniendi, non est accidens aliquod, sed hypostasis, si quidem vnio illa fit, dum humana natura intra hypostasin τῷ λόγῳ adsumitur, vt ita vna persona θεάνθρωπος constituatur. Cum primis autem vnio personalis duarum naturarum in Christo plurimum differt ab vnione mystica, vt vocari solet, fidelium cum Deo. In hac enim homines credentes suam ὑπόστασιν retinent, nec adeo, vt aliena sustententur, opus est, cum in illa contra humana natura propria ὑποστάσει destituta, subsistentia τῷ λόγῳ subsistat. Hinc & de hominibus piis, cum Deo vnitis, neutiquam dici potest, quod vnam cum Deo personam constituant, quod tamen de humana Christi natura recte adseritur. Sed & insolubilis est ista v-

triusque naturae in Christo vnio, cum, quod filius Dei semel adsumsit, numquam iterum deponat; cum mystica illa vnio credentium cum Deo & solui queat, & haud raro reipsa soluatur, si fide prorsus, gratiaque adeo Dei homines excidant.

§. IX.

Vnam vero in Christo tantum esse personam, adeoque humanam naturam cum diuina, indissolubili vinculo coniunctam, non propria, sed τῷ λόγῳ hypostasi subsistere, diserte subinde scriptura sacra testatur; *I. Tim. II, 5. Ephes. IV, 5. I. Cor. VIII, 6.* & singulae fere librorum noui testamenti loquuntur paginae, in quibus de Christo, vt vna persona, verba fiunt. Accedit, remque planissime euincit, quod & finis incarnationis Christi hoc postulauerit; *Ebr. VII, 26.* quem irritum fuisse, sequeretur, si res aliter sese haberet. Non minus tamen & citra commixtionem conuersionemque, vnionem istam factam, scriptura luculenter docet. *

* Sparsim equidem hactenus, quae ad veram, realemque, & eamdem hypostaticam duarum naturarum in Christo vnionem demonstrandam pertinent, attigimus; ob rei tamen grauitatem iuuat cuncta summatim complecti, vt, quam firmis nostra sententia innitatur fundamentis, pateſcat. Primo igitur firmiter, ceu extra omnem positum controuersiam, tenendum, Christum esse verum Deum, verumque hominem; Deum quidem, per generationem a patre; hominem autem, per generationem ex Maria virgine. Non minus firmiter

ter tenendum, Christum reuera hominem factum, seu, humanam naturam adsumsisse. Id vero non aliter, quam ea, qua diximus, ratione factum, vt humana natura arctissimo & indissolubili vinculo cum diuina vniretur; hinc & non propria, sed τῷ λόγῳ ὑποστάσει subsisteret: primo quidem inde apertissime liquet, quod non de duobus, sed de vno solum Christo, eoque Deo & homine, scriptura sacra loquatur. Sic Paulus diserte vnum tantum μεσίτην esse dicit, inter Deum & homines, hominem Christum Iesum, *I. Tim. II, 5.* Et *I. Cor. VIII, 6. vnum nobis esse* ait *dominum Iesum Christum, per quem omnia, & nos per ipsum.* Vt vero vnum, non duos, habeamus Christum, fieri profecto nequit, nisi ea, quam adserimus, duarum naturarum vnio personalis statuatur. Neque tantum vnum solum esse Christum, sacra scriptura testatur, sed de vno etiam, eodemque Christo & seruatore, mox vt vero Deo, mox vt vero homine, loquitur. Ipse seruator testimonio Dauidis, *psalm. CX, 1.* contra Pharisaeos, se non tantum verum hominem, sed & verum Deum esse, demonstrauit, immo, talem Messiam fore, probauit, *Matth. XXII, 42. 44.* Dauidis enim filium fore Messiam, fatebantur Pharisaei, vnde & eum hominem futurum constabat, quemadmodum & reuera Christus Dauidis filius erat. Eumdem autem & verum Deum fore, ex eo recte colligebatur, quia Dauid eum dominum suum vocabat. Quo pacto ergo is, qui filius Dauidis est, simul dominus eius, seu verus Deus esse queat, nisi hypostatica naturarum admittatur vnio, non intelligitur. Pari ratione & Paulus vnum eumdemque filium Dei seu Christum, & *ex semine Dauidis* esse dicit, κατὰ σάρκα *secundum carnem*, & *filium Dei demonstratum* ἐν δυνάμει κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης, *secundum spiritum sanctita-*

tis, hoc est, secundum diuinam naturam; *Rom. I, 3, 4.* Sic & Petrus, omnium apostolorum nomine de *filio hominis* profitetur, quod sit *filius Dei viuentis*, *Matth. XVI, 13. 16.* Vnus ergo, idemque filius hominis est etiam filius Dei; non aliter profecto, quam per vnionem hypostaticam. Nec enim vllus alius modus vnionis excogitari potest, secundum quem haec ita dici possent, quam personalis illa vnio, de qua verba facimus. Sufficere equidem haecce ad id, quod nobis constitutum est, probandum, possent; sed addere porro licet loca illa, quae de ipsa incarnatione ita loquuntur, vt vnionem personalem simul luculenter adstruant. Omnium instar est illud Ioannis effatum: *verbum caro factum est*, *cap. I, 14.* Deum hic commemorat atque hominem. De verbo *v. 1.* dixerat: *& Deus erat verbum.* Humanam naturam *carnis* nomine designat. Arctissimam, vereque personalem vnionem indicat, dum, verbum illud *carnem factum*, pronuntiat. Aut enim per conuersionem, commutationemque hoc contigit, aut per vnionem personalem. Prius cum absonum sit; ergo posterius admittendum erit. Neque est, quod vnionem qualemcumque hic cogites. Nulla alia namque, quaecumque demum sit, praeter hypostaticam, prout eam descripsimus, efficere poterit, vt dicere queamus: *verbum caro factum est.* Ioanni suffragatur Paulus, *Ebr. II, 14.* vbi verbo μετέχειν indicat, filium Dei carnis & sanguinis, hoc est, naturae humanae ita participem factum, vt ei non minus, quam pueris conueniat. Quod profecto rursus non aliter, quam per vnionem istam hypostaticam, fieri potuit. Sed, missis reliquis, id cumprimis adhuc obseruandum censemus, ex ipso fine, seu scopo incarnationis Christi, vnionem naturarum hypostaticam euidenter demonstrari posse.

se. Notum est, officium, quo Messias, seu humani generis redemtor fungi debebat, postulasse, vt idem & verus Deus, & verus homo esset. Et sane, si homo non fuisset, non potuisset passione sua, & morte, & sanguinis effusione, hominum expiare peccata; si Deus non fuisset, non potuissent ea, quae passus est, id efficere, quod efficere debebant; siquidem pretium infiniti valoris ad hominum redemtionem requirebatur; conf. *I. Petr. I, 18. 19. I. Ioan. II, 2. Ebr. VII, 26. 27.* Haec autem non recte sibi constant, nisi vnus idemque Messias per vnionem hypostaticam simul & verus Deus, & verus homo fuisset. Tum enim, quidquid pro nobis aut egit, aut passus est, tantum vt homo egisset, aut passus fuisset; sanguisque, quem pro nobis effudit, meri hominis solum fuisset sanguis; adeoque ad hominum expianda peccata, iramque Numinis placandam, non sufficisset. Vt haec omnia namque eiusmodi haberent valorem, quem hominum redemtio requirebat, hoc est, infinitum, necesse erat, vt omnes & praestationes & passiones eius essent, qui verus simul esset Deus, vt sanguis, qui pro nobis effundendus erat, non nudi hominis, sed eiusmodi hominis sanguis esset, qui simul verus Deus esset; quod rursus fieri non potuisset, nisi duae in Christo naturae, diuina & humana, vnione hypostatica fuissent vnitae.

§. X.

Ex vnione ista personali non potest non fluere naturarum communicatio, seu intima illarum communio, per quam diuina natura, hominis, seu filii hominis, humana autem, Dei esse censetur; *Ebr. II, 14.* Atque huc περιχώρησις illa pertinet, qua diuina

uina natura humanam ita permeat, penetratque, vt nihil in ea sit, quod non per vnionem istam personalem, diuinitatem participet; conf. *Coloss. II, 9.* *

* Communionem naturarum ex vnione personali fluere, facile intelliget, qui serio, quae hactenus de vnione ista diximus, secum expenderit. Cum enim natura humana tam arcte cum diuina coniuncta sit, vt non propria, sed τοῦ λόγε ὑποστάσει subsistat, sequitur, vt vi istius vnionis diuina Christi natura sit natura hominis, seu filii hominis, hoc est, eius, qui reuera homo est, ex Maria virgine natus; & vicissim, quod humana Christi natura, natura sit Dei, seu filii Dei, hoc est, eius, qui simul verus Deus est, a patre ab aeterno genitus. Idque est, quod *naturae communionem* vocant. Idemque ex scripturae etiam locis illis, quae de vnione personali agunt, recte colligitur. Sic Paulus filium Dei *participem factum* dicit *carnis & sanguinis*, idque vere & realiter, seu eadem ratione, qua pueri carnis & sanguinis participes sunt. Ista vero μετοχὴ omnino communionem infert, quemadmodum & de pueris ipsam vocem κοινωνίας seu *communionis* apostolus adhibet: κεκοινώνηκε σαρκὸς καὶ αἵματος. Ad designandam hancce naturarum communionem, solent theologi subinde voce περιχωρήσεως vti; quae *penetrationem*, seu *immeationem* denotat; eo, quod natura diuina humanam ita veluti permeet atque penetret, vt nihil sit in humana natura, quod expers sit diuinitatis. Nostrates autem theologi dudum monuerunt, περιχώρησιν istam neutiquam esse reciprocam, vt, sicut diuina natura humanam peruadit, ita humana quoque permeet diuinam. Neque enim diuina natura ab humana quidquam perfectionis accipere potest. Recte vero etiam

etiam alii monent, cum voce περιχωρήσεως vtimur, cauendum, ne extenſionem quamdam localem, diuinae atque humanae naturae, aut permeationis quamdam ſucceſſionem, aut ſimile quid, concipiamus, quod aut natura diuina indignum, aut cum humanae naturae deſtructione coniunctum eſt. Quod autem iſta περιχώρησις recte adſeratur, iisdem rationibus, quibus communicatio naturarum probari ſolet, euincitur. Fluit enim vtraque ex vnione perſonali. Immo, naturarum communicatio per iſtam περιχώρησιν adcuratius explicatur.

§. XI.

Atque hinc *propoſitiones* illas, quas *perſonales* vocant, intelligere licet, in quibus concretum vnius naturae de concreto alterius naturae adfirmatur. Quas quidem inuſitatas prorſus, nec ad exemplum aliarum propoſitionum exigendas, nemo dubitauerit; cum cogitationum, adeoque & loquutionum noſtrarum norma ſint res ipſae, quarum notiones animo concipimus, easque verbis exprimimus. Quando ergo res ipſa ſingularis prorſus & inuſitata eſt, cogitationes quoque noſtrae, adeoque & propoſitiones, quando aliquid de illis aut adfirmatur, aut negatur, aliter ſe habere nequeunt. Atque hinc etiam patet, *reales* nihilominus eas eſſe propoſitiones, atque *proprias*, neutiquam autem *tropicas*. *

* Vt intelligamus, quaenam propoſitiones *perſonales* adpellitentur, diſcrimen obſeruandum, quod inter *concretum naturae*, vt loqui ſolent, & *concretum perſonae* intercedit. Nimirum vox, quae ſuppoſitum,

positum, a natura, quae per se ei conuenit, denominatum in casu recto, & naturam ipsam in casu obliquo denotat, *concretum naturae* adpellatur. Sic *Deus* est concretum naturae, quia suppositum denotat, habens diuinam naturam; vox *homo* itidem, cum suppositum significet, habens humanam naturam. Hinc *deitatem*, *humanitatem*, abstracta naturae esse, nemo non intelligit. Per *concretum personae* autem vox indicatur, quae personam, vtraque natura constantem, in formali, quem denotat, conceptu exprimit, seu in casu recto suppositum, in obliquo vtramque naturam. Cuiusmodi voces sunt, *Christus*, *Messias*, *Iesus*, *Immanuel*; siquidem personam eiusmodi denotant, quae vtramque naturam, & diuinam, & humanam habet. Quando itaque concretum vnius naturae de concreto alterius naturae enuntiatur, e. g. quando dicitur: Deus est homo, vel, homo est Deus, propositio eiusmodi vocatur personalis. Ratio est, quia vnionem personalem in Christo supponit. Sine tali enim naturarum in Christo vnione, numquam dicere potuissem, Deum esse hominem, aut hominem esse Deum. Huc ergo pertinet, quod *Ioan. I, 14.* dicitur: *verbum caro factum est.* Cum enim ὁ λόγος, seu verbum, sit ipse Deus, & caro humanam naturam significet, perinde est, ac si dicas: *Deus est homo.* Pari ratione cum Petrus ad Christum dicit: *tu*, (fili hominis) *es filius ille Dei viuentis*, *Matth. XVI, 16.* perinde est, ac si dixisset, *filius hominis est filius Dei*, vel quod eodem recidit: *homo est Deus.* Abstracta autem naturae de se inuicem enuntiari non posse, longe est manifestissimum. Non enim personalis naturarum vnio, sed earum conuersio aut confusio tum indicaretur: quem in Eutyche errorem merito damnarunt veteres. Dicere itaque non licet, *diuina natura est humana*, aut: *deitas est humanitas*, & viceversa. Ceterum personales istas, de quibus diximus, praedicationes

cationes plane inusitatas esse, nemo non facile perspicit. Res ipsa namque seu vnio personalis, cum inusitatum quid, immo, maximum mysterium sit, certe cogitationes nostrae, modique loquendi, ad ordinarias cogitandi aut loquendi formas reuocari nulla ratione possunt. Inusitatae autem licet sint istae praedicationes, sunt tamen maxime reales, & non mere verbales. Realis enim est naturarum in Christo vnio, earumdemque communio; hinc &, quae inde fluunt, praedicationes non quoque non reales esse possunt. Non tantum vero reales sunt propositiones istae, sed & propriae. Omnia namque, quibus constant, verba, proprie, non figurate sunt accipienda. Immo, ita accipienda esse, vel inde constat, quod scripturae loca, quae de vnioni personali, & naturarum communione loquuntur, non aliter, quam proprie intelligi queant ac debeant. Nulla itaque hic etiam admittenda ἀλλοίωσις, qua e. g. subiecti loco ponatur *homo*, sed aliud quid cum eo vnitum, deitas, siue filius Dei intelligatur. Sequetur enim inde, non hominem, sed filium Dei, qui cum homine coniunctus est, verum Deum dici, quod cum vnione personali consistere nequit. Immo, hac ratione prorsus destruitur, Deusque & homo, ceu personae distinctae, in Christo adseruntur; & ita aperte in Nestorii castra transitur. An praedicationes personales *accidentales* vocari possint? disputatum inter nostrates fuit. Admitti equidem id potest, si accidentales propositiones illae sint, quae essentialibus, in quibus praedicatum ad ipsam essentiam subiecti pertinet, opponuntur. In personalibus enim non per ipsam naturam, sed per vnionem personalem, praedicatum subiecto conuenit. Satius tamen nonnulli esse existimant, & merito quidem, ab ista formula, quae praedicationes illas accidentales perhibet, abstinere; quia

per

per eam facile quis in istiusmodi inducі cogitationem possit, ac si ipsa vnio naturarum in Christo accidentalis sit. Quaeri etiam solet, quid de istis propositionibus censendum, in quibus de concreto personae, concretum alterius, aut vtriusque naturae enuntiatur? Certe inusitati aliquid in iis esse, negari nequit; cum subiecti loco ponatur persona, vtramque naturam complectens, possuntque adeo certo modo ad personales referri. Adcurate tamen loquendo, personales non sunt, quia praedicatum subiecto, saltem qua vnam naturam, per se & formaliter, non autem per vnionem personalem, conuenit. Talis propositio haec est: *Christus est Deus*, itemque: *Christus est homo*. Cum enim nomen *Christus*, sit concretum personae, vtramque naturam complectens; hinc praedicatum *Deus* de subiecto secundum diuinam naturam, & pari ratione praedicatum, *homo*, de subiecto, secundum humanam naturam formaliter & per se, absque vnionis personalis interuentu, enuntiatur.

§. XII.

Naturarum istam, quae ex vnione personali fluit, communionem, non potest non idiomatum quoque, seu proprietatum, ac operationum communicatio consequi. Cum enim proprietates a natura, cuius sunt proprietates, non possint separari, fieri profecto aliter nequit, quam vt communicata natura, idiomata etiam & operationes communicatae censeantur. Hinc itaque, quae vni naturae in Christo propria sunt, vt alteri reuera conueniunt, ita recte eidem tribuuntur.*

* Per

* Per *idioma* hoc loco omne id intelligitur, quod alterutri naturae per se competit, nec tamen primum eius conceptum ingreditur. Ipsas etiam operationes, ex natura quadam fluentes, theologi hac voce complectuntur; quas si ab idiomatibus distinguunt, ea in strictiori significatione vtuntur. Ad vocem *communicationis* quod attinet, quae tum hic, tum &, quando de naturarum communicatione sermo fuit, non tam pro *actu*, quam pro *statu* sumitur, non sine ratione nonnulli monent, eam paullo aliter in primo & secundo, quam in tertio genere vsurpari; cum in illis eiusmodi communionem, quae in participatione quadam consistit, ita vt eius, quod vni naturae proprium est, altera quoque, propter vnionem personalem reuera particeps sit; in tertio autem genere, operationum, quae cuique naturae propriae sunt, quemdam veluti concursum, vt Christus officio mediatorio recte fungi posset, denotet. Vnde sequitur, quando operationes diuinae naturae humanae tribuuntur, hoc non ad tertium, sed ad secundum genus communicationis idiomatum pertinere. Vt autem communicationem istam idiomatum operose probemus, necesse non est, cum sua sponte ex naturarum communione, vti haec ex vnione personali, fluat. Cum enim communicatio naturarum a communicatione idiomatum, non tam re ipsa, quam nostro concipiendi modo, differat; & vero ex vnione hypostatica non possit non naturarum communicatio fluere; manifestum est, neminem idiomatum communicationem negare, aut in dubium vocare posse, nisi simul naturarum communionem, ipsamque adeo vnionem hypostaticam, labefactare velit. Quando vero per istam idiomatum communicationem, quae vni naturae propria sunt, alteri quoque tribuuntur, hoc ita intelligendum, res ipsa docet, quod ea vni

naturae per se & formaliter, alteri autem per vnionis gratiam conueniant.

§. XIII.

Quemadmodum autem vera, realisque, omni ἀλλοιώσει prorsus proscripta, communicatio intelligitur, ita simul probe obseruandum, eam neutiquam κατὰ μέθεξιν vel μετέκβασιν, aut simili ratione, sed κατὰ συνδύασιν, per vnionem & coniunctionem factam, recte existimari. Duo namque sedulo hic euitanda extrema sunt; alterum eorum, qui communicationem hanc veram, realemque esse negant, alterum vero illorum, qui attributa diuina humanae naturae ita communicata censent, vt in eamdem transierint, & veluti transfusa sint.

§. XIV.

Vt loquendi rationes, quibus scriptura sacra istam idiomatum & operationum communicationem exprimit, eo rectius discernerentur, aliorumque simul erroribus obuiam iretur, certa constituta sunt communicationis idiomatum genera; & a plerisque quidem tria: quorum primum speciatim communicatio ἰδιωμάτων, alterum, communicatio ἀυχημάτων, & tertium denique communicatio ἀποτελεσμάτων, vocari solet.

§. XV.

Primum nimirum genus communicationis est, quando ea, quae Deo propria sunt, homi-

homini, & quae homini propria sunt, Deo, propter vnionem personalem tribuuntur.* Pertinentque adeo ad primum hocce genus eiusmodi praedicationes, in quibus de concreto naturae diuinae, idioma humanum, & vicissim, de concreto naturae humanae, idioma diuinum adfirmatur. **

* Perinde est, si dicas, in primo hocce genere humanae naturae, in concreto spectatae, idiomata diuina, & rursus, diuinae naturae itidem in concreto consideratae, idiomata humana communicata, significari. Fundamentum huius communicationis esse communicationem naturarum, prout haec ex vnione hypostatica fluit, nemo non intelligit. Hinc vero patet, quod communicatio ista sit reciproca.

** Cuiusmodi propositiones passim in scriptura sacra occurrunt, vt, cum dicitur: *filius Dei factus est ex semine Dauidis, Rom. I, 3. filius Dei proprius in mortem pro nobis traditus, Rom. VIII, 32. filius Dei factus ex muliere, Gal. IV, 4. dominus gloriae crucifixus, I. Cor. II, 8. auctor vitae est interfectus; act. III, 15.* In hisce enim omnibus, & aliis eiusdem generis, subiectum est concretum naturae diuinae, praedicatum autem idioma aliquod naturae humanae. Rursus cum *Ioan. III, 13.* dicitur: *Nullus adscendit in caelum, nisi qui descendit e caelo, filius hominis, qui est in caelo;* subiectum est concretum naturae humanae: *filius hominis;* praedicatum autem, siue, *esse vbique, in caelo pariter, ac in terra*, est idioma naturae diuinae. Subinde vero in scriptura sacra in eiusmodi propositionibus particulae διακριτικὰ, vt: διὰ, ἐν, ἐκ, κατὰ, adduntur; quarum licet diuersus vsus, diuersaque sit significatio, in hisce tamen propositionibus, quae ad primum genus communicationis idiomatum pertinent, indicant, cui naturae praedicatum per se con-

ueniat. Etsi enim praedicatum vtrique naturae recte tribuatur, alteri tamen per se, vel formaliter, vt loqui solent, alteri autem per, & propter vnionem personalem conuenit. Disputari etiam hic solet de propositionibus, in quibus aut subiectum est concretum personae, & praedicatum idioma alterutrius naturae, aut in quibus subiectum est concretum eius naturae, ad quam praedicatum per se, aut formaliter pertinet. Sic, cum dico, *Christus est omnipotens, aeternus &c.* subiectum est concretum personae, praedicatum autem, idioma diuinae naturae. Cum vero dico, *filius Dei est immensus, aeternus &c.* subiectum est concretum diuinae naturae, ad quam praedicatum per se, & formaliter pertinet. Sed hae propositiones, adcurate loquendo, personales non sunt, etsi ad eas,& quidem ad primum genus communicationis idiomatum,reuocari quodammodo possint. Enimuero, quando de concreto personae idioma alterutrius naturae praedicatur, id directe & exserte ex vnione personali, naturarumque communicatione non fluit. Cum enim dicitur: *Christus est omnipotens*; indicatur solum, idioma aliquod diuinae naturae, omnipotentiam, Christo θεανθρώπῳ conuenire, non autem directe de humana Christi natura, quod omnipotens sit, adsentitur. Atque hoc quidem, vt fieri non poterat, nisi statim de naturarum communicatione, adeoque & vnione personali, cogitaremus; ita non perinde hoc necesse est, si de Christo tamquam concreto personae, quod omnipotens sit, adfirmetur. Pari ratione res comparata est, cum subiectum est concretum eius naturae, ad quam per se & formaliter pertinet praedicatum. Cum enim dico: *filius Dei est omnipotens*; praedicatum vtique non per vnionem personalem, sed quia est attributum diuinae naturae, subiecto conuenit. Etsi itaque eiusmodi propositiones,

tiones, si rem recte aestimes, pro personalibus habendae non sint, possunt tamen ad eas, & quidem ad primum genus communicationis idiomatum reduci. A posterioribus, seu iis, in quibus subiectum est concretum eius naturae, ad quam per se praedicatum pertinet, vt incipiam, conueniunt cum personalibus in eo, quod subiecti loco vox ponatur, quae personam denotat, quae simul verus Deus, & verus homo est. In illa enim propositione: *Filius Dei est omnipotens*; per *filium Dei* is intelligitur, qui non tantum filius Dei, sed & simul homo est. Hinc & si subiecti loco poneretur, *filius hominis*, vera nihilosecius maneret; non aliam vtique ob caussam, quam ob vnionem personalem. Ad primum autem genus communicationis idiomatum eam spectare, vel me non monente, quilibet intelligit. De prioribus, seu illis propositionibus, in quibus de concreto personae, idioma alterutrius naturae praedicatur, res itidem longe est manifestissima. Etsi enim in illa propositione: *Christus est omnipotens*, praedicatum de humana Christi natura directe & exserte non adseratur, certum tamen, ex ista propositione hoc consequi, quod Christus etiam secundum humanam naturam sit omnipotens; cum voce *Christus* eiusmodi ὑπόστασις denotetur, quae simul Deus, & homo, & de cuius vna natura nihil dici queat, quod non alteri conueniat. Id vero, cum ob vnionem personalem fiat, manifestum, hac ratione & hasce propositiones ad personales reuocari posse.

§. XVI.

Alterum genus communicationis idiomatum in eo consistit, quod humana Christi natura, in se quidem, seu abstracte, sed intra vnionem tamen personalem spectata,

omnium perfectionum diuinarum, auctoritatisque adeo, honoris, & poteſtatis hinc reſultantis, particeps facta eſt. * Referendae itaque ad hocce genus omnes illae praedicationes, in quibus diuinum aliquod idioma de humana Chriſti natura, abſtracte ſpectata, adfirmatur. Id vero de ἐνεργητικοῖς perfectionibus, iisque, quae nihil, quod humanae naturae repugnet, inuoluunt, intelligendum eſſe, res ipſa docet. Reliquae enim, etſi non immediate, intercedente tamen alio quodam attributo, de Chriſto, ſecundum humanam naturam ſpectato, adfirmari poſſunt. **

* Facile itaque, quo pacto ſecundum hocce genus communicationis idiomatum a primo differat, intelligitur. In ſecundo enim hocce genere humana Chriſti natura in abſtracto conſideratur, in primo autem in concreto; adeo, vt non tantum, quae Chriſto homini, ſed ipſi humanae eius naturae conueniunt, in cenſum veniant. Accedit, quod in ſecundo hocce genere nulla ſit reciprocatio, vt in primo. Cuius quidem rei ratio ex ipſa περιχωρήσει naturarum repetenda eſt, ſiquidem ſola diuina natura permeat & perficit humanam; humana autem non permeat ac perficit diuinam, ſed ab ea permeatur, ac perficitur. Qua quidem ratione cum humana natura omnia acceperit a diuina, haec autem nihil ab humana, manifeſtum eſt, de ſola humana etiam dici poſſe, quod ei aliquid communicatum ſit, non de diuina. Si quaeras, quid itaque illud ſit, quod hocce modo humanae naturae eſt communicatum? reſpondetur: tota maieſtas diuina, hoc eſt, omnes proprietates, diuinae naturae eſſentiales, cum operationi-

rationibus ex iis fluentibus, itemque cum dignitate & eminentia, quae istam maiestatem semper comitatur. Diligenter itaque a proprietatibus humanae naturae, immo & a dotibus illis, quibus humana Christi natura exornata fuit quam copiosissime, & propter quas *oleo laetitiae vnctus* dicitur *prae consortibus; psalm. XLV, 8.* distinguendae sunt proprietates naturae diuinae, quas ipsi naturae humanae, per vnionem personalem communicatas, hic adserimus. Ad modum quod attinet, communicationem istam non verbalem, sed maxime realem, sine omni tamen naturarum, aut essentialium proprietatum abolitione, confusione, conuersione, exaequatione, aut proprietatum diuinae naturae in humanam effusione, factam esse, ex iis iam intelligitur, quae supra generatim de idiomatum communicatione obseruauimus. Idque aliter esse non posse, facile perspicit, qui secum cogitauerit, fundamentum huius communicationis ex ipsa vnione personali repetendum esse, quam adeo & non labefactare nequeunt, qui hancce idiomatum communicationem non admittunt.

** Discrimen itaque inter attributa ἐνεργητικὰ, quae operationem denotant, qualia sunt, *omniscientia, omnipotentia, omnipraesentia, potestas iudicium exercendi &c.* & ἀνενέργητα, *quiescentia*, seu quae operationem diuinam non denotant, qualia sunt, *infinitas, immensitas, aeternitas, simplicitas*, probe diligenterque obseruandum est. Quae enim ad priorem classem pertinent, immediate de humana Christi natura praedicari possunt; non autem, quae posterioris ordinis sunt. Citra controuersiam namque recte dicitur, humanam Christi naturam, vel quod perinde est, Christum, qua hominem, esse omniscium, omnipotentem, omnipraesentem &c. at infinitam esse humanam Christi naturam, immensam, aeter-

nam, simplicem, seu omnis compositionis expertem, nemo adseuerauerit. Ratio autem diuersitatis in eo posita est, quod ἀνενέργητα ista attributa sine manifesta contradictione de humana Christi natura affirmari nequeant. Hominem enim esse, adeoque originem in tempore accepisse, & tamen aeternum esse, ita comparata sunt, vt secum consistere nequeant, sed se mutuo euertant. Quod in ἐνεργητικοῖς longe aliter se habere, manifestum est. Quid ergo? An non omnia attributa diuina humanae Christi naturae communicata sunt? aut, num separari a se inuicem attributa diuina possunt, vt quibusdam communicatis, reliqua non communicentur? Absit. Perinde enim hoc esset, ac si dicerem, ipsam essentiam diuinam diuidi posse. Cumque in Christo πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος habitet σωματικῶς; *Coloss. II, 9.* omnium quoque attributorum diuinorum humanam eius naturam participem factam, necesse est. Cum autem non vna, eademque ratione ista attributa diuina in humana Christi natura sese exserant, hinc discrimen istud oritur, vt quaedam de illa praedicari queant, reliqua nequeant. Idque est, quod alii sibi volunt, quando dicunt, quoad κτῆσιν seu *possessionem* omnia attributa naturae humanae communicata esse, non autem quoad χρῆσιν seu *vsurpationem*. Cum vero antea diximus, sola attributa ἐνεργητικὰ immediate de humana Christi praedicari natura posse, simul significauimus, reliqua itidem praedicari quodammodo posse, sed non immediate. Intercedentibus enim attributis ἐνεργητικοῖς, praedicari vtique possunt. Etsi nimirum dicere nequeam, humanam Christi naturam esse infinitam, recte tamen adseritur, eam omniscium esse omniscientia infinita; & sic in reliquis sese res habet. De illis propositionibus, in quibus attributa ἐνεργητικὰ de humana Christi natura praedicantur, adhuc obseruandum, etsi

e. g.

e. g. haec propositio: *humana Christi natura est omnipotens, omnipraesens*, totidem verbis in scriptura sacra non exstet, exstare tamen plane similes; vt, cum *Ioan. VI, 51.* dicitur: *caro Christi est panis viuus*, hoc est, habens virtutem, vitam conferendi; perinde hoc est, ac si dixisset, *humana Christi natura est viuifica.* Sic & cum seruator *Matth. XXVIII, 18.* dicit: *data mihi* (secundum humanam naturam, nam secundum diuinam nihil illi dari potuit) *est omnis potestas in caelo & in terra*; idem plane hoc est, ac si dicam, *humana Christi natura est omnipotens.* Monent interim nonnulli, caute & sobrie hisce propositionibus vtendum esse.

§. XVII.

Et sane, quod attributa diuina ἐνεργητικὰ ea, qua dictum est, ratione, humanae Christi naturae conueniant, rectèque tribuantur, scriptura sacra diserte testatur. * Idque speciatim de omniscientia, omnipotentia, omnipraesentia, facili negotio demonstrari potest. ** Vnde & sponte sua fluit, Christo etiam, qua humanam naturam spectato, cultum religiosum deberi. *** De operationibus diuinis quid censendum sit, ex dictis intelligitur. *

* Ex vnione hypostatica naturarum in Christo, earumdemque communione hoc fluere, & res ipsa docet, & ex antea quoque dictis patet. Diserte vero etiam hoc Paulus tradit, quando in *Christo habitare* dicit, πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος, *omnem plenitudinem deitatis, corporaliter, Coloss. II, 9.* Per *omnem plenitudinem deitatis* non potest non intelligere ipsam essentiam diuinam, prout est filii Dei essentia, cum attributis diuiuis omnibus. Cum enim attributa diuina non magis

ab essentia, quam a se inuicem separari queant, sequitur sane, omnia attributa diuina, nullo excepto, in Christo habitare σωματικῶς, adeoque humanae eius naturae esse communicata. Idem seruator ipse confirmat, quando *Matth. XI, 27.* *omnia*, inquit, *mihi tradita sunt a patre.* De humana enim Christi natura hoc intelligendum esse, manifestum est, cum secundum diuinam ei dari nihil potuerit, quippe secundum quam omnia habet. Dum ergo seruator optimus, *omnia sibi a patre tradita*, adserit, significat, omnia, quae pater habet, ab eo sibi tradita esse. Quod adeo de ipsis attributis diuinis merito intelligimus, cum ceteroquin dicere non potuisset, *omnia sibi tradita esse.* Idque inde porro corroboratur, quod addit: *& nemo nouit filium, nisi pater, & nemo nouit patrem, nisi filius, & cui filius hoc vult manifestare.* Deum enim per attributa diuina maxime cognosci, certum est. Ista autem attributa, quae secundum naturam humanam accepit, quando pater omnia illi tradidit, nemo perfecte nouit, nisi pater; quemadmodum nec patrem ea ratione quisquam cognoscit, quam filius, & cui ipse hoc manifestauerit. Atque huc porro pertinet, quod idem hominum seruator *Ioan. XVI, 15.* dicit: *omnia, quae pater habet, mea sunt.* Sane, & de diuina sua natura hoc dicere poterat, secundum quam per generationem aeternam omnia a patre acceperat. Sed cum is ipse, qui haec loquebatur, ea vt homo etiam loquebatur, non tantum nihil obstat, sed res ipsa postulat, vt de humana quoque natura hoc intelligamus, secundum quam omnia, quae pater habet, Christi sunt, per & propter vnionem personalem. Si ergo omnia, quae pater habet, Christi sunt, secundum humanam naturam, ipsa quoque attributa diuina huc referenda esse, nemo non intelligit.

** Quod 1) ad *omniscientiam* attinet, luculentissima sane exstant scripturae effata, quae, eam Christo secundum humanam naturam recte tribui, comprobant. Sic Paulus, *in Christo reconditos esse*, dicit, *omnes thesauros cognitionis & sapientiae*, *Col. II, 3.* De diuina Christi natura, seu Christo vt Deo spectato, vt Colossenses hoc edoceret, non necesse erat, cum nemo hac de re dubitare poterat. De humana itaque Christi natura, seu Christo vt homine considerato, cum hoc adfirmet, perinde profecto est, ac si diserte dixisset, Christum vt hominem, esse omniscium. Certe πάντες οἱ θησαυροὶ τῆς σοφίας καὶ τῆς γνώσεως nemini, nisi qui omniscius sit, tribui possunt. Pariter & Ioannes de Christo dicit: *Iesus non credebat se iis, quia cognoscebat omnes, nec opus ei erat, vt quis testimonium perhiberet de homine, ipse enim sciebat, quid esset in homine; cap. II, v. 24. 25.* De humana Christi natura hoc intelligendum esse, inde liquet, quod dicit: *Iesus non credebat se iis;* Iudaeis scilicet, qui vitae eius insidias struere poterant. Secundum hanc itaque naturam, secundum quam se Iudaeis non credebat, Christus *sciebat*, *quid in homine esset*, hoc est, intimos humani cordis recessus exploratos habebat. Hoc vero soli Deo proprium, & non nisi de eo, qui omniscius est, dici posse, nemo, vt puto, abnuet; adde *Ioann. XXI, 17. apoc. II, 23.* Nec morabitur, vt puto, quemquam, quod diem extremi iudicii se ignorare profiteatur, *Marc. XIII, 32.* aut quod frustra fructus in ficu quaesiuerit; *Matth. XXI, 19.* Id enim statum tantum exinanitionis, in quo tum constitutus, vsu diuinae maiestatis, atque idiomatum, se ad tempus abdicauit, arguere, nemo non, nisi qui rerum istarum plane ignarus fuerit, intelligit. 11) *Omnipotentiam* diuinam humanae Christi naturae communicatam, ipsemet

pſemet iterum ſeruator nos condocet, quando, *ſibi datam eſſe*, dicit, πᾶσαν ἐξουσίαν *in caelo & in terra; Matth. XXVIII, 18.* Enimuero, cum aliquoties iam obſeruatum ſit, ſecundum diuinam naturam Chriſto nihil dari potuiſſe, nemo dubitauerit, quin ſecundum humanam hoc ſit intelligendum. Licet autem ἐξουσία non *potentiam*, ſed *poteſtatem*, hoc eſt, *ius*, *auctoritatem*, ſeu *moralem facultatem aliquid agendi*, ſignificet; haec tamen poteſtas ſine potentia in Chriſto eſſe nequit, quippe quod maximae imbecillitatis eſſet indicium. Quin immo tantam ipſi datam potentiam, vt inde concludamus, par eſt, quae poteſtati eius reſpondeat; cumque ἐξουσία ſeu *poteſtas* ſumma ſit, in *caelo* quippe atque in *terra* illi data; ſummam quoque potentiam illi datam fuiſſe, neceſſe eſt. Hinc & Paulus ἐνέργειαν illi tribuit, τὸ δύνασθαι αὐτὸν καὶ ὑποτάξαι ἑαυτῷ τὰ πάντα, *efficaciam, qua poſſit ſibi omnia ſubiicere; Philipp, III, 21.* quod perinde eſt, ac ſi diſerte omnipotentiam illi adſcripſiſſet. Pari ratione & *apoc. V, 12.* agno occiſo, hoc eſt, Chriſto homini, δύναμις καὶ ἰσχύς *potentia* & *fortitudo* tribuitur; talis nimirum, quae *ſummae* eius *poteſtati in caelo & in terra* reſpondeat, hoc eſt, quae & ipſa ſumma ſit & infinita. Atque hanc ipſam omnipotentiam etiam ſeruator innuit, quando ἐξουσίαν πάσης σαρκὸς, *poteſtatem omnis carnis* a patre ſibi datam, adſerit, *Ioan. XVII, 2.* Praeterquam enim, quod a poteſtate, vti diximus, potentia, quae ei reſpondeat, ſeparari nequeat, formula haec eiusmodi eſt, qua omnipotentia diuina in ſcriptura ſacra, ſignificatur; *Num. XVI, 22. XXVII, 16. Ierem. XXXII, 27.* Nec praetermittendum, quod & *poteſtas iudicium faciendi* Chriſto ſecundum humanam naturam tribuatur. *Pater*, inquit ſeruator ipſe, *dedit filio* ἐξουσίαν *iudicii faciendi*, ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστὶ, *quia filius*

lius hominis est; Ioan. V, 27. Quae quidem potestas iudicium faciendi, in se quoque spectata, inter ἀξιώματα diuina haud vltimum locum tenet, siquidem soli Deo conuenit; *Gen. XVIII, 15.* Fluit enim ex imperio, quod Deus in omnes creaturas habet, quemadmodum hoc ex ipsa creatione originem ducit. Vti ergo solus creator sibi iure imperium in omnes res creatas vindicat, ita solus quoque habet potestatem omnes homines iudicandi. Et licet filius Dei hanc potestatem etiam vt μεσίτης habeat, inter Deum & homines, quippe quae regni a patre illi traditi partem haud exiguam constituit; simul tamen humanae naturae non potuit non communicari, quandoquidem πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος in ea habitet. Non tantum vero potestas ista pro parte quadam diuinae maiestatis recte habetur, sed omniscientiam quoque pariter ac omnipotentiam Christo communicatam, luculenter arguit. Cum enim ista potestas iudicium faciendi vniuersalis sit, ad omnes omnino homines, mortuos & superstites sese referens; *II. Cor. V, 10. Rom. XIV, 10. act. XVII, 31.* itemque ad omnia hominum non tantum dicta, *Matth. XII, 36. 37.* & facta *Matth. XXV, 35. 42.* sed & cogitata; *Rom. II, 16. I. Cor. IV, 5.* coniuncta insuper cum facultate, omnes homines a mortuis resuscitandi, praemioque aut poenis aeternis eos adficiendi; nemo vtique istam sibi vindicare poterit, nisi qui omniscius fuerit, atque omnipotens, hoc est, verus Deus. Hinc & porro, eam cum humana Christi natura communicari non potuisse, nisi communicata simul omniscientia, atque omnipotentia, consequitur. Idem & de *potestate viuificandi*, hoc est, vitam tum naturalem, tum spiritualem hominibus largiendi, censendum. Ea & in se spectata non nisi eius est, qui verus est Deus, & omnipotentiam quoque diuinam indicat.

Huma-

Humanae autem Christi naturae ita tribuitur, vt eadem ratione (non tamen per essentiam, sed per vnionem personalem) ei conuenire dicatur. *Quemadmodum enim pater*, inquit seruator, *mortuos suscitat, & viuificat, ita & filius, quoscumque vult, viuificat; Ioan. V, 21.* Cumque deinceps *v. 25.* dixisset, *venire horam, & iam adesse, qua* (in peccatis) *mortui, audituri sint vocem filii Dei, & qui audiuerint, victuri*, addit: *quemadmodum enim pater habet vitam in semet ipso, ita & filio dedit habere vitam in semet ipso.* Pater autem ita vitam habet in semet ipso, vt simul fons sit omnis vitae naturalis & spiritualis, nullaque adeo in rebus creatis vita sit, quam non a Deo acceperint. Eadem ergo ratione & filio dedit vitam habere in semet ipso, vt ille itidem vitam omnem naturalem, & spiritualem rebus creatis largiatur. Quod quidem de humana Christi natura intelligendum esse, non tantum ex eo liquet, quod pater filio *hoc dedisse* dicatur; sed & tum ex praecedentibus, vbi, quod de suscitatione mortuorum dicitur, non potest non de humana Christi natura accipi, tum & ex iis, quae statim sequuntur: *& potestatem dedit ei, & iudicium faciendi, ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστί, quia filius hominis est; v. 27.* Pertinent huc etiam, quae seruator *Ioan. VI, 51.* & *seq.* de virtute viuifica carnis suae nos condocet. III) De *omnipraesentia* adhuc obseruandum, quod ea itidem humanae Christi naturae conueniat, rectequetribuatur. Quod quidem non de omnipraesentia *absoluta*, prout nudam ἀδιαστασίαν ad omnes res creatas, absque efficaci operatione, sed de *modificata*, hoc est, cum ἐνεργείᾳ & operatione diuina, coniuncta intelligendum esse, recte nonnulli monent. In eiusmodi ergo ἀδιαστασίᾳ ad omnes res creatas, quae cum operatione diuina coniuncta est, omnipraesentia ista, quam

quam humanae Christi naturae vindicamus, consistit. Nec dixerim, Christum secundum humanam naturam ibi saltem praesentem esse, vbi praesens esse velit, vt veluti de vno loco in alium se conferat; cum hoc nudo etiam homini, corpore glorificato praedito, Deus concedere queat, non autem eius sit, in quo πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος habitat σωματικῶς. Multo minus dixerim, humanam Christi naturam per solam operationem, seu per scientiam & potentiam, hoc est, prout omnia cognoscit, & omnia vbique operatur, esse praesentem; improprie enim praesens est, qui ita solum praesens est, nec cum communicatione naturarum, quam supra adstruximus, hoc conciliari poterit. Quin potius, Christum secundum humanam naturam, in se, & qua ipsam substantiam spectatam, omnibus rebus creatis actu praesentem esse, omnesque res creatas, modo tamen diuino, nobisque in hac vita minime perspecto, sibi praesentes habere, adserimus; adeo, vt praesens omnia conseruet, dirigat, gubernet, praesertim tamen, vbi se praesentem futurum promisit, in ecclesia atque sacra caena. Et hacce quidem omnipraesentia non per se, sed per vnionem personalem humana Christi natura gaudet; vnde, vti ipsius Dei est haec omnipraesentia, ita & sine omni extensione, expansione, & diffusione eam intelligendam esse, manifestum est. Exstant autem clarissima scripturae testimonia de omnipraesentia humanae Christi naturae communicata. Christus ipse dicit: *vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum; Matth. XVIII, 20.* Certe cum Christus, vt homo, haec ad discipulos suos loquutus sit, de humana quoque eius natura vt ea capiamus, par est. Praeterea, cum fideles in nomine Christi congregantur, non tantum congregantur in nomine eius, prout Deus est, sed & prout homo est.

Ergo

Ergo etiam, quod sequitur: *ibi sum in medio eorum*, de eo, prout homo est, intelligendum. Qui autem in medio eorum est, qui in eius nomine congregantur, non potest non esse omnipraesens. Quod autem specialiori quadam ratione fidelibus praesentiam suam promittit, intuitu operationis, & concursus ad media gratiae, quibus fides in illis conseruari, confirmari, & augeri potest, est intelligendum: adde *Matth. XXVIII, 20. Ioan. III, 13. Ephes. IV, 10.* Denique & a sessione Christi ad dextram Dei, pro adstruenda humanae naturae omnipraesentia, argumentum petitur. Per *dextram* enim *Dei*, praesertim cum Christus ad eam sedere dicitur, non certum aliquem locum, aut creatam tantum gloriam ac dignitatem, sed diuinam ac infinitam maiestatem, ac potentiam denotari, notum est. Hinc & vocatur *dextra* δυνάμεως θεοῦ, *potentiae Dei*, *Matth. XXVI, 64. thronus* δόξης *gloriae*, *Matth. XXV, 31.* δεξιὰ τῆς μεγαλωσύνης ἐν ὑψηλοῖς, *dextra maiestatis in excelsis*, *Ebr. I, 3. & VIII, 1. dextra* τοῦ θρόνου τοῦ θεοῦ, *sedis Dei*; *Ebr. XII, 2.* Notat igitur *sedere ad dextram Dei* adsumi in communionem regni, quod soli Deo proprium est, nec sibi sine omnipotentia ac omnipraesentia constat, id quod de Christo secundum humanam naturam intelligendum est. Quod si in statu exinanitionis seruator consideretur, dubium itidem nullum est, quin & tum omnipraesentia, cum tota plenitudine τῆς θεότητος, qua humanam quoque naturam, gauisus fuerit; etsi non ea ratione ac in statu exaltationis, ea vsus sit. Haud dubie enim in statu exinanitionis omnipraesens esse potuit, quando, vbi, quoties, & quomodo voluit; sicuti in statu exaltationis vbique praesens est, & operatur. Speciatim vero, si praesentiam visibilem corporis eius spectes, per eam in statu exinanitionis in vno tantum loco fuit; quemadmodum etiam post adscensionem

in

in caelum, visibilem illam praesentiam hominibus subduxit, cum tamen inuisibili ratione corpus eius omnibus hominibus, rebusque creatis, vbique sit praesentissimum.

*** Dum, Christo etiam qua humanam naturam cultum religiosum deberi, adserimus, non haec mens nostra est, ac si seorsim spectata, & extra vnionem personalem, aut, in vnione quoque personali, sed per, & propter se, adoranda sit; absit: sed eam, prout hypostasi filii Dei subsistit, omnisque maiestatis diuinae per vnionem personalem facta est particeps, ac propter maiestatem, gloriamque diuinam, quam per vnionem personalem accepit, cultu religioso prosequendam, contendimus. Idque sponte sua ex eo sequitur, quod hactenus demonstrauimus, attributa vere diuina, omniscientiam, omnipotentiam, & omnipraesentiam, recte humanae Christi naturae tribui. Qui enim istis attributis gaudet, vti pro Deo ipso merito habetur, ita cultum quoque religiosum sibi recte vindicat; immo eum illi denegare, impium foret. Fundamentum itaque ipsum adorationis, seu cultus religiosi, cum in humana Christi natura conspiciatur, de actu nullum poterit esse dubium. Sunt namque haec inter se coniuncta, nec separari a se inuicem possunt. Ex dictis vero etiam intelligitur, non *per accidens* solum, vt loqui solent, humanam Christi naturam adorandam; cum hoc perinde sit, ac si quis dicat, eam plane non adorandam. Nec enim, qui regem colit, vestem, qua indutus est, colere censendus est. Eiusdem commatis sunt, quae ab aliis excogitantur, dum e. g. totum Christum adorandum contendunt; eo quippe comparata, vt sub aliqua προφάσει humanae Christi naturae cultus religiosus denegetur. Sane totum Christum adorandum, & nos fatemur; verum non tantum ratione diuinae naturae, quod illi cupiunt, quibus hoc obtendunt, sed & ratione humanae naturae. Idque

ex diuinorum non tantum attributorum, vti diximus, communicatione fluit, sed scriptura sacra quoque testimoniis luculentissimis confirmat, *Ioan. V, 23. Phil. II, 9. 10. 11. Ebr. I, 6.* Addi denique & possunt, & solent exempla eorum, qui Christum etiam in statu exinanitionis religiose adorarunt. Magos enim, qui, nato seruatore, ex oriente aduenerant, id fecisse, legimus, *Matth. II, 1. 11.* discipulosque in mari, *Matth. VIII, 25. 26.* itemque Petrum, *Matth. XIV, 30.* mulierem Cananaeam, *Matth. XV, 22.* patrem lunatici, *Marc. IX, 24.* caecos, *Matth. XX, 30.* leprosos, *Luc. XVII, 14.* latronem in cruce; *Luc. XXIII, 42. 43.* in statu exaltationis autem, & quidem post resurrectionem discipulos Christi; *Matth. XXVIII, 17. Luc. XXIV, 52. 53.* Nimirum, dum plerique ex hisce, quos commemorauimus, eiusmodi in suis calamitatibus auxilium a Christo & expetierint, & impetrauerint, quale non nisi ab eo, qui verus Deus est, exspectari potest; religiosi cultus recte inde sumimus documenta. Cumque etiam voce, mandato, & eiusmodi actibus, qui ab hominibus edi solent, hocce auxilium illis praestiterit, nemo dubitauerit, ad humanam Christi naturam haec omnia referenda esse. Licet vero in statu exinanitionis constitutus esset, seruator, subinde tamen radii diuinae maiestatis in eo effulserunt, quibus speciatim discipuli eius inducti, diuinum illi, vt par erat, exhibuerunt honorem.

* Nimirum ex attributis, seu idiomatibus diuinis, non possunt non operationes diuinae fluere, adeoque, dum illa humanae Christi naturae communicata hactenus docuimus, non minus & de his hoc est intelligendum. Recte itaque dicitur, quod diuina Christi natura, cum humana, & per eam operetur; itemque, quod diuina natura, humana, ceu instrumento, vtatur, non eo quidem separato, sed longe

longe coniunctissimo, non mere passiuo, sed actiuo, & virtute cooperandi praedito. Id ergo diligenter obseruandum, humanam naturam in Christo eiusmodi esse instrumentum diuinae, quod cum ea vnam hypostasin, seu personam constituat: vnde manifestum, longe alia ratione prophetas, aliosque viros sanctos, instrumenta vocari, quando Deus aliquid, quod communem naturae ordinem excedit, per eos operatus est. Discrimen etiam inter statum exinanitionis, & exaltationis, hic probe tenendum esse, res ipsa docet; siquidem in illo, aliquando solum, vim suam atque virtutem diuinam humana Christi natura demonstrauit, quod in hoc semper qua vsum plenarium facit. Ad operationes hasce diuinas, quas humana Christi natura exercuit, speciatim miracula pertinent, a Christo edita; & quae alia sunt eiusdem generis.

§. XVIII.

Tertium genus communicationis idiomatum in eo consistit, quod in iis, quae ad officium Christi mediatorium spectant, vtraque natura, tum diuina, tum humana concurrat, vtraque etiam, quod sibi proprium est, conferat, nec vna sine altera agat, idque ideo, vt effectus istius officii obtineri queat. * Vnde & sponte sua sequitur, eas ad tertium hocce genus referendas esse propositiones, in quibus nomina aut opera officii mediatorii personae Christi, ab vna, aut vtraque natura denominatae, tribuuntur. **

* Ad rem ipsam quod attinet, cum ad ἀποτελέσματα ista, vtraque natura, quod sibi proprium est, conferre dicitur, rationem eius rei facile perspiciet,

qui considerauerit, opera officii mediatorii, quo seruator functus est, ita comparata esse, vt nec sola humana, nec sola diuina natura ea praestare potuerit. Secundum humanam enim naturam Christus poterat grauissima quaeque pati, mori, sanguinem effundere; quae de diuina dici nequeunt. Haec omnia rursus effectu caruissent, nisi pretium infiniti valoris diuina addidisset natura. Dum vero diximus, vtramque naturam, quod sibi proprium est, conferre, facile intelligitur, eas humanae naturae operationes, quae ex communicata illi maiestate diuina fluunt, hic neutiquam in censum venire; quippe quae illi propriae non sunt, nec per se, sed propter vnionem personalem conueniunt, adeoque ad secundum genus communicationis idiomatum pertinent, vt ex antea dictis liquet. Solet etiam moneri, vtramque naturam, quod sibi proprium est, conferre *distincte*, attamen *indiuise*. Prius namque obseruandum, ne in eam quis ingrediatur sententiam, vtriusque naturae actiones inter se ita conflari, atque veluti misceri, vt vna tantum actio censenda sit. Dum vero officii mediatorii hactenus mentionem fecimus, de sacerdotali hoc ita est intelligendum, vt tamen propheticum & regium non prorsus excludantur. Namque & in hisce, ad opera iis propria peragenda, vtramque quandoque concurrere naturam, manifestum est. Vtramque autem Christi naturam, eo quo diximus modo, ad istas operationes concurrere, tum ex natura & indole istorum officiorum, tum ex ratione vnionis hypostaticae, intelligitur, vt adeo argumenta, quibus hoc probetur, addere necesse non sit.

** In propositionibus itaque, ad tertium hocce genus communicationis idiomatum spectantibus, & subiectum considerandum est, & praedicatum. Praedicatum est apotelesma aliquod, siue operatio, ad officium

officium Christi praesertim sacerdotale pertinens; vt cum dico, Christum esse *mortuum pro peccatis nostris*. Referri tamen huc illae quoque propositiones solent, in quibus nomen officii de persona Christi praedicatur. Nec immerito. Nomen quippe officii, apotelesma, seu operationem, ad quam vtraque natura aliquid confert, includit. Christum enim qui sacerdotem vocat, eiusmodi opus eum praestitisse, indicat, quod sine vtriusque, humanae ac diuinae naturae, concursu praestare non potuit. Cumque antea obseruatum sit, praeter sacerdotale etiam propheticum, ac regium officium Christi hic quodammodo in censum venire, pro officiorum istorum diuersitate, diuersa hinc resultare praedicata, manifestum est. Ad subiectum quod attinet, illud aut concretum personae, aut concretum alterutrius naturae esse potest. Prioris generis haec est propositio, cum dico, *Christum morte sua expiasse peccata*; itemque, *Christum esse nostrum sacerdotem*. Quae ad posterius genus pertinent, in duplici iterum positae sunt discrimine. In aliis enim subiectum est concretum naturae diuinae, qualis illa est: *Deus proprio sanguine adquisiuit ecclesiam; actor. XX, 28.* in aliis autem subiectum est concretum naturae humanae, qualis illa est: *filius hominis venit saluare animas, Luc. IX, 56.*

§. XIX.

Ceterum, licet in Christo πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς habitaret; ipse tamen sponte sua vsu istius maiestatis, vt officio, quod in se susceperat, fungi posset, se ad certum tempus abdicauit, quem deinceps iterum sibi adseruit. Vnde duplex eius status, *exinanitionis* alter, alter *exaltationis* obseruari solet. *

* Rem ipsam pariter, ac voces, quibus exprimitur, Paulus apostolus nobis suppeditat, quando *Phil. II, 6. 7.* de Christo dicit, ἑαυτὸν ἐκένωσε, *se ipsum euacuauit, inaniuit, exinaniuit;* & iterum, θεὸς αὐτὸν ὑπερύψωσε, *Deus eum valde exaltauit.* Dupliciter autem vox *exinanitionis* accipitur. Interdum namque actum istum, quo filius Dei, summo & ineffabili hominum amore inductus, ex sinu patris de caelo se demisit, atque naturam humanam adsumsit; interdum vero humilem illum filii Dei, iam incarnati, statum, atque μορφὴν δούλου, denotat, in qua nostri caussa, donec exaltaretur, adparuit, vt redemtionis opus, ad quod venerat, perficeret. Priorem significationem nonnulli *ecclesiasticam* & *impropriam*, posteriorem autem, quae & huius loci est, *biblicam* atque *propriam* vocant.

§. XX.

Status itaque exinanitionis in eo consistit, quod Christus attributorum diuinorum ἐνεργητικῶν vsu plenario, non tantum intuitu humanae suae naturae, sed & huius vniuersi, ad certum tempus sese abdicauit; infirmitates naturales, quibus alii homines obnoxii sunt, expertus est; & in ea forma, quae seruum, seu infimae conditionis hominem, cum variis vitae huius incommodis colluctantem, refert, adparuit. *

* Primum itaque, quod hic in censum venit, est κένωσις *euacuatio*, seu abdicatio vsus plenarii attributorum diuinorum, & quidem ἐνεργητικῶν. Quaenam attributa ἐνεργητικὰ sint, supra iam ad §. *XVI*, indicauimus. Ea vero hic tantum intelligenda, res ipsa docet, cum non tantum, qua κτῆσιν, sed & qua χρῆσιν, seu vsurpationem, Christi humanae naturae

turae communicata sint; quod de ἀνενεργήτοις adseri nequit, quae qua κτῆσιν equidem habet, non autem qua χρῆσιν. Ergo & vsu horum attributorum se abdicare non potuit. Vnde & quo pacto intelligendi sint, patet, qui, Christum vsu *maiestatis diuinae* se abdicasse, aut eumdem in statu exaltationis recepisse, dicunt. Maiestatis enim diuinae nomine attributa, & quidem ἐνεργητικὰ eos designare, manifestum est. Porro, dum vsu solum istorum attributorum se abdicasse dicitur, de ipsis attributis hoc neutiquam intelligendum, nemo non videt. Attributum namque aliquod diuinum deponere non potuit, vt non simul ipsam naturam diuinam deponeret; quod sine vnionis personalis dissolutione fieri non potuit. Vnionem vero personalem dissolutam fuisse, quis diceret? Sed & ad vsum quoque istorum attributorum ἐνεργητικῶν quod attinet, non omni prorsus, sed plenario tantum se Christum abdicasse, contendimus; siquidem aliqualem eum retinuisse, tot miracula, tot omniscientiae diuinae documenta, tot radii diuinae maiestatis, in summo exinanitionis gradu exsplendescentes, abunde testantur. Quod & Ioannes indicat, dum, *vidimus*, inquit, *gloriam eius*, δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρός, *gloriam tamquam vnigeniti a patre*; *cap. I, 14.* Vt autem liberrime, nulla coactus necessitate, quinimmo solo ductus hominum amore, isto diuinorum attributorum vsu sese abdicauit, ita vere etiam & re ipsa hoc factum, verba disertissima apostoli *Phil. II, 6. 7.* nos neutiquam dubitare sinunt. Pertinent porro ad statum exinanitionis omnes imbecillitates, infirmitatesque humanae, illae quidem, in quibus nihil vitii aut peccati est; adeoque & dolores omnes, quos seruator optimus sensit. Cum enim absque eiusmodi imbecillitatibus verus homo esse potuisset, quod iure meritoque ad sta-

tum exinanitionis referantur, patet. Sunt enim, quae ei vt homini conueniunt, probe discernenda ab iis, quae illi vt tali homini, qui *morbos nostros tulit, & dolores nostros in se recepit, Esa. LIII, 4.* tribuuntur. Haec, non autem illa, statum exinanitionis efficiunt; cum non qua Deus, sed qua homo est, exinanitus sit. Hinc & omnia, quae ad μορφὴν δούλου pertinent, parentum eius, immo ipsius seruatoris, in hominum, externam solum eius speciem intuentium oculis, conditio humilis, & abiecta, contemtus etiam, & adspernatio, paupertas denique, & rerum omnium, ex quibus alii vitae huius felicitatem aestimant, inopia, ad hunc-ce exinanitionis statum referenda sunt; cumprimis passio, atque mors ipsa, vt diserte apostolus testatur, *Phil. II, 8.* Atque in hocce exinanitionis statu seruatorem constitutum fuisse, vt multis demonstremus argumentis, necesse non est, cum tota eius vita, ab euangelistis litterarum monumentis consignata, hoc abunde comprobet. Luculentum tamen cumprimis est testimonium Pauli, *Philipp. II, 6. 7. 8.*

§. XXI.

Vt autem status ille exinanitionis ad totum illud tempus, quo Christus inter mortales versatus est, pertinet, ita a primo statim conceptionis momento initium sumsit, continuatusque est in natiuitate, circumcisione, purificatione, educatione, omnique vitae, quam in hacce terra degit, actu. Nec enim in hisce omnibus aliud quid, quam humile, & ab omni splendore alienum, & longe infra humanam, multo magis diuinam maiestatem positum, deprehenditur.

§. XXII.

§. XXII.

Cumprimis summus veluti exinanitionis gradus in passione Christi, morte, & sepultura conspicitur. Et ad mortem quidem quod attinet, reuera eum mortuum esse, tot luculenta scripturae sacrae effata non magis nos dubitare sinunt, quam quod acerbissimos, vehementissimosque reuera sensit dolores. Mortem vero ipsam non tantum in solutione, sed & separatione animae corporisque constitisse, vel inde patet, quod *spiritum dimisisse* dicitur; *Matth. XXVII, 20.* Nec tamen hoc obstat, quo minus & in triduo mortis verus homo censeri potuerit: quemadmodum & vnio personalis inter diuinam humanamque naturam permansit, etiamsi naturalis inter corpus & animam soluta esset.

§. XXIII.

Necessitatem mortis Christi, omniumque eorum, quae in statu exinanitionis passus est, ex fine status istius colligere licet. Finis autem non alius fuit, quam vt hac ratione omnium hominum expiaret peccata, & dona ad salutem consequendam necessaria illis promereretur. Sibi ipsi vero aut exaltationem, aut simile quid, Christum promeruisse, dici nequit. *

* Finem exinanitionis Christi, speciatim passionis, mortisque, saltem primarium, praecipuumque fuisse, vt nostra expiaret crimina, patrisque sui fa-

uorem nobis iterum conciliaret, tam luculenter ſcriptura tradit, vt ſine impietate hac de re dubitari nequeat: vide *Eſa. LIII, 4.5. Rom. IV, 25. II. Cor. VIII, 9.* Pertinent huc etiam omnia ea, quibus ſatisfactio Chriſti probari ſolet, de qua deinceps ex inſtituto. Quod vero ſimul omnia, quae ad vitam aeternam conſequendam neceſſaria ſunt, nobis promeruerit, ipſemet ſeruator teſtatur: *ego veni, vt vitam, καὶ τὸ περισσὸν & omnem abundantiam habeant, Ioan. X, 11.* conf. *Rom. VIII, 32.* Atque huc cum primario comparatus fuerit ſtatus exinanitionis, ſecundario tamen & exemplum nobis praebuiſſe ſeruatorem, dici poteſt, quod imitentur, qui ad aeternam adſpirant beatitudinem. Docemur namque eodem, quod & Paulus confirmat *actor. XIV, 22. per multas calamitates nobis in regnum Dei introeundum eſſe.* Hinc & idem apoſtolus nos *coheredes Chriſti* vocat, *ſi modo vna patiamur, vt cum eo ad gloriam etiam euehamur; Rom. VIII, 17.* Immo & hoc ipſum exemplum exinanitionis Chriſti idem gentium doctor Philippenſibus proponit, vt eodem illos ad humilitatem adhortetur, *Phil. II, 5.* quemadmodum & Petrus eodem ad patientiam nos excitare voluit, *I. Petr. II, 21.*

§. XXIV.

Ex ſtatu exinanitionis, quem deſcripſimus, facile intelligere licet, in quo ſtatus exaltationis conſiſtat. Exaltatus namque Chriſtus dicitur, quando vſum plenarium attributorum diuinorum, quo tantiſper ſe abdicauerat, ſuſcepit, ſimulque, quidquid in humana natura debile, aut infirmum erat, depoſuit, formamque ſerui exuit, vt omnes verum hominem, qui ſimul verus Deus

Deus esset, maiestatisque diuinae splendore coruscaret, agnoscere possent; * *psalm. VIII, 6. seq. CX, 7. Philipp. II, 9. Ebr. II, 6. 7.*

*In scriptura sacra vox *exaltationis* diuersa ratione accipitur, siquidem & de ipsa Christi crucifixione nonnumquam adhibetur, vt *Ioan. III, 14. VIII, 28. XII, 32.* & de euangelii adnuntiatione, eo quod in illo Christus ceu vexillum aliquod erectum, & in loco sublimi collocatum, omnibus gentibus proponitur; *Es. XI, 10.* & denique, de vsus plenarii maiestatis diuinae adsumtione. Et in vltima quidem significatione, vti status exaltationis statui exinanitionis opponitur, ita eam huius loci esse, nemo non intelligit. De re ipsa autem vt multa dicamus, necesse non est, cum ex iis, quae de statu exinanitionis disseruimus, omnibus constare possit, cuiusmodi ea sint, quae de statu exaltationis moneri solent. Praeterea Paulus apostolus *Phil. II, 9.* postquam statum Christi *exinanitionis* descripsit, etiam exaltationem eius luculentissime delineat. Διὸ, inquit, καὶ ὁ θεὸς αὐτὸν ὑπερύψωσε, *quapropter & Deus eum summopere extulit, & ex gratia nomine illum donauit, quod est supra omne nomen*, seu, quod omnium nominum summum est, *vt in nomine Iesu omne genu se flectat, & caelestium, & terrestrium, & subterraneorum &c.* De particula διὸ iam antea obseruatum, per eam neutiquam caussam meritoriam, sed ordinem solum, seu consequens status exinanitionis, indicari. Dum autem *Deus* eum summopere extulisse dicitur, hoc de tota equidem trinitate, speciatim tamen de patre intelligendum est, cum fundamentum vtriusque status, & exinanitionis, & exaltationis, in pacto filii cum patre, de quo fuse supra verba fecimus, quaerendum sit. Christum porro non secundum diuinam, sed secundum humanam naturam exaltari potuisse,

tuisse, nemo dubitauerit. Secundum quam enim naturam iam summus est, secundum eam exaltari nequit. Cum ergo apostolus dicit, quod Deus *eum* ἀυτὸν *exaltauerit*, Christum intelligit, secundum humanam naturam spectatum. Si quaeras, qualis illa exaltatio fuerit? vox ipsa ὑπερύψωσε talem fuisse indicat, quae summa sit, & qua maior, sublimiorque non detur. Neue hac de re dubium supereſſet, vlterius hoc declarat, Deum ei nomen dedisse, adserens, τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα, *quod super omne nomen*, hoc est, summum, & omnium nominum excellentissimum. De nomine IESV hoc intelligendum esse, vel inde liquet, quod illud ex mandato diuino in ipsa circumcisione ei impositum sit. Supereſt itaque, vt de ipsa maiestatis diuinae manifestatione hoc accipiamus, siquidem & nomen inter indicia, ex quibus hominem cognoscimus, locum obtinet. Tantam nimirum δόξαν seu claritatem, & ἐξουσίαν ei obtigisse, significat, qua nulla maior cogitari potest, quippe quae soli Deo sit propria. Ista autem claritate, ἐξουσίᾳ & maiestate diuina qui pollet, illi etiam, ceu vero Deo, cultus religiosus debetur. Quod & sequentibus verbis apostolus nos condocet: *vt in nomine Iesu omne genu se flectat, & caelestium, & terrestrium, & subterraneorum.* Non enim ab hominibus solum, sed & spiritibus omnibus, adeoque omnibus creaturis, ratione praeditis, adorandum atque colendum esse seruatorem, significat: quo ipso cultus vniuersalis, adeoque soli Deo conueniens, indicatur.

§. XXV.

Initium hicce status sumsit, quando post mortem Christi anima eius iterum cum corpore coniuncta, adeoque vita illi reddita fuit: * tum vero in descensu ad inferos,

ros, ** resurrectione a mortuis, *** adscensione in caelum, * & sessione denique ad dextram patris, ** sese luculentissime demonstrauit.

* Viuificationem istam, seu ζωοποίησιν merito primo collocamus loco, cum & Petrus *I. epist. III, 18.* eam descensui Christi ad inferos praemittat. Sequitur itaque, quod Christus primum per animae & corporis coniunctionem fuerit viuificatus, seu, quod perinde est, resurrexerit; tum descenderit ad inferos; & tandem resurrectionem suam manifestauerit. Vnde & patet, quo sensu in symbolo apostolico descensus ad inferos ante resurrectionem Christi ponatur. Nimirum non de ipsa viuificatione, seu animae, corporisque coniunctione, sed resurrectionis manifestatione, quae & κατ' ἐξοχὴν resurrectio vocatur, hoc est intelligendum. Hunc ergo & nos sequemur ordinem, & primum de descensu Christi ad inferos, tum de resurrectione, seu eius manifestatione, verba faciemus.

** Vt, quae fuse ab aliis de descensu Christi ad inferos disputari solent, paucis complectamur, cuncta ad duo reuocabimus capita: quo pacto descensus ille Christi ad inferos intelligendus sit, & quem in finem Christus ad inferos descenderit? Ad prius itaque quod attinet, omnes quidem illi, qui symbolum apostolicum admittunt, Christum quoque ad inferos descendisse, fatentur, sed non vna eademque ratione descensum istum interpretantur. Sunt enim, qui eum de ipsa morte seruatoris accipiunt; alii de sepultura; alii de morte & sepultura simul; rursus alii per descensum ad inferos, summos maximosque, quos Christus sustinuit, dolores intelligunt; qui tamen iterum in partes scinduntur, dum nonnulli de doloribus hoc capiunt, quos

ante

ante mortem sustinuit, quidam de doloribus, quos anima eius post mortem, in ipso inferno, senserit; ne quid nunc de illis dicam, qui aut totum exinanitionis statum, aut regni satanici destructionem, hac loquendi formula significari, existimant. Cum vero non de eo quaestio sit, quid per descensum Christi ad inferos intelligi queat, sed quid per eum intelligendum sit? hosce omnes maximopere falli, ex verbis disertissimis Petri, *I. epist. III, 18.* demonstrari potest. Quo enim ordine cuncta contigerint, exponit, dum dicit: θανατωθεὶς μὲν σαρκὶ, ζωοποιηθεὶς δὲ τῷ πνεύματι, ἐν ᾧ καὶ τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι πορευθεὶς ἐκήρυξεν. Primo itaque loco mortem Christi commemorat, quam cum secundum humanam naturam subierit, dicit: θανατωθεὶς μὲν σαρκὶ, *morte quidem adfectus, qua carnem;* tum viuificationem, quae quoniam ex diuina Christi natura originem trahit, dicit: ζωοποιηθεὶς δὲ τῷ πνεύματι, *viuificatus autem spiritu;* denique descensum Christi ad inferos: ἐν ᾧ *in quo* (spiritu) hoc est, virtute diuinae naturae, qua viuificatus est, etiam πορευθεὶς *abiit*, seu reuera in locum damnatorum se contulit, atque illis ἐκήρυξεν, *praedicauit.* Atque haec cum sit mens & sententia apostoli, vt ex propria atque genuina omnium verborum significatione liquet, manifestum est, nec de morte, nec de sepultura, nec de vtraque simul, descensum Christi ad inferos intelligi posse. Contigit enim post ζωοποίησιν seu *resurrectionem* eius. Manifestum porro, nec de doloribus eum accipi posse, siquidem viuificatio seu resurrectio significabat, omnia iam peracta esse, quae nostri caussa Christus peragere voluit. Multo minus de doloribus, quos ante mortem sensit, descensus hicce accipi potest, cum Petrus doceat, post viuificationem, adeoque multo magis post mortem Christi, eum contigisse. Sed &, cum viuificatio,

uificatio, animae, corporisque coniunctionem denotet, solam animam Christi in infernum descendisse, vt dolores ibi pateretur, adseri nequit. Accedit, quod diserte Petrus dicat: eum *praedicasse* τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι. Atque eadem ratione, nec totum exinanitionis statum, nec destructionem regni satanici per descensum Christi ad inferos intelligi posse, demonstratur. Supereſt itaque, vt concludamus, descensum Christi ad inferos proprie esse intelligendum, eo quidem modo, quod Christus, postquam resurrexerat, sed antequam resurrectionem suam manifestaret, qua corpus pariter ac animam, in locum, vbi spiritus maligni, animaeque damnatorum captiuae detinentur, reuera se contulerit, atque ibi praedicauerit. Quod autem ad finem descensus Christi ad inferos attinet, illis, qui Christum ad inferos descendisse putant, vt ibi aliquid nostri caussa pateretur, nos neutiquam suffragari, ex hactenus dictis abunde patet. Qui enim ita sentiunt, qua solam animam Christum ad inferos descendisse, existimant; quod falsum esse ex verbis Petri euicimus. Tum enim, cum iam viuificatus esset, Christum ad inferos descendisse, apostolus diserte testatur. Accedit, quod ipsemet seruator, quando in cruce exclamauit: *consummatum est*, significauerit, laboribus eius omnibus, doloribusque finem tum impositum fuisse. Sed quid multis ambagibus opus? cum ipse Petrus apostolus nos condoceat, Christum *spiritibus in custodia praedicasse*, seu praeconis instar aliquid denuntiasse. Hanc enim vim verbi κηρύσσω esse, constat. Quid equidem iis praedicauerit, seu denuntiauerit, non additur. In illorum adquiescimus sententia, qui Christum ideo descendisse ad inferos, contendunt, vt se diabolo, omnibusque spiritibus malignis, ceu victorem demonstraret, atque tamquam praeco aliquis

aliquis regnum illorum iam destructum, caputue serpentis antiqui contritum, denuntiaret, simulque animabus damnatorum earum incredulitatem exprobraret, & quod sua culpa miserae essent, nec vllam de iniustitia aut immisericordia diuina conquerendi causſam haberent, significaret.

*** Resurrectionem Christi a mortuis in se spectatam descensum ad inferos praecessisse, ante iam monuimus. Prout autem manifestata est, descensum istum ad inferos est insequuta. Ceterum cum in se spectatur resurrectio ista, in eo illam consistere, quod anima iterum cum corpore fuerit coniuncta, & corpus simul ex sepulchro prodierit, nemo non perspicit. Manifestum inde, de corpore proprie adfirmari, quod resurrexerit, seu resuscitatum sit, quippe quod in sepulchro iacuit. Idque adeo, de eodem numero corpore, etsi glorificato, est intelligendum; quippe quod vel ipsa vox *resurrectionis* quemlibet condocere potest. Qui namque aliud, quam antea habuit, corpus accipit, de eo, quod resurrexerit, dici nequit. Quod autem Christus post resurrectionem habuerit σῶμα τῆς δόξης, *corpus gloriae*, & Paulus testatur *Philipp. III, 21.* & inde etiam constat, quod videri a nemine potuerit, nisi quibus se ipsum conspiciendum praebere voluit. Non tantum enim in immortalitate, immunitateque ab omnibus infirmitatibus, sed & in claritate atque subtilitate, δόξα illa, seu gloria corporis Christi consistit; conf. *I. Cor. XV, 40. seq.* Qua quidem ratione corpora fidelium aliquando σύμμορφα fore corpori glorificato Christi, apostolus *Phil. III, 21.* pronuntiat. A patre vero ita resuscitatus est Christus, vt simul & se ipsum resuscitauerit, siquidem ipsemet testatur, se potestatem habere libere vitam dimittendi, eamque iterum sumendi; *Ioan. X, 17. 18.* Quod & de humana Christi natura intelligendum. Cum enim omnis maiestas diuina

diuina per vnionem personalem illi communicata sit, hancce quoque potestatem, corpus suum resuscitandi, illi denegare nefas est. Iam, quod reuera Christus surrexerit, nemo vocabit in dubium, nisi qui ipsam sacrae scripturae diuinam labefactare voluerit auctoritatem; apostolosque simul, testes resurrectionis Christi, fide dignissimos, aut in erroris, aus omnino fraudis suspicionem deducere.

* Idem ille, qui a mortuis resurrexit, etiam in caelum adscendit, Christus θεάνθρωπος, speciatim tamen secundum naturam humanam spectatus. De diuina enim eius natura hoc intelligi non posse, res ipsa docet. Spectantibus namque discipulis ex monte oliueti, sublatus in altum memoratur; *actor. I, 9.* Nimirum in caelum adspectabile sublatus est, sed ea ratione, vt ad sedem beatorum, immo ipsum diuinae maiestatis thronum, peruenirent. Hinc *pertransiisse caelos* dicitur, *Ebr. IV, 14. altior caelis factus*, *Ebr. VII, 26. adscendisse* ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν, *super omnes caelos; Epheſ. IV, 10.* Neque tamen hoc ita capiendum, ac si hac ratione praesentia corporis Christi prorsus orbi huic subducta sit. Hoc enim fieri non potuit, cum omnipraesentia humanae Christi naturae non magis, quam reliqua attributa diuina ἐνεργητικὰ, quae per vnionem personalem illi communicata sunt, denegari queat. Visibilem itaque solum atque localem, non autem inuisibilem corporis Christi absentiam, ex adscensione eius in caelos colligere licet; siquidem & secundum humanam naturam *omnia in omnibus replet, Epheſ. I, 23.* Ipsum interim illud corpus, quod ex Maria virgine adsumsit, etiam postquam caelum ingressus est, retinuit. Vt enim alia taceamus, angeli illi, qui discipulis Christi, caelum, in quod adscenderat seruator, intuentibus aderant, diserte dicebant: οὗτος ὁ ἰησοῦς ὁ ἀναλημφθεὶς ἀφ' ὑμῶν εἰς τὸν οὐρανὸν, οὕτως ἐλεύσεται

ὃν τρόπον ἐθεάσασθε αὐτὸν πορευόμενον εἰς τὸν οὐρανόν. *Idem ille Ieſus, qui ſublatus eſt a vobis in caelum, ita* (eumdem plane in modum) *quemadmodum vidiſtis illum proficiſcentem in caelum, veniet; actor. I, 11.* Si ergo idem ille Ieſus, qui ſpectantibus apoſtolis in caelum ſublatus eſt, & eumdem plane in modum, quo in caelum adſcendit, inde reuerſurus eſt; idem quoque, quod ante adſcenſionem habuit, eum retinuiſſe corpus, neceſſe eſt. Aliud enim ſi adſumeret, aut, ſi illud, quod habuit, depoſuiſſet, non poſſet idem ille Ieſus dici. Myſterio non caret, quod quadrageſimo a reſurrectione die illud contigerit, *actor. I, 3.* Veritas adſcenſionis Chriſti in caelum teſtimonio iterum nititur apoſtolorum, omni exceptione maiori. Non enim vnus & alter, ſed omnes ſuismet oculis viderant, Chriſtum, qui cum illis loquutus erat, nube quadam ſurſum tolli, & ita in caelum adſcendere. Neue exiſtimare poſſent, ſe hac in re falli, accedebat mox teſtimonium angelorum, eadem, quae viderant, confirmantium; *actor. I, 9. 10.* Quod tamen ea, qua antea diximus, ratione intelligendum eſt, ne omnipraeſentiae corporis Chriſti quidquam derogetur. Neceſſaria autem fuit iſta viſibilis adſcenſio, vt omnes intelligerent, cuncta, quae vates de Chriſto cecinerant, impleta eſſe, ſimulque palam fieret, eum, deuictis hoſtibus per ſollemnem triumphum ad dextram patris conſediſſe, hoc eſt, diuinae maieſtatis vſum plenarium ſibi vindicaſſe. Sed ideo quoque in caelum adſcendere voluit, vt *locum nobis pararet, Ioan. XIV, 2. pro nobis intercederet, Ebr. IX, 24. variaque dona eccleſiae conferret*, cumprimis autem *ſpiritum ſanctum inde mitteret, Epheſ. IV, 8.*

** Per *dextram Dei*, praeſertim cum Chriſtus ad eam adſcendiſſe, & ſedere dicitur, non certus aliquis locus, ſed potentia, gloria, dignitas, eaque infinita, & vere diuina, intelligitur. Idque & ſcriptura ipſa

ipsa nos aperte condocet. Verba enim *psalmi CX, 1. dixit dominus domino meo, sede a dextris meis,* Paulus ita explicat: δεῖ γὰρ αὐτὸν βασιλεύειν, *oportet enim ipsum regnare, I. Cor. XV, 25.* itemque Petrus: ὁ θεὸς κύριον καὶ Χριστὸν αὐτὸν ἐποίησε, *Deus dominum & Christum eum fecit, actor. II, 34. 36.* Si dominum fecit, ergo etiam regnum concessit. Domini enim est, regnare. Sed quid multis hic verbis opus est, cum Paulus rem omnem tam aperte explicet, vt nullus dubio relinquatur locus, quando, *constituit eum,* inquit, *Deus ad dextram suam in caelestibus, super omnes principatus & potestates, dominiumque & potentiam omnem, & super omne nomen, quod vel in hoc mundo nominatur, vel in futuro; omnia subiiciens pedibus eius, & constituens eum caput omnium ecclesiae; Ephes. I, 20. seq.* Hinc vero simul patet, non qualecumque regnum, sed regnum vere diuinum, cum maiestate, soli Deo propria, designari, in cuius communionem, qua vsum plenarium, seu ipsum exercitium, Christus venit, quando ad dextram patris consedisse dicitur. Atque hoc speciatim de humana eius natura intelligendum esse, nemo non videt. Secundum quam licet ab ipso conceptionis momento per vnionem hypostaticam hancce dignitatem atque ἐξοχὴν adeptus sit, vsu tamen eius plenario se abdicauit, donec omnia peregisset, quae hominum caussa ei peragenda fuerunt. Qua vtique ratione sessio illa ad dextram Dei recte ad statum exaltationis refertur, aut potius vltimum velut eius complementum denotat. Patri equidem adscribitur, quod eum *exaltauerit, Philipp. II, 9.* quod eum *dominum & Christum fecerit, act. II, 34. 36.* sed ita, vt ipse etiam *ingressus* dicatur, *per passionem in gloriam, Luc. XXIV, 26.* & *regnum gloriae occupasse, act. III, 21,* immo, *potestatem habere eam, qua omnia sibi possit subiecta reddere, adeo vt & nos glorificare possit;*

Philipp. III, 21. Quae qui recte expenderit, perspiciet, Christum secundum humanam quoque naturam potestatem habuisse, summae istius maiestatis vsum & exercitium sibi vindicandi.

§. XXVI.

Atque is quidem, cum foederis gratiae, qua personam, quaue vtrumque, & exinanitionis, & exaltationis statum spectatus, sponsor sit, superest, vt de ipso eius officio, quo in hocce foedere functus est, dicamus. Munere enim quodam, seu officio eum functum, & ex ipsa foederis huius indole patet & nomen quoque *Messiae*, seu *Christi*, quo idem innuitur, nos condocet. *

* Potest equidem etiam ex nomine *Iesu*, eiusque significatione, qua *saluatorem*, seu eum, qui homines a peccatis liberat, denotat, officium seruatoris hominum deriuari: cum vero istud iussu angeli in circumcisione illi impositum sit, nec alias ceu adpellatiuum vsurpetur, non sine ratione pro proprio, nomen autem *Christus*, pro nomine officii habetur. Hodie neminem fugit, vocem graecam Χριστὸς, aeque ac ebraeam משיח *vnctum* significare. Triplicis autem istius, quo functus est, officii intuitu hoc factum est. Namque & vt *propheta*, & vt *sacerdos*, & vt *rex* spectari potest, & hac quoque ratione recte vnctus dicitur. De ea vnctione, qua vt propheta vnctus est, Esaias loquitur, *cap. LXI, 1.* quod oraculum ipsemet seruator sibi vindicat, *Luc. IV, 18.* De ea, qua vt sacerdos vnctus est, *psalm. CX, 4.* agitur, coll. cum *Ebr. V, 4. 5. 6.* itemque *Dan. IX, 24. 26.* conf. & *Zach. VI, 13.* De ea denique, qua in regem vnctus est, *psalm. XLV, 8.* conf. & *I. Sam. II, 10.* & *psalm. II, 2. & 6.* *Quemadmodum autem vnctio

vnctio, qua prophetae, sacerdotes, & reges olim consecrabantur, actus externus fuit, qui tamen symbolicam habuit significationem, ita etiam per hancce, qua seruator noster vnctus dicitur, donorum spiritualium, in eum, qua humanam naturam sine mensura effusorum, collatio denotatur. Non tantum enim humana Christi natura per vnionem hypostaticam diuinorum particeps facta est attributorum, sed in se quoque spectata, eminentissimis, planeque singularibus exornata fuit dotibus; vnde *vnctus* dicitur *oleo laetitiae prae consortibus suis; psalm. XLV, 8.* De sapientia equidem hypostatica, seu filio Dei, *prouerb. VIII, 23.* adfirmatur, quod *vncta sit ante saeculum*; sed hoc de destinatione ad generis humani redemtionem, ab aeterno facta, intelligendum est. Ceterum exserte *Messiae* seu *vncti* nomen seruatori primum tributum ab Hanna Samuelis matre, *I. Sam. II, 10.* tum ab rege Dauide, *psf. II, 2.* & porro a Daniele, *cap. IX, 25.* In nouo autem testamento id longe frequentissimum esse, neminem fugit.

§. XXVII.

Ex eodem etiam foedere gratiae intelligitur, promissum hominibus esse, qui hocce officio functurus esset, quod loca insuper, & testimonia quam plurima, quae in libris veteris testamenti exstant, confirmant. Eum vero non alium, quam Iesum Nazarenum esse, inuicto argumentandi genere inde euincitur, quod omnes Messiae characteres, quos Mosis & prophetarum scripta suppeditant, ne vnico quidem excepto, in illum quadrent. *

* Promissum in veteri testamento Messiam esse, ex *Genes. III, 15. XLIX, 10. Deut. XVIII, 15. II.*

Sam. VII, 12. seq. aliisque locis fere innumeris constat. Nec, vt operose hoc probemus, necesse est, cum non tantum christiani omnes hoc fateantur, sed ipsimet etiam Iudaei, quibuscum hic maxime nobis res est, in eo nobiscum consentiant. Id ergo nobis solum agendum est, vt characteres praecipuos Messiae ex veteri testamento colligamus, eosque plane in Iesum Nazarenum, qui ex Maria virgine, sub Augusto imperatore Bethlehemi natus est, quadrare, ostendamus; indeque adeo concludamus, Iesum istum Nazarenum, verum, patribusque promissum Messiam esse. Sua sponte tum inde quoque sequetur, Messiam iam aduenisse, nec amplius exspectandum esse. Primus equidem praecipuusque Messiae character est, quod verus Deus, simulque verus homo esse debeat. Id vero, cum iam ex hactenus dictis constet, nihil hac de re addimus. Reliqui ergo characteres sequentes sunt: I) Messiam patribus promissum, fore regem, *psalm. II, 6. XLV, 7. 8. LXXII, 1. 2. LXXXIX, 28. CX, 1. Esa. XI, 1. 4. 10. Ierem. XXIII, 6.* II) simul tamen prophetam, *Deuter. XVIII, 15.* immo & III) sacerdotem; *psalm. CX, 4.* porro IV) eum venturum, inclinante ad interitum republica iudaica: *Gen. XLIX, 10.* V) nasciturum Bethlehemi, *Mich. V, 1.* & quidem VI) ex virgine, *Esai. VII, 14.* Atque hi cum sint praecipui Messiae characteres, colligere nunc pronum erit, eum verum Messiam esse, cui isti omnes prorsus conueniunt. Id vero de Iesu Nazareno comprobare haud difficile fuerit. Eum regem esse, tot habemus testes, quotquot in vniuerso terrarum orbe sunt christiani, quippe qui se eius ciues profitentur. Regnum eius, hoc est, ecclesia christiana, per orbem vniuersum diffusum, neminem hac de re dubitare sinit. Prophetam se doctrina, vaticiniis, miraculis

lis demonstrauit: quod deinceps fusius edisseremus. Si Hierosolymae vrbis deuastationem, gentisque suae eo tempore factam dispersionem cogitent Iudaei, eum vatem veracissimum fuisse, deprehendent, quippe qui haec omnia ita euentura praedixit. Ad sacerdotium eius quod attinet, dira quaeuis, atque atrocia eum perpessum, ignominiosoque adfectum mortis genere, ne ipsi quidem Iudaei negant. Ad nostra vero expianda crimina haec omnia eum toleraſſe, ex Esaia vate, *cap. LIII, 4. 5.* si velint, condiscere possunt. Eum porro sub Augusto imperatore natum, eo scilicet tempore, quo euangelistae eum natum perhibent, ipsimet rursus non diffitentur Iudaei; nec causſam, cur hoc diffiteantur, habent; quemadmodum nec illud abnuere possunt, rempublicam eorum ad interitum iam tum inclinasse, donec tandem deuastata vrbe Hierosolyma, temploque destructo, penitus dissolueretur. Et licet haecce respublica varia hactenus fata subiisset, immo & sede sua per captiuitatem Babylonicam dimota, deinceps vero etiam per Romanos valde imminuta esset, numquam tamen dissipata prorsus & ita dissoluta fuit, vt respublica amplius dici non potuerit; quod tum demum factum, cum Schiloh ille, a Iacobo praedictus, aduentasset. Praeterea Bethlehemi seruatorem nostrum natum, positum est extra controuersiam. Ex beata denique virgine natum seruatorem optimum, ex euangelistarum testimonio tantum nouimus.

§. XXVIII.

Cuiusmodi autem hocce, de quo loquimur, officium sit, etsi scriptura sacra luculenter designet, ex ipsa tamen hominum conditione intelligitur. Vt enim ex sum-

ma ista, qua circumsepti sunt, miseria eripiantur, primum quidem, praecipuumque est, vt cum Deo, quem ob peccata sua sibi iratum habent, reconcilientur; * tum vero, vt iis rite innotescant, quae requiruntur, vt gratiae diuinae, ipsis oblatae, participes fiant; ** cumque illi, qui hac ratione Christo seruatori se addicunt, hostium variorum insultibus sint expositi, capite quodam atque rege illis opus est, qui eos gubernet, dirigat, defendat, ac tueatur, ne sperato fine excidant. ***

* Sunt enim *natura filii irae*, *Ephes. II, 3.* adeoque ad Deum, ea qua par est, ratione, accedere nequeunt, multo minus liberationem a miseria sua sperare, nisi illi prius sint reconciliati; *II. Cor. V, 18. seq.*

** Idque ideo, quia, si qua naturam spectentur, ἐσκοτισμένοι τῇ διανοίᾳ, *Ephes. IV, 18.* immo σκότος, *tenebrae* sunt, *cap. V, 8.* Quae tenebrae non dispelli, nisi ab eo queunt, qui est τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν, *illuminans omnem hominem, venientem in mundum, Ioan. I, 9.*

*** Etenim, qui Christo vera fide adhaerent, τὸ μικρὸν ποίμνιον, *paruus ille grex* sunt, *quibus pater regnum dare constituit; Luc. XII, 32.* Non sunt de hoc mundo, ideo mundus odio vehementi eos prosequitur; *Ioan. XV, 18.*

§. XXIX.

Triplex itaque merito Christi officium constituitur, *sacerdotale*, *propheticum* & *regium.* * Quorum licet, in se spectatorum, diuersa ratio sit, seiungi tamen in Christo non

non potuerunt; cum ex vno eodemque fonte procedant, & ad vnum etiam eumdemque colliment finem, qui non alius est, quam hominum salus. **

* Sacerdotem namque esse oportebat seruatorem nostrum, vt crimina atque peccata nostra expiaret, nosque adeo cum Deo reconciliati, ex *filiis irae* fieremus *filii gratiae*, *Ioan. I, 12. Rom. VIII, 14. 15.* Prophetam eum esse oportebat, vt hominibus natura caecis, & tenebris plus quam cimmeriis circumseptis, lucem accenderet, facemque praeferret, vt & miseriam suam, & Numinis amorem agnoscerent, & oblata sibi, per reconciliationem cum Deo, beneficia amplectendo, ad meliorem vitam, spemque aeternae beatitudinis, traducerentur; *Esa. IX, 2. Ioan. I, 18.* Regem denique, vt eos, qui in illum crediturí essent, regeret, custodiret, & contra quosuis hostium insultus fortiter defenderet, ac tueretur; *Ioan. X, 28.* Nonnulli duplex solum officium Christi statuunt, regium, & sacerdotale; sed hi propheticum sub sacerdotali comprehendunt.

** Praecipuum equidem ex hisce officiis est sacerdotale; quippe quod reliquorum velut fundamentum est. Si enim Christus homines suo sanguine non redemisset, misere omnibus pereundum esset; adeoque nec propheticum, nec regium officium illis quidquam prodesset. Rursus tamen, ne redemtionis beneficium fructu & effectu careret, propheticum & regium accedere oportebat. Si namque maneant in tenebris homines, meritumque adeo Christi nec agnoscant, nec vera fide amplectantur, nihil iterum illis redemtio prodest. Et ita etiam se res habet, si hostium, quibus resistere nequeunt, potentia, spe vitae aeternae priuentur.

Intuitu triplicis huius officii, praecipue tamen sacerdotalis, Christus etiam μεσίτης, *mediator*, *inter Deum*, *hominesque* vocatur; *I. Tim. II, 5.* Quo quidem mediatoris officio cum nemo fungi queat, nisi qui hominum simul expiare valeat crimina, sequitur, vnicum tantum proprie sic dictum μεσίτην esse posse, Christum Iesum, quod & Paulus *l. c.* confirmat. – Hinc & ipse Messias apud Esaiam *se solum torcular calcare, nec quemquam ex omnibus gentibus secum esse*, profitetur, *cap. LXIII, 3.*

§. XXX.

Et ad propheticum quidem quod attinet, quo primum seruator ipse, dum inter mortales versabatur, functus est, in eo ita se gessit, vt se verum prophetam, hoc est, Dei amicum demonstraret; dum saepe cum Deo, & Deus cum ipso, & ipse de Deo, loquutus est, & omnia, quae scitu hominibus erant ad salutem necessaria, illis adnuntiauit; *Ioan. I, 18.* * Immo etiam, quod ceteroquin specialiori quadam ratione prophetis tribui solet, futura praedixit, quae euentu adcurate fuere comprobata; *Matth. XXIV, 2. seq.*

* Cum vox נביא, quae *prophetam* significat, primo omnium in historia Abrahami occurrat, *Gen. XX, 7.* ibique Abimelechum regem, ob Sarae raptum, increpitum, eam marito suo Abrahamo restituere Deus iubeat, addita ratione, *quia propheta est, & orabit pro te*; colligunt inde nonnulli, נביא seu *prophetam* eum significare, qui *Numinis amicus* & *familiaris* est, cuius iniurias omnes, quasi sibi propemodum factas, ad animum suum

Deus

Deus reuocet. Certe Abrahamum *amicum Dei* adpellatum, ex epistola Iacobi discimus, *cap. II, 22.* Immo & *Sap. VII, 27.* amici Dei, & prophetae, συνονυμικῶς coniunguntur, quando de sapientia diuina ibi dicitur: φίλους θεοῦ καὶ προφήτας κατασκευάζει· conf. & *psalm. CV, 14. 15.* Istam autem familiaritatem cum Deo tria complecti, porro obseruant. Nimirum cum familiari suo Deus loquitur; & is iterum cum Deo; denique & de Deo ad alios. Deus cum amicis, seu familiaribus suis diuersa equidem ratione loquitur; per verbum scilicet, quod hodie in scriptura sacra exstat; tum vero praeter ordinem, per varias reuelationes, immediate ab eo profectas, quae olim, in veteri praesertim testamento, fuerunt frequentissimae; *Ebr. I, 1.* Ita namque Deus cum amicis suis agit, vt eos quandoque, quae occulta sunt, ignorare nolit. Vnde iterum de Abrahamo: *occultemne ego ab Abrahamo, quid sim facturus? Gen. XVIII, 17.* Rursus amicus, seu familiaris Dei frequenter cum illo loquitur, in *precibus* & *gratiarum actionibus.* Hinc de Abrahamo dicitur: *propheta est, & orabit pro te, Gen. XX, 7.* Quam validae fuerint preces Mosis, ex *Exod. XXXII, 10. seq.* constat. De precibus autem Eliae Iacobus testatur; *cap. V, 17.* Pertinent huc etiam cantica & hymni prophetarum, quorum frequens in scriptura sacra mentio. Denique & de Deo ad alios loquebantur amici Dei, seu prophetae, dum voluntatem diuinam illis patefaciebant, seu ea adnuntiabant, quae illis adnuntiari voluit Deus. Vnde & factum, vt vox προφητεία generatim de doctrina, vel scripturae explicatione, vsurpetur; *Rom. XII, 7. I. Cor. XIV, 1. seq.* quamuis speciatim, qui ex reuelatione & voluntate diuina futura praedicunt, prophetae vocentur, & adhuc hodie vocari soleant. Legenda,

quae

quae de hactenus dictis erudite commentatur HERMAN. WITSIVS, *miscell. sacror. part. I. lib. I. cap. I. §. III. seq.* Eleganter autem, quae diximus, ad officium Christi propheticum adplicari possunt, vt genuinam eius rationem inde intelligamus. Christus enim non tantum amicus Dei est, sed omnino ὁ υἱὸς αὐτῦ ὁ μονογενὴς, qui est ἐν κόλπῳ in *sinu patris*; isque *omnia nobis adnuntiauit; Ioan. I, 18.* Pater itaque cum eo, tamquam cum filio loquitur, ita quidem, vt per aeternam a patre generationem, ceu verus Deus, omnia noscat, quae pater nouit; vt adeo & hoc sensu dicat: *omnia, quae pater habet, mea sunt; Ioan. XVI, 15.* Non minus & cum patre loquitur, quod, qua homo, quamdiu inter mortales versatus est, saepissime fecit in precibus; conf. *Matth. XIV, 23. Marc. I, 35. VI, 46. Luc. III, 21. IX, 29.* itemque in gratiarum actionibus; *Matth. XI, 25. Luc. X, 21. Ioan. XI, 41.* Tandem & de Deo loquutus est ad homines, dum ceu filius Dei vnigenitus, adnuntiauit, quae scitu, crediuque ad salutem illis erant necessaria. Vnde & Deus in vltimis diebus *per filium suum ad nos loquutus* dicitur; *Ebr. I, 2.* Quod & conciones eius, ab euangelistis commemoratae, testantur. Licet autem seruator praecipue euangelium hominibus adnuntiauerit, *Esa. LXI, 1. Marc. I, 14. Luc. IV, 18.* non tamen intermisit etiam de vero & genuino legis sensu eos erudire, vt vel ex *Matth. V, 20. seq.* constat.

§. XXXI.

Speciatim munere prophetae, seu doctoris functus est, instituendo homines rudes, viamque salutis illi monstrando,* reuocando in rectum tramitem errantes,** adhortando atque admonendo cunctantes, *** repugnan-

repugnantes autem acriter obiurgando, atque reprehendendo, * miseros denique, variisque calamitatibus oppressos, erigendo & consolando. **

* Atque ita officio didascalico, voce hac in arctiori sensu accepta, functus est, quod variae eius conciones, vt insignis illa, quae *Matth. V. VI. & VII.* legitur, testantur; itemque colloquia, vt illud cum Nicodemo, *Ioan. III, 1-22.* Atque huc & ea pertinent loca, in quibus vt *lux hominum* describitur, *Esa. IX, 2. XLII, 6. 7. XLIX, 6. LX, 1. seq. LXII, 1. Luc. II, 32. Ioan. I, 4. seq. Ioan. III, 19.* conf. & *Ioan. VI, 63. & 68.*

** Pertinet hoc ad officium elenchticum, quo ipsemet seruator ita functus est, vt mox Pharisaeorum & scribarum, mox Sadducaeorum errores redargueret & confutaret; *Matth. V, 20. XXII, 23. 29. seq.* Hinc & ad Sadducaeos dicebat: *erratis, nec intelligitis scripturam, aut potentiam Dei; Matth. XXII, 29.* Iure autem Pharisaeorum discipuli ita illum adloqui poterant, etsi minime ex animi hoc facerent sententia: *Magister, scimus, te veracem esse, diuinamque vitae viam vere docere, neque quemquam curare, quippe qui non spectes hominum personam; ibidem vers. 16.* De se ipso namque merito pronuntiabat: *Ego sum via, veritas, & vita; Ioan. XIV, 6.*

*** Ad παιδείαν haec referas, qua subinde erga discipulos, cum variis infirmitatum generibus colluctantes, vsus est. Sic, cum in naui cum magistro exsisterent, & exorta tempestate se perituros existimarent, reprehendebat eos: τί δειλοί ἐστε, ὀλιγόπιστοι *quid ita timidi estis, o! parua fide praediti! Matth. VIII, 26.* Et ad discipulos, quibuscum Emmauntem proficiscebatur: *o! socordes, & animo tardi, ad credenda*

credenda omnia, quae dixere prophetae; Luc. XXIV, 25. conf. & Marc. XVI, 14.

* Ita & epanorthotico officio functus est, cuius illustre exemplum Matth. XXIII. exstat, vbi illud: Vae! vobis, scribae & Pharisaei, hypocritae! subinde ingeminat, v. 13. seq.

** Paracleticum hocce officium vt vel maxime euangelii doctorem decet, ita seruatorem optimum eo quam lubentissime functum, vt credamus par est. Hinc vox eius suauissima, miserisque omnibus merito iucundissima: *Venite ad me omnes laborantes, & onusti, & ego recreabo vos &c. Matth. XI, 28.* Quo pacto hocce officio functurus esset, eleganter Esaias vates *cap. XLII, 1.* descripsit, cuius verba Matthaeus *cap. XII, 18. seq.* repetit.

§. XXXII.

Cumque doctoris sit, seu prophetae, ea, quae aliis praecipit, suo confirmare exemplo, nec ea in re aut sibi, aut nobis potius, defuit; siquidem ὑπογραμμὸν nobis reliquit, vt eius premamus vestigia, *I. Petri II, 21.* * Atque ita sane, tum in officiis erga Deum, ** tum erga se ipsum, *** tum erga alios * se gessit, vt vbique quod imitemur, ad quod vitam, moresque nostros componere par sit, inueniamus.

* Tanta vitae eius fuit integritas, tanta morum innocentia, vt fidenter aduersarios prouocare potuerit: *quis me vestrum coarguerit peccati? Ioan. VIII, 46.*

** Amore, veneratione, obsequio, fiducia. De amore, quo patrem suum amauit, tota eius vita testatur. Testatur vero & seruator ipse, quando *Ioan. XVII, 20. 21.* ita loquitur: *Neque vero pro his solum oro,*

oro, sed etiam pro eis, qui per eorum sermonem in me credent; vt omnes vnum sint, quemadmodum tu pater in me, & ego in te, vt ipsi quoque sint in nobis vnum &c. Sublimiori equidem ratione de vnitate essentiae intelligendum, quod dicit: *quemadmodum tu pater in me, & ego in te;* nihil tamen obstat, quo minus & de summo patris erga filium, & filii erga patrem amore hoc capiamus, siquidem hocce exemplo docet, quo pacto omnes, qui in illum credunt, se inuicem amare debeant. De honore, & veneratione, qua patrem suum prosequutus sit, rursus ipsemet testatur: *patrem meum honoro, vos vero me probro adficitis; Ioan. VIII, 49.* Et de obsequio: *hicce cibus meus est, vt voluntatem exsequar eius, qui me misit, eiusque opus absoluam; Ioan. IV, 34.* Quo nomine Paulus eum praedicat, eiusque exemplum nobis proponit, quod *obediens fuerit patri vsque ad mortem, immo ad mortem crucis, Philipp. II, 8.* conf. & *Psalm. XL, 8. seq.* De fiducia eius in patrem conf. *psalm. XXII, 10. 11.* itemque *Matth. XXVII, 43.* Ad officia erga Deum preces etiam pertinent, & gratiarum actiones; in quibus, quo pacto Christus vt verum prophetam, seu amicum Dei se demonstrauerit, iam ad §. *XXX.* dictum est.

*** Abnegatione sui perfectissima, *Phil. II, 6. 7. 8. Matth. XII, 47.* paupertatisque tolerantia, *Matth. VIII, 20. 21.* humilitate porro & mansuetudine, *Matth. XI, 29.* puritate denique summa, vt ὁ ἀμνὸς ἄμωμος & ἄσπιλος, *I. Petr. I, 18. 19.* quippe qui in omnibus factus est nobis similis, sed χωρὶς ἁμαρτίας, *absque peccato; Ebr. IV, 15.*

* Amore erga omnes homines summo & ineffabili, immo tanto, vt sanguinem etiam suum pro illis effunderet, mortemque subiret acerbissimam. Atque huncce summum esse amoris gradum, ipsemet seruator rectissime pronuntiat; *Ioan. XV, 13.*

conf.

conf. *I. Ioan. III, 16.* Hinc & χρηστότητα & φιλανθρωπίαν eius Paulus praedicat, *Tit. III, 4.* Quam suam φιλανθρωπίαν in eo etiam demonstrauit, quod homines miseros, quosue peccatorum suorum serio poenitebat, summa humanitate exceperit, adeo, vt hoc ei a Pharisaeis, & scribis exprobraretur: οὗτος ἁμαρτωλοὺς προσδέχεται, καὶ συνεσθίει αὐτοῖς, *Luc. XV, 2.* Non poterat autem ipse suum erga mortales, eos maxime, qui voluntati eius morem gerere non detrectant, amorem, studiumque eos iuuandi aptius exprimere, quam cum se ipsum sub imagine pastoris sistit, & eiusmodi quidem pastoris, qui vitam quoque pro ouibus dimittere paratus est; *Ioan. X, 11.* conf. *Esa. XL, 11. Ezechiel. XXXIV, 16. 23. XXXVII, 24.* Dum vero omnes homines amore tenerrimo complectebatur, non alio erga inimicos fuit animo, adeo, vt pro iis omnino oraret, qui cum cruci adfigebant; *Luc. XXIII, 34.* suoque hinc ipse exemplo comprobauit, quod & a nobis fieri voluit; *Matth. V, 44.* Denique nec eorum immemor fuit, quae erga cognatos specialiori quadam ratione praestanda sunt. Cuius rei documentum cura illa, quam pro matre gessit, praebet, cum in cruce penderet, *Ioan. XIX, 26. 27.* Pluribus haec si quis exsequi velit, deprehendet, nullam esse virtutem, cuius non exemplum longe pulcherrimum in vita Christi inueniat. Vnde & vt alibi, quae imitemur, aut ad quae nostram componamus vitam, quaeramus, necesse non est.

§. XXXIII.

Miraculis insuper doctrinam suam confirmauit; quae cum propria virtute ederet, iis non tantum pondus doctrinae suae addidit, eamque ita comparatam esse ostendit,

dit, vt de diuina eius origine, hinc & veritate, nemini dubitare fas sit; sed & prophetam illum summum, Israelitis a Deo promissum, cui omnes obedire debeant, se esse, demonstrauit; *Deut. XVIII, 15. actor. III, 22.**

* Miracula Christi ita comparata fuerunt, inde vt concludatur merito, eum prophetam omnium maximum, immo amplius quid, quam prophetam, verum Deum, verumque fuisse hominem. Namque obseruandum, 1) etsi breui solum temporis spatio, per triennium & semestre, seruator docendi munere functus sit, tot tamen eum miracula edidisse, vt eorumdem numerum omnium prophetarum miracula neutiquam aequent: 11) modum, quo edidit ea, ita comparatum fuisse, vt vis, atque maiestas diuina in eo statim eluceret. Non enim ambagibus, aut aliarum rerum adparatu vsus est, sed pleraque in vno temporis momento, verbo, nutu, contactu ab eo patrata sunt, saepius quidem praesente, aliquando & absente; aut si quandoque ob causas grauissimas media quaedam adhibuit, eiusmodi ea fuerunt, ex quibus effectus ille nullo modo consequi potuit, adeoque eo magis, vim diuinam subesse, comprobarunt. III) Accessit, idque praecipuum est, quod non *potestate aliena*, vt reliqui prophetae, sed *sua propria*, hoc est, diuina virtute, qua etiam vt homo, propter personalem vtriusque naturae vnionem, gaudebat, miracula patrauerit. Idque, vt nemini, qui, quis ille sit, nouerit, dubium esse potest, ita ipsemet hoc confirmat, quando in disputatione contra incredulos Iudaeos, *Ioan. V, 19.* non id tantum probat, quod alibi adfirmauit, se a patre missum, sed patri parem esse: *quaecumque pater facit,*

haec filius pariter facit. Non dicit, τέτοις ὅμοια ποιῶ, *his similia facit*, sed ταῦτα καὶ ὁ υἱὸς ὁμοίως ποιεῖ, *eadem ista filius pariter facit*, adeoque eadem prorsus potentia. IV) Nec id praetermittendum, quod Christus apostolis quoque, atque discipulis suis potestatem in suo nomine miracula edendi concesserit; cuiusmodi quid de nullo aliorum prophetarum legitur; conf. *Matth. X, 1. Luc. X, 19. Marc. XVI, 17.*

§. XXXIV.

Vt autem seruator ipse, quamdiu inter mortales versatus est, hocce munus egregie administrauit, ea quidem ratione, vt & hic, non tantum verum hominem, sed & verum Deum se demonstraret; ita, ne post eius ex hac vita discessum deessent, qui idem facerent, quod vt hominum saluti consuleretur, necessarium erat, ipsemet prospexit, constituendo verbi ministros, qui eius vicibus, prout status ecclesiae hoc requirit, fungantur. *

* Atque ita post suam in caelum adscensionem mediate hocce officio fungitur, prout antea immediate eodem functus erat. Huncce ergo in finem apostolos misit, qui euangelium omnibus adnuntiarent; *Matth. XXVIII, 10. Marc. XVI, 15.* Neque tantum *apostolos*, *prophetas*, & *euangelistas*, qui praeter ordinem in initio noui testamenti mittebantur, sed *pastores* quoque atque *doctores* constituit; *Ephes. IV, 11.* vt nullum adeo dubium sit, quin etiam hodie per doctores ecclesiarum atque scholarum ordinarios munere suo hocce prophetico fungatur. Accedit, quod non tantum *externe*, sed & *interne* homines doceat, per vim illam diuinam, quam verbum recte propositum secum coniunctam habet, ad illuminandos

minandos eos, qui tenebris immersi erant, vt veritatem & agnoscant, & intime de ea conuincantur, simulque ad flectendam ad obsequium, verbo agnito praebendum, voluntatem, vt ita conuertantur, regenerentur, in fide conseruentur, adque aeternam perducantur salutem.

§. XXXV.

Alterum officium, idemque reliquorum certo modo fundamentum, est sacerdotale; cuius duae partes recte constitui solent, sacrificii pro hominum peccatis oblatio, atque interceſſio.

§. XXXVI.

Et sacrificium quidem Christus ipsemet pro nobis, ceu verus summus sacerdos obtulit, dum acerbissima quaeque pro nobis passus est, immo ipsam mortem subiit. Ita enim non alieno, sed *suo sanguine ingressus est in sancta*, aeternamque λύτρωσιν, seu *redemtionem inuenit*; *Ebr. IX, 12.** Vnde simul, quantopere hocce sacrificium a typicis illis, quae in veteri testamento offerebantur, siue sacerdotem ipsum, siue victimam, siue modum eam offerendi, siue vim denique, & efficaciam istius sacrificii spectes, differat, intelligitur.**

* Christum acerba plurima passum, tandemque cruci adfixum, sanguinem effudisse, & ita mortuum esse, nemo dubitat. Haec omnia vero cum subierit, vt hominum expiaret peccata, quod rationem sacrificii, & quidem ἱλαστικῆ, seu propitiatorii, habuerint, manifestum est. Atque hoc etiam diserte scriptura confirmat, *Eph. V, 2. Ebr. VII, 27. X, 14.*

 ** Discri-

** Discrimen illud inter sacrificium Christi, & typica sacrificia veteris testamenti, satis euidens est, nec operosa indiget explicatione. Sacerdotes namque veteris testamenti suo modo etiam sponsores erant, prout pro populo ad Deum adpropinquabant, *pro hominibus constituti in iis, quae apud Deum agenda erant; Ebr. V, 1.* Victimarum enim oblatione praestabant id, quod Deus eo tempore exigebat ad peccatorum expiationem; *Leuit. I, 4. IV, 26. seq. XVI, 34.* Sed sponsores saltem typici erant, λατρεύοντες ὑποδείγματι καὶ σκιᾷ τῶν ἐπουρανίων, *inseruientes exemplari & vmbrae caelestium; Ebr. VIII, 5.* Christus namque verus ille sponsor est, qui ex pacto cum patre, de quo supra dictum, omnium peccatorum expiationem in se recepit, vnicus ille μεσίτης inter Deum & homines; *I. Timoth. II, 5.* Iam si victimam spectes, in veteri testamento pecudes Deo offerebantur, adeoque victimae a sacerdotibus ipsis distinctae erant; interim ita comparatae, vt itidem typum aliquem atque imaginem Christi, ceu verae, non typicae, victimae exhiberent. Quorsum praecipue illud spectabat, quod nullum, nisi mundum animal, nullaque labe aut vitio deforme, Deo offerri debebat. Sed Christus erat ipsemet & sacerdos, & victima; quippe qui *non per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem semel in sancta ingressus est, Ebr. IX, 12.* Circa modum in nonnullis magna equidem erat conuenientia. Victimis ἱλαστικοῖς imponebantur peccata eorum, pro quibus offerebantur, quod & nomina חטאת *piaculum* & אשם *reatus*, quibus ipsae victimae notari solent, euincunt. Pari ratione & Christus omnium hominum peccata, ceu victima vere ἱλαστικὴ, in se susceptit. Sic &, dum victimae mactabantur, earumdemque sanguis effundebatur, imaginem eorum, quae Christus itidem subiit, exhibebant. Victimae

vero

vero mactatae in altari cremabantur; quod de Christo proprie dici nequit, etsi hac imagine intensissimus ille amor, qui eum impulit, vt pro hominum peccatis Deo patri se offerret, elegantissime adumbretur. Taceo reliqua, in quibus discrimen aliquod deprehendere licet. Effectus, qui sacrificium ἱλαστικὸν rite peractum sequebatur, erat *expiatio*, per quam ille, qui sacrificium Deo obtulerat, eidem reconciliatus censebatur, adeo, vt de propitio eius fauore, & impetrata remissione peccatorum, certus esse posset. Sed & hancce expiationem typicam solum fuisse, nemo dubitauerit, cum vitulorum, hircorumque sanguini ea vis, iram Numinis placandi, hominumque expiandi peccata, tribui nequeat. Quod & Paulus confirmat, diserte adserens, sacrificia, quae a sacerdotibus quotidie offerebantur, & saepe repetebantur, non potuisse adimere peccata: ἅτινες (θυσίαι) οὐδέποτε δύνανται περιελεῖν ἁμαρτίας· *quae numquam adimere possunt peccata; Ebr. X, 11.* conf. & *IX, 12. seq.* Nimirum in se spectata, & propria virtute, non poterant expiare peccata, aut homines reconciliare Deo, efficere tamen hoc poterant, ceu sacrificia typica, intuitu veri istius, & magni sacrificii expiatorii, quod suo tempore pro hominum genere oblaturus erat illorum seruator.

§. XXXVII.

Non tantum Christus passione & morte sua nostra peccata expiauit, sed per totam vitam suam, legem diuinam pro nobis adcuratissime impleuit; & ita pro nobis satisfecit, dum non tantum sacrificio infinitivaloris iratum Deum placauit, sed & ea omnia adcurate praestitit, quae iustitia diuina, hominum peccatis infinitum in modum laesa,

exigere poterat; adeo, vt omnis obligatio ad poenam cesset, prorsusque sit sublata, Deus vero, vtpote hac ratione reconciliatus, omnia peccata, quae admiserunt, modo vera fide meritum Christi adprehendant, illis remittere & condonare, eosque in numerum filiorum suorum recipere paratus sit.*

* De satisfactione itaque Christi cum hic nobis dicendum sit, initio obseruamus, etsi vox *satisfactio* in scriptura non exstet, ideo de re ipsa, quae aliis etiam vocibus exprimi potest, non esse dubitandum. Sunt omnino aliae voces, quibus res ipsa tum in veteri, tum in nouo testamento exprimitur. In veteri quidem חטא in forma piel, *mundauit, purgauit a peccato, expiauit, Gen. XXXI, 39. Leuit. XIV, 52.* & alibi, כפר itidem in forma piel, *placauit, expiationem fecit, Exod. XXX, 10. Leuit. XVI, 16.* alibique. In nouo autem ἀγορασμὸς, *emtio, II. Petr. II, 1. I. Cor. VI, 20.* ἐξαγορασμὸς *redemtio, Gal. III, 13.* λύτρον, *Matth. XX, 28.* & ἀντίλυτρον, *redemtionis, seu solutionis pretium, I. Tim. II, 6.* λύτρωσις, *Luc. I, 68. I. Petr. I. 18.* & ἀπολύτρωσις, *redemtio*, quae est solutio pretii ab altero praestita ad liberationem capti & venditi, *Rom. III, 24. I. Cor. I, 30.* ἀποκαταλλαγὴ, *reconciliatio; Ephes. II, 16. Coloss. I. 20.* ἱλαστήριον, *propitiatorium, Rom. III, 25.* ἱλασμὸς, *expiatio, I. Ioan. II, 2. IV, 10.* & quae alia sunt eiusdem generis. Est vero nec illud praetermittendum, satisfactionem duplici ratione considerari posse, vel *absolute*, vel *relatiue*. Priori modo si spectetur, nihil aliud significat, quam desiderium eius, cui satisfacere dicimur, implere. Relatiue autem considerata, respicit obligationem, eiusque abolitionem, seu destructionem denotat. Et haecce quidem satisfactio iterum in *ciuilem* & *crimi-*

criminalem diuidi solet. Illa locum habet, quando debiti cuiusdam obligatio, interuentu alterius rei, & accedente acceptatione, tollitur; haec in poenis maxime conspicitur, & tum poenae persolutionem, tum eius ad delictum proportionem requirit. Criminalis porro haecce satisfactio vel *propria* est, vel *vicaria*: illa, quam ipse reus praestat, haec, quam alius, ipsius vice. Dum ergo nunc de satisfactione Christi agimus, non de *ciuili*, sed de *criminali* seu *poenali*, eaque *vicaria* sermonem esse, res ipsa docet. Nimirum *satisfactionis* vox hic ita accipitur, prout expletionem exactissimam eorum omnium, quae Deus ab hominibus peccatoribus, per iustitiam suam, secundum summam legis ἀκρίβειαν postulare poterat, pro hominibus a Christo factam, denotat. Vt autem eo rectius cuncta percipiantur, iuuat paullo distinctius in satisfactione, ceu actu quodam forensi, considerare, I) reos seu delinquentes, II) sponsorem, seu eum, qui satisfecit, III) iudicem, cui satisfactum, IV) ipsam satisfactionis praestationem, & V) denique finem atque effectum, seu liberationem. Rei seu delinquentes sunt omnes omnino homines, nemine, nisi solo Christo, excepto, cum omnibus illorum delictis seu peccatis. Sponsor, seu is, qui pro hominem peccatis Deo satisfecit, seruator noster est, Iesus Christus, & quidem solus. Vnicus enim hicce est μεσίτης inter Deum & homines; *I. Tim. II, 5.* Hic *est seruus* ille *Dei, qui nostros morbos tulit, Es. LII, 13. & LIII, 4.* Hic est ἔγγυος, *sponsor* ille, *Ebr. VII, 22.* qui misericordia commotus, se ad genus humanum, ex summa miseria, qua consepultum erat, eripiendum, & liberandum obtulit. Quod cum aliter fieri non posset, quam vt debitum loco captiuorum solueret, poenamque ab iis promeritam in se susciperet, opere ipso hoc in tempore praestitit, sic-

que nos cum Deo reconciliauit. Ideoque & *princeps salutis* vocatur, *Ebr. II, 10.* Idque & ipsum nomen *Iesus* indicat, quippe quod talem significat, qui homines saluaturus esset, ab illorum peccatis, secundum ipsam angeli interpretationem; *Matth. I, 21. Luc. II, 21.* Iudex seu is, cui satisfaciendum fuit, ipse Deus est, *vnicus* ille *legislator, qui potest seruare & perdere, Iac. IV, 12.* adeoque & *totius orbis iudex* est, *Gen. XVIII, 25.* Hic namque cum ab hominibus merito obseruationem legum suarum adcuratissimam exactissimamque postulet, non potest non per peccatum, quod ἀνομία, seu *legis transgressio est, I. Ioan. III, 4.* offendi. Hinc iniquitas hominum ei est abominationi; *ps. XIV, 1. LIII, 2.* nec aliter peccatores, quam hostes Dei considerantur; *Rom. V, 10.* conf. *psalm. V, 5.* Impunitos itaque homines dimittere, iustitia summi huius iudicis non permittebat; rursus omnes in vniuersum perdere, summa eius, & ineffabilis prohibebat misericordia. Vtrique ergo, & iustitiae, & misericordiae diuinae vt consuleretur, filius Dei, delicta hominum se expiaturum, satisfactionemque praestiturum, sponte in se recepit: quod cum & Deus acceptasset, ea, quae nos promeriti eramus, in eum coniecit; quod Esaias vates eleganter ita exprimit: ויהוה הפגיע בו את עון כלנו *& dominus occurrere fecit in illum iniquitates omnium nostrorum, cap. LIII, 6.* De tota autem, quod diximus, intelligendum est trinitate, cui adeo satisfecisse Christus recte adscritur. Nec obstat, quod hac ratione & sibi ipsi satisfecerit. Namque & hoc omnino factum est; cum duplicem sustinuerit personam, & iudicis, & sponsoris. Quod cur admitti nequeat, nullam rationem video; cum inter homines id subinde fieri, quotidiana doceat experientia. Ipsa satisfactionis praestatio partim in eo consistit,

quod

quod dolores, cruciatusue longe grauissimos, acerbissimosque, immo ipsam mortem pro nobis sustinuit; partim, quod etiam legem diuinam pro nobis adcuratissime impleuit. Hinc *obedientia* Christi, tum *passiua*, tum *actiua* huc referri solet. Et de passiua nullum plane est dubium, cum scriptura sacra non tantum dolores istos grauissimos, cruciatusue commemoret, sed eos omnes nostri caussa illum sustinuisse, testetur, *Esa. LIII, 4. 5.* Idque omnino de omnibus doloribus, quos per totam vitam seruator sensit, est intelligendum, praesertim de iis, quos in vltimis vitae diebus, ad mortem vsque perpessus est. Actiuam vero etiam, quam vocant, obedientiam ad satisfactionem Christi pertinere, vel Paulus nos condocet, *Gal. IV, 4.* adserens, filium Dei vnigenitum, natum ex muliere, *legi subditum esse, vt eos, qui sub lege erant, redimeret.* Etsi enim Christus per summam suam sanctitatem, nihil agere posset, quod legi repugnaret, obligationi tamen legis, a qua immunis erat, sponte sua se submisit, vt a coactione ac maledictione eius nos liberaret; conf. & *Rom. VIII, 3.* Finis, simulque effectus istius satisfactionis fuit hominum cum Deo reconciliatio; *II. Cor. V, 18. 19. Rom. V, 10.* adeoque & abolitio obligationis, quae hominibus inhaerebat, aut ad implendam exacte legem, aut ad sustinendam poenam, quae apostolo *chirographi* nomine venit; *Coloss. II, 14.* hinc porro liberatio a maledictione legis, *Gal. III, 13.* a metu mortis, *Ebr. II, 14. 15. I. Cor. XV, 54. 55.* & potestate diaboli; *I. Ioan. III, 18.*

§. XXXVIII.

Atque hac quidem ratione Christum pro hominum peccatis satisfeciisse, scriptura sacra tam aperte, tamque luculenter,

Esa. LIII, 4. 5. Ioan. I, 29. Rom. III, 24. 25. 2. Cor. V, 19. Tit. II, 14. 1. Ioan. II, 2. alibique,* testatur, vt nemo sine impietate ea de re dubitare queat. Hinc vero vt veritas satisfactionis istius intelligitur, ita necessitatem ** eius, iustitiamque, *** adcuratior sanctitatis, & hinc fluentis iustitiae diuinae consideratio, quemuis facile condocebit.

* Ea testimonia praesertim adhuc addi possunt, in quibus λύτρα, ἀντιλύτρα, λυτρώσεως, ἀπολυτρώσεως mentio iniicitur, *I. Tim. II, 6. Eph. I, 7. Coloss. I, 14. I. Petr. I, 18. 19.* ἀγοράσας, vel ἐξαγοράσμου; *I. Cor. VI, 20. Gal. III, 13. II. Petr. II, 1.* vt & καταλλαγῆς, vel ἀποκαταλλαγῆς, *Rom. V, 8. 9. 10. II. Corinth. V, 18. 19. Ephes. II, 16. Coloss. I, 20.* & quae alia sunt eiusdem generis.

** Cum enim constet, hancce viam homines in pristinum felicitatis statum restituendi Deum ingressum esse, vt pater filium suum vnigenitum mitteret, qui suo sanguine & morte mortalium peccata expiaret; recte inde concludimus, vnicam etiam hancce fuisse viam, qua hominum rebus consuli potuerit. Si enim alia excogitari ratio potuisset, homines, ex summa illa, qua circumsepti erant, miseria liberandi; quis existimet, Deum illam non potius electurum fuisse, quam vt filium suum, filium suum vnigenitum, filium suum ἴδιον, *Rom. VIII, 32.* mitteret, & cruciatibus grauissimis, atrocissimisque doloribus exponeret? Haec Deum sine summa feciſſe necessitate, si quis sibi persuaserit, nae! illum existimare oportet, Deum in re seria, omniumque grauissima, ludere voluisse. Quodsi autem alia via inueniri non potuit, homines ex miseria sua eripiendi, summa satisfactionis Christi necessi-

necessitas sponte sua inde consequitur. Atque ita cum satisfactionis Christi necessitas in aprico posita sit, quaeri vlterius posset, quam ob caussam adeo necessaria fuerit ista seruatoris satisfactio? Ad quod respondemus, summam Numinis, & infinitam iustitiam, quae hominum peccatis infinitum in modum laeditur, eam necessario postulasse. Iustitiam diuinam, & quidem vindicatiuam, quae hic in censum venit, ex summa eius sanctitate fluere; sanctitatem autem Dei in summo eius, purissimoque amore, quo se ipsum amat, consistere, supra demonstrauimus, cum de attributis diuinis ageremus. Quemadmodum itaque Deus non potest non se ipsum amare summo, perfectissimoque amore, adeoque remouere a se, quidquid cum eius summa perfectione pugnat, hinc & necessario sanctus est; ita non potest non iustus esse, seu peccata quaeuis, vtpote cum eius sanctitate pugnantia, punire. Ex poenae vero necessitate fluit necessitas satisfactionis, nisi illis, qui deliquerunt, omnibus misere sit pereundum. Atque id scriptura confirmat, quando non tantum summam istam Numinis iustitiam, & sanctitatem inculcat, sed hinc etiam concludit, eum, *qui amat iustitiam, ideo odisse iniquitatem*; *psalm. XLV, 8. peccatum esse abominationem animae ipsius*; *prou. VI. 16.* Nec tantum *peccatum*, sed & *peccator* ipse Deo est abominationi, *Deut. XXV, 16. psalm. V, 5.* Si regeras, ex hactenus dictis, iustitia scilicet & sanctitate Dei, id quidem fluere, peccatorem, quamdiu talis maneat, non posse non a Deo puniri, neutiquam autem inde sequi, eum etiam puniendum esse, si mentem mutet, atque resipiscat, & ita ad Deum accedat, gratiamque & misericordiam eius imploret; nihil tamen effeceris, cum summam istam Dei sanctitatem, iustitiamque scriptura sacra

ita

ita describat, inde vt intelligatur, non posse illum quemquam sine satisfactione in gratiam recipere, *Exod. XXXIV, 7. Ebr. IX, 22.*

*** Iustitiam satisfactionis eius in dubium vocare, stolidum foret, cum Christum, eo ipso, dum iustitiae diuinae satisfecit, aliquid feciſſe, quod iniustum esset, nemo sanae mentis sibi persuaserit. Duae tamen hic, quamuis sine vlla necessitate, in censum venire solent quaestiones, quarum altera est: an Christus sine vlla iniquitate sponsionem eiusmodi in se suscipere potuerit? altera: an iustitiae fuerit conueniens, vt homo innocens pro nocente puniretur? Sed ad priorem quod attinet, etsi non plane in hominis positum sit potestate, vitam pro lubitu dimittere, mortemque subire; quoties tamen perspectum illi, atque exploratum est, Deum hoc velle aut iubere, aut gloriam, honoremque Dei hoc exigere, tantum abest, vt peccet, mortem praeferendo vitae, vt potius obsequium suum erga Deum probando, faciat, quod officii sui postulat ratio. Christus autem omnino dominus erat vitae suae, habebatque ἐξουσίαν, *potestatem, & ponendi eam & retinendi*; *Ioan. X, 18.* Dumque eam dimisit, fecit, quod patri gratum erat, quodue ex pacto cum eo facere debebat; immo suum patri vel maxime probauit obsequium, *obediens factus patri ad mortem, immo ad mortem crucis*; *Philipp. II, 8.* Nec difficile quoque est, ad posteriorem respondere quaestionem. Iustitiae enim & aequitati minime conueniens esse videtur, vt puniatur, qui non peccauit; sed si quis ita consideretur, prout alterius delicta in se recepit, non amplius vt innocens, sed vt nocens, non quidem ex facto proprio, attamen ex facto alieno, consideratur, & hactenus recte punitur. Ideoque & Christus ipse peccata nostra in se suscepisse dicitur, vt veluti peccator omnium maximus

ximus iram Numinis perſentiſceret ; quo nomine & *agnus Dei* vocatur, *portans peccata mundi*; *Ioan. I, 29.* Id vero cum nulla ratio obſtet, quo minus conſenſu liberrimo facere potuerit, nulla etiam, ſolida ſaltem, adferri poteſt, cur Deus hanc ſatisfactionem, quam alius pro hominibus, ipſe tamen itidem verus homo, etſi ſimul verus Deus, praeſtitit, acceptare non potuerit.

§. XXXIX.

Praeſtantia ſatisfactionis huius etiam ex vniuerſalitate eius intelligitur, ſiquidem Chriſtus pro omnibus omnium & ſingulorum hominum, cuiuscumque ſtatus aut conditionis fuerint, quocumque tempore & loco vixerint, peccatis, quantumuis numero multa, & grauitate atrocia ſint, pleniſſime ſatisfecit; *agnus* ideo *Dei* dictus, *mundi peccata ferens*, *Ioan. I, 29.* immo ἱλασμὸς, *pro totius mundi peccatis*; *I. Ioan. II, 2.*

§. XL.

Altera pars officii ſacerdotalis Chriſti in eius interceſſione conſiſtit, qua pro omnibus hominibus, maxime fidelibus, vt omnia, quae ad fidem, vitamque ſpiritualem, tandemque & aeternam conſequendam iis neceſſaria ſunt, impetrent, vi meriti ſui apud patrem, & in ſtatu exinanitionis interceſſit, & in ſtatu exaltationis adhuc intercedit, modo tamen vtrique ſtatui conuenienti. Ad quam equidem interceſſionem, aeque ac ipſam ſatisfactionem,

nem, vtraque natura, & diuina, & humana, concurrit, ac quod suum est, confert. *

* Christum in statu exinanitionis pro hominibus intercessisse, ex *Luc. XXIII, 34.* itemque *Ebr. V. 7.* constat. Cumprimis precatio illa sacerdotalis, quam Ioannes *cap. XVII.* exhibet, & cuius vim, ac pondus nemo vmquam satis admirabitur, hoc nos condocet. Idem vero, quod adhuc in statu exaltationis faciat, Paulus testatur, *Rom. VIII, 34. Ebr. VIII, 25. IX, 24.* Pro omnibus porro hominibus eum intercessisse, & etiam num apud patrem intercedere, φιλανθρωπία eius, & amor, quo omnes homines complectitur, nos dubitare non sinit. Quare, quod pro solis electis oret, dici nequit. Certe pro iis, qui eum cruci adfixerunt, orauit; *Luc. XXIII, 34.* Hos vero in electorum numero fuisse, sine fundamento adseritur. Interim pro credentibus & electis alio modo, quam pro reliquis hominibus eum orare, facile concedimus, & ita verba *Ioan. XVII, 9.* quibus pro mundo se orare negat, intelligenda esse, antea obseruauimus. Alio autem modo in statu exaltationis eum pro nobis intercedere, quam in statu exinanitionis, vtriusque status discrimen quemuis facile condocebit. Humilitas enim, quae statui exinanitionis propria fuit, iam eum, qui maiestate diuina ipsemet coruscat, non decet. Semper hancce intercessionem duraturam, ex *aeternitate sacerdotii secundum ordinem Melchisedec, psalm. CX, 4. Ebr. V, 6. VI, 20.* nonnulli colligunt. Quod licet etiam de virtute & efficacia huius sacerdotii accipi queat, *Ebr. IX, 12.* nihil tamen obstat, quo minus pro conseruatione beatorum in bono, forte & donorum gloriae incremento, Christus patrem oret, ne dicam, quod ad gloriam Numinis amplificandam, laudesque eius concelebrandas, preces istae pertineant.

Vtram-

Vtramque vero & hic concurrere naturam Christi, vel ex ipsa ratione, & indole officii sacerdotalis intelligitur.

§. XLI.

Supereſt officium Chriſti regium, quod eo minus illi denegari poteſt, quo clarius ipſemet, ſe regem eſſe, profitetur; *Ioan. XVIII, 37.** Simul tamen haud perfunctorie eſt obſeruandum, quod ipſemet ſeruator ibi addit: *regnum ſuum non eſſe de hoc mundo*; ne falſas prorſus, erroneasque de hocce eius regno, aut etiam de eccleſia, animo concipiamus notiones.

* Qui Ieſum, ſeruatorem noſtrum, Meſſiam eſſe credunt, negare nequeunt, eum eſſe regem, cum per omnem ſcripturam Meſſias ceu rex nobis ſiſtatur. Hinc *rex* vocatur, *in monte Zion*, cui *totus mundus in hereditatem datus, & qui virga ferrea regere gentes debeat*; *pſalm. II, 6. ſeq. apoc. II, 27. XIX, 15. ſeq. dominator, pſalm. VIII, 2. ſeq.* cui *omnia ſubiecta ſunt ſub pedibus eius, Ebr. II, 8. ſeq. rex gloriae, pſalm. XXIV, 7. ſeq. rex & heros*, cuius *ſceptrum rectum eſt, pſalm. XLV, 7. ſeq. dominus*, qui *ſedit ad dextram Dei, pſalm. CX, 1. princeps pacis*, qui *thronum Dauidis* occupat, *& eius regnum, Eſ. IX, 6. 7. rex probe regnaturus, Ierem. XXIII, 5. XXXIII, 15. rex & dominus in Iſrael, Mich. V, 1.* Idque & Gabriel angelus indicauit, natiuitatem eius adnuntians, *Luc. I, 32. 33.* & Nathanael confeſſus eſt: *rabbi, tu es filius Dei, tu es rex Iſrael*; *Ioan. I, 49.*

§. XLII.

Chriſtus, qua Deus ſpectatus, vna cum patre, & ſpiritu ſancto ſemper rex fuit; ſecundum

cundum humanam autem naturam consideratus, statim ab ipsa, ex Maria virgine, natiuitate, qua ipsam maiestatem & potestatem regiam, rex fuit; plenarium tamen regiae istius potestatis vsum, & exercitium, post suam demum in caelum adscensionem sibi adseruit. * Aeternum quoque, semperque duraturum erit hocce seruatoris regnum, cum eius *numquam finis futurus sit; Luc. I, 33.* etsi simul qua certam eius oeconomiam, quae foederi gratiae propria est, finem sit habiturum, *I. Cor. XV, 24.* **

* In statu itaque exinanitionis itidem iam rex fuit seruator noster, prout regis nomine is venit, qui ius regnandi habet, ipsamque maiestatem possidet, etsi ab eius vsu se abstineat. Subinde tamen & in statu exinanitionis regiae suae potestatis documentum praebuit, idque in regno potentiae, dum vento marique imperauit, *Matth. VIII, 26.* & aquam in vinum conuertit, qua ratione *gloriam suam manifestasse* dicitur; *Ioan. II, 11.* tum in regno gratiae, quando propria auctoritate peccata hominibus remisit; *Matth. IX, 6.* Quae omnia secundum humanam itidem naturam Christi intelligenda esse, res ipsa docet. Et sane, cum regia potestas a diuina natura separari nequeat; in Christo vero a primo conceptionis momento πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος habitet σωματικῶς, *Coloss. II, 9.* dubitandum non est, eum etiam in statu exinanitionis regem fuisse. Idque & angelus ille indicat, qui pastoribus natiuitatem seruatoris significabat: *quia natus est vobis hodie saluator, qui est* Χριστὸς κύριος, *Christus dominus in ciuitate Dauid; Luc. II, 11.*

Idem

Idem agnouerunt magi, diuinitus ad adorandum seruatorem euocati, quaerentesue, *vbinam esset natus rex Iudaeorum? Matth. II, 2.* Professus quoque idem est Nathanael, verus ille Israelita; *Ioan. I, 49.* Immo, in ipsa passione, summoque adeo exinanitionis gradu, seruator, se regem esse, aperte testatus est; *Marc. XIV, 61. Ioan. XVIII, 36.*

** Vti ipsius Dei regnum numquam finem habet, ita nec Christi habere potest, quem verum non tantum hominem, sed & Deum esse, nouimus. Hinc & praeter illud, quod iam adduximus, plura alia, de aeternitate regni Christi exstant testimonia, vt *psalm. XLV, 7. Esa. IX, 7. Daniel. VII, 14. seq. Mich. IV, 7.* Cum autem Christus patri regnum traditurus *I. Cor. XV, 24.* dicitur, de ea solum regni oeconomia, quae ad foedus gratiae pertinet, hoc intelligendum esse, res ipsa docet. Cuncta namque ex voluntate patris peracta esse, hac ratione demonstrabit, ita, vt nihil amplius supersit, quam, vt finito statu gratiae, status, regnumque gloriae subsequatur.

§. XLIII.

Cum regnum hocce diuinum, quod Christo, propter vnionem personalem, etiam qua humanam naturam recte tribuitur, duplici modo considerari possit, vel intuitu rerum creatarum omnium, vel speciatim, intuitu ecclesiae; posteriori autem modo aliter in hacce, aliter post hancce vitam, administretur; triplex hinc regnum Christi oritur, *potentiae*, vt vocari solet, *gratiae*, & *gloriae*. Quae quidem regnorum istorum diuersitas, vt in aliis, ita & in modo ea administrandi, conspicitur. *

* *Regnum* itaque *potentiae*, quod vocatur, a reliquis obiecto differt, cum ad totum hocce vniuersum, caelum & terram, omnesque, quae in iis sunt, res creatas, sese extendat. Idque ob habitantem in Christo omnem plenitudinem deitatis, ei etiam qua humanam naturam non tribui nequit; conf. *psalm. VIII, 1. seq. Daniel. VII, 14. Ephes. I, 20. Ebr. II, 8.* Referre ad regnum hocce potentiae licet omnia ea, quae supra de *prouidentia diuina* disputauimus; cum ea, quae Deo ibi adseruimus, Christo quoque, qua humanam naturam spectato, conueniant. Hinc & res creatas omnes conseruat, ad earum motus concurrit, cunctaque sapienter dirigit ac gubernat; speciatim & hostibus suis dominatur, furorem illorum cohibendo, conatusque faciendo irritos, & peccata puniendo; conf. *psalm. II, 1. 4. seq.* Dum autem hocce vocatur *regnum potentiae*, non ita hoc est capiendum, ac si sapientiae, bonitati, institiaeue diuinae illic nullus concedatur locus; sed a potiori facta est denominatio, eo quod potentia diuina ibi vel maxime sese exserat, seque omnibus conspiciendam praebeat. Ad *regnum gratiae* pertinet ecclesia, eaque adhuc militans, quae ideo speciaiiori quadam ratione ceu regnum Messiae describitur, *Ierem. XXIII, 5. XXXIII, 15. 16. Zach. IX, 9.* hinc & *rex in Zion* vocatur, *psalm. II, 6. dominator in Israel, Micha. V, 1.* Et in hocce quidem regno gratiae Christus se regem demonstrat, dum per verbum & sacramenta, ecclesiam, seu coetum vere credentium, sibi colligit atque conseruat, vires gratiae ad producendam, augendam, corroborandam fidem, singulis membris ceu caput ecclesiae, suppeditat, *Eph. IV, 15. 16. Coloss. II, 19.* ministerium ecclesiasticum a se institutum, fouet, atque tuetur; *Matth. XXVIII, 19. Marc. XVI, 15. Eph. IV, 11.* laboribusque

busque ministrorum ecclesiae prosperos successus, ad multorum salutem, largitur; *I. Cor. III, 6.* immo credentes omnes viribus gratiae instruit, vt hostibus suis spiritualibus fortiter resistere, eosque superare queant; *Ephes. VI, 10. Regnum* denique *gloriae* pertinet ad ecclesiam triumphantem, qua homines electos, atque ad beatorum sedes translatos, magno cum maiestatis splendore regit, suaeque eos beatitudinis participes facit, vt omnia patris laudibus in perpetuum personent; *apoc. III, 21. V, 11. 12. seq. XXI, 2. seq.*

§. XLIV.

Si vllum sacrae doctrinae caput variis hominum, ad deuia deflectentium, erroribus impetitum fuit, de hocce sane hoc adserendum erit. Ne quid enim de iis dicam, qui Iesum verum Deum esse negant, fuerunt etiam, qui eum verum esse hominem infitiati sunt, siue aliud, quam vere humanum corpus, illi tribuerent, siue, corpus quidem, non autem simul animam a Christo adsumtam, contenderent. Fuerunt porro, qui vinculum illud, quo duae in Christo naturae in vnam personam coaluerunt, soluerent, aut naturas inter se confunderent, idque tum aperte, tum eiusmodi placitis, ex quibus non potest non hocce consequi. Qui de statu aut exinanitionis, aut exaltationis non recte sentiunt, se eam, quam decebat, de persona Christi animo non fouere notionem, demonstrant. Officia eius nemo, nisi quem

christianum esse pudet, negauerit; etsi prae reliquis sacerdotale, simulque satisfactio eius pro hominum peccatis, vehementer fuerit impugnatum. Atque horum quidem errorum omnium fontem in corruptae rationis abusu facile deprehendere licet.

§. XLV.

Nec tamen rursus defuerunt, qui hisce dissentientium erroribus sese opponerent, eosque strenue profligarent. Quod non tantum a singulis doctoribus, sed integris etiam factum est conciliis; in quibus cumprimis vera, eaque personalis vtriusque naturae, humanae & diuinae vnio ita adserta fuit, vt quae hic se offerunt extrema, caute euitarentur. Qua quidem ratione vera in hocce capite doctrina & conseruata, & propagata ad nostram vsque aetatem fuit; quod & speciatim de satisfactione Christi pro hominum peccatis est intelligendum.

§. XLVI.

Multa denique hic se offerunt, quae nostri nos in vitae christianae praxi admonent officii. Nec sine ratione Paulus incarnationem Christi μυστήριον τῆς εὐσεβείας vocat, *I. Tim. III, 16.* cum omnia eo tendant, vt pietatem in nobis excitent, alant, foueant. Idque ipsa experientia condocebimur, si summam Numinis χρηστότητα & φιλανθρωπίαν, quae in hocce mysterio se conspiciendam praebet, *Tit. III, 4.* rite expen-

pendamus, ſique ſummam hominum dignitatem, quam per naturae ſuae, in conſortium diuinae, adſumtae, eleuationem conſequuti ſunt, conſideremus; *Ebr. II, 11. ſeq.* Experiemur id porro, ſi omnem adhibeamus induſtriam, vt mens noſtra ad imaginem Chriſti magis magisque conformetur, & ita Chriſtus ſpirituali quadam ratione in nobis quoque naſcatur; *Gal. IV, 19.*

§. XLVII.

Ex ſtatu autem Chriſti duplici, exinanitionis, & exaltationis, *myſterium crucis* recte intelligemus, vt ita ad veram ſapientiam erudiamur; *I. Cor. I, 18. ſeq. II, 6. ſeq.* ſi nimirum & ipſi *cum Chriſto patiamur, vt cum eo etiam ad gloriam euehamur, Rom. VIII, 17.* Quare & viam illam anguſtam ingrediamur, & per arctam illam portam penetrare adnitamur ad ſalutem aeternam; *Matth. VII, 13. 14.* idque ad exemplum Chriſti, qui, vt in aliis, ita hac etiam in re *ὑπογραμμὸν nobis reliquit, vt eius veſtigia premeremus; I. Petr. II, 21.* Qua quidem ratione nos veros ſimul ac genuinos eius diſcipulos demonſtrabimus, *Matth. X, 38. XVI, 24. Marc. VIII, 34. Luc. IX, 23.*

§. XLVIII.

Tandem & officia Chriſti tum demum recte cognoſcemus, ſi in illorum veniamus participationem; ſiquidem per eum *reges & ſacerdotes facti ſumus coram Deo,*

apoc. I, 6. Non itaque intermittamus, alios quoque erudire, errantes in viam veritatis reducere, vacillantes confirmare, peccantes corripere, vt ita *adnuntiemus virtutem eius, qui nos vocauit a tenebris, ad mirabilem lucem suam, I. Petr. II, 9.* Id enim prophetici officii ratio postulat. Non intermittamus etiam sacrificia laudis & gratiarum actionis, immo obsequii integerrimi, adeoque temperantiae, castitatis, continentiae, & reliquarum virtutum, Deo offerre, *Rom. XII, 1.* simulque & pro aliis preces ardentissimas ad Deum fundere, *I. Tim. II, 1. 2.* Ita quippe sacerdotes spirituales nos demonstrabimus. Non denique intermittamus, carnis motus prauos, & quidquid in nobis legi diuinae repugnat, compescere fortiter, ac coërcere; *Gal. V, 24.* cum ita demum nobis ipsis imperemus, quin & hostibus nostris omnes nocendi vires adimamus. Quod quidem nobilissimum esse regnandi genus, constat.

LIBRI

LIBRI QVARTI

CAPVT TERTIVM

DE

FIDE IN CHRISTVM, ITEMQVE DE REGENERATIONE ET CONVERSIONE.

Σύνοψις.

BEneficia, a Christo nobis parta, per fidem acceptantur, sine qua adeo nemo salutem consequi potest, §. I.

Fides autem intelligitur, non quae creditur, sed qua credimus, §. II.

Eaque complexus est variorum actuum, qui tamen distincte considerari possunt, §. III.

Primus fidei actus cognitio est, & quidem explicita, §. IV.

earum scilicet rerum, quae cognitu ad salutem sunt necessariae, §. V.

Ad cognitionem adsensus accedat, necesse est, qui nititur conuictione, de diuina scripturae sacrae auctoritate, & veritate eorum, quae de rebus scitu ad salutem necessariis, tradit, §. VI.

Nec generalis adsensus sufficit, sed specialis requiritur, §. VII.

Cumprimis & fiducia in meritum Christi, §. VIII.

Plures fidei actus aut partes constituere, superuacuum; prout autem per hactenus commemoratos meritum Christi adprehendit & adplicat, inter causas salutis nostrae recte refertur, §. IX.

Pertinet itaque fides partim ad intellectum, partim ad voluntatem, §. X.

Qui fidem in obedientia aut caritate constituunt, effectum, seu consequens eius cum fide ipsa confundunt, §. XI.

Causa efficiens fidei, tum principalis, tum instrumentalis, itemque subiectum, §. XII.

Effectus, qui tum immediate, tum mediate ex fide fluunt, §. XIII.

Proprietates fidei, §. XIV.

Fides mere historica, itemque mortua, verae fidei nomine minime venit, §. XV.

Producitur fides per regenerationem, qua voce quid significetur, explicatur, §. XVI.

In regeneratione tum terminum a quo, seu mortem spiritualem, tum terminum ad quem, seu vitam spiritualem, obseruare licet, §. XVII.

Per mortem spiritualem quid intelligatur? §. XVIII.

itemque, per vitam spiritualem? §. XIX.

Quaenam hinc oriatur mutatio in intellectu? §. XX.

in voluntate? §. XXI.

in reliquis mentis facultatibus? XXII.

Discrimen inter actum regenerationis, & eius statum; itemque, inter actus animales, & spirituales; porro inter incrementa noui hominis, & eius primam productionem, probe obseruandum, §. XXIII.

Mutatio, quae per regenerationem in homine fit, caute explicanda, ne nimis extenuetur, aut nemis exaggeretur, §. XXIV.

Caussa efficiens regenerationis, tum principalis, tum instrumentalis, §. XXV.

Finis atque effectus, §. XXVI.

Proprietates, siue adiuncta, §. XXVII.

Quousque conuersio cum regeneratione conueniat, & ab eadem differat, §. XXVIII.

Vox conuersionis vel transitiue, vel intransitiue accipitur, §. XXIX.

Intransitiua conuersio & poenitentia dicitur, itemque μετάνοια, & μεταμέλεια, §. XXX.

Cumque vel lapsorum sit, vel stantium, non haec, sed illa hic in censum venit, §. XXXI.

In conuersione itidem duplex status seu terminus, a quo, & ad quem; hoc est, status mortis & status vitae spiritualis, considerari potest, §. XXXII.

Quaenam ad terminum a quo, seu statum mortis spiritualis pertineant? §. XXXIII.

item,

item, ad terminum ad quem, seu statum vitae spiritualis? §. XXXIV.

Quo pacto peccata actualia, tum in se spectata, tum intuitu culpae & reatus, aboleantur? §. XXXV.

Peccata habitualia qua ratione aboleantur? §. XXXVI.

In conuersione itidem quaedam hominis contingit mutatio, qua omnes mentis facultates, speciatim, qua intellectum & voluntatem, §. XXXVII.

Partes poenitentiae duae sunt, contritio & fides, §. XXXVIII.

Propositum non peccandi, seu noua obedientia, non pars, sed consequens est poenitentiae, §. XXXIX.

Caussa poenitentiae, seu conuersionis efficiens, tum principalis, tum instrumentalis, §. XL.

Homo ad sui conuersionem, praeter rectum mediorum vsum, nihil confert, §. XLI.

Operatio Numinis, qua circa hominis regenerationem & conuersionem versatur, gratiae nomine venire solet; quae vel praeueniens est, vel operans, vel cooperans, §. XLII.

Gratiae tamen diuinae homines resistere possunt: vnde non Dei, sed hominum culpa est, si non conuertantur, §. XLIII.

Ad statum regenerationis, si quis eo excidit, per conuersionem iteratam datur regressus; nec vmquam poenitentia sera nimis est, modo sit seria, §. XLIV.

Non vna ratione mortales in hisce sacrae doctrinae capitibus in deuia abeunt, & in varios prolabuntur errores, §. XLV.

Verae sanaeque doctrinae conseruatio & propagatio, §. XLVI.

Quem in vitae christianae praxi vsum habeat doctrina de fide? §. XLVII.

de regeneratione? §. XLIII.

de conuersione? §. XLIX.

§. I.

VT beneficiorum a Christo nobis partorum participes reddamur, ea, quae nobis offeruntur, vt acceptemus, necesse est: id quod per *fidem* fit: per quam adeo hominibus ingressus in foedus gratiae conceditur.* Hinc & fides ab omnibus, qui ex miseria, qua circumsepti sunt, eluctari, & aeternam salutem consequi cupiunt, requiritur; *Marc. XVI, 16. Ioan. I, 12. III, 15. 16. 17. seq. actor. IV, 12. XIII, 38. 39. XV, 11. Rom. III, 23. 24. seq. &c.*

* Non itaque fides tamquam conditio quaedam foederis gratiae, proprie sic dicta, ab hominibus requiritur, sed tantum, vt per eam beneficia diuina illis oblata acceptantes, eorum participes fieri queant. Acceptationem autem, ex natura & indole muneris oblati aestimandam, necessariam esse, vt beneficiorum, quae nobis offeruntur, participes reddamur, res ipsa vnumquemque condocebit. Monendum hoc fuit, vt eo rectius caussam intelligeremus, cur fides necessario requiratur, vt iustitiam per meritum Christi, quae sola Deo placet, & aeternam consequi salutem queamus.

§. II.

De fide autem dum loquimur, non doctrinam fidei, quae itidem hoc nomine nonnumquam venit, sed ipsum animi actum, quo obiectum rite cognitum adsensu suo comprobat, hinc & fiducia filiali recipit, intelligimus. Solet alias *fides qua credimus* vocari, vt doctrina contra, seu obiectum fidei, *fides quae creditur*, adpellatur.*

* Vox

* Vox *fidei* non vna ratione accipitur. Interdum enim constantiam denotat, in seruandis promissis; deinde & adsensum designat, quem aliorum dictis atque testimoniis praebemus. Atque istae in philosophorum scholis longe frequentissimae sunt vocis huius significationes. Occurrunt tamen etiam in scriptura sacra: & prior quidem, cum Paulus, *Rom. III, 3.* τὴν πίστιν τοῦ θεοῦ *fidem Dei*, per hominum incredulitatem irritam fieri, negat: posterior autem, cum *fides* pro *adsensu* vsurpatur, vt *Ioan. XX, 31.* alibique. Huius itaque fidei obiectum cum sint res diuinitus reuelatae, factum inde, vt ipsa doctrina, seu potius res istae, quibus adsensum praebemus, quandoque *fidei* nomine veniant; quo sensu vox haecce a Paulo adhibetur, *Gal. III, 23. 25.* diciturque discriminis caussa *fides quae creditur.* At ipse adsensus, praesertim si & fiducia accedat, per obiectum speciale, quod est meritum Christi, *fides qua creditur*, itemque *fides iustificans*, adpellitatur. Dicitur & *fides Christi*, hoc est, quae Christum & eius meritum adprehendit, *Gal. II, 16. 20.* itemque *fides in sanguine Christi*, *Rom. III, 25.* Et haec huius loci est significatio.

§. III.

Atque haecce quidem fides non vnus aliquis, & singularis mentis actus vel habitus est, neque ad vnam dumtaxat mentis facultatem restringenda, sed ex variis actibus, arctissime inter se coniunctis, vt vnus sine altero esse nequeat, sine omni tamen confusione, conflatum quid est, atque compositum. Ordinis autem & doctrinae caussa distincte actus illi considerari possunt.

§. IV.

§. IV.

Primum itaque, quod fides vel complectitur, vel, vt aliis videtur, supponit, est rerum credendarum cognitio, eaque *explicita;* cum ea, quam implicitam nonnulli vocant, nihil aliud sit, quam ignorantia.* Rei autem, quam quis ignorat, aut, qualis sit, nescit, nemo adsensum praebere potest; quod tamen vel maxime ad fidem requiritur. Accedunt scripturae testimonia, quae de fide ita loquuntur, vt in ipsius conceptu notitiam inuolui diserte innuant.** *Es. LIII, 11. Ioan. XVII, 3.* collat. cum *Hab. II, 4. Ioan. VI, 69.*

* Si quis enim dicat, se credere, quod alii homines, aut ecclesia credit, & tamen, quid alii homines, aut ecclesia credat, ignoret, ille hoc ipso profitetur, se nescire, quid credat. Ignorantia itaque hoc est, non notitia. Parumque etiam nobis prodest, quod alii recte credant, cum *iustus sua*, non aliena, *fide viuat, Habac. II, 4. Rom. I, 17. Ebr. X, 38.*

** Nimirum fidem veram, eamque iustificantem, sine cognitione esse non posse, primo ex iis scripturae effatis luculenter patet, in quibus fides per cognitionem, seu notitiam, describitur, vt *Es. LIII, 11. Ioan. XVII, 3.* Perquam autem ineptum esset, fidem per cognitionem describere, si absque cognitione esse posset. Eadem & illorum dictorum est ratio, in quibus cognitio cum fide coniungitur, vt *Ioan. VI, 69.* & *II. Tim. I, 12.* Deinde, cum omnes in eo conueniant, & nemo, nisi qui cum ratione insanire velit, negare queat, adsensum ad fidem requiri; statim inde sequitur, requiri etiam cognitionem, cum adsensus

adsensus sine cognitione esse nequeat. Nemo enim veritati a Deo reuelatae adsensum praebere potest, nisi primo, Deum aliquid reuelasse, sciat; deinde vero, quidnam illud sit, cui, vt diuinitus reuelato, suffragatur, intelligat. Confirmatur id porro inde, quod fides per adnuntiationem, & auditum euangelii producatur, vt diserte Paulus testatur, *Rom. X, 17.* Id vero qui fieri posset sine cognitione? Denique ex eo hoc comprobatur, quod consequens aliquod, seu fructus fidei, sit *confessio oris*, *Rom. X, 9. 10. I. Petr. III, 15.* Quod autem aliquis non intelligit, id etiam profiteri nequit: nisi dicere velit, se aliquid profiteri, quod, cuiusmodi sit, ipsemet nesciat.

§. V.

Earum nimirum rerum credendarum cognitio requiritur, sine quibus fides sibi non constat, nec salus obtineri potest. Non enim omnia, quae credenda nobis proponuntur, eodem modo scitu cognituque ad salutem sunt necessaria. Summa vero eorum, sine quorum cognitione fides sibi non constat, haec est, vt cognoscamus, nos per peccatum a vita Dei esse abalienatos, *Ephes. IV, 18.* gloria, quam habere coram Deo debebamus, destitutos, *Rom. III, 23.* & natura irae filios, *Ephes. II, 3.* Christum autem solum esse μεσίτην inter Deum & hominem, *I. Tim. II, 5.* qui se ipsum dederit ἀντίλυτρον pro omnibus, *ib. v. 6.* per quem solum etiam salus hominibus obtingat, *actor. IV, 12.* illis scilicet, qui in nomen eius credunt, *Ioan. III, 16.* *

* Hoc

* Hoc ita accipiendum, ne excludantur, quae arctissimo cum hisce coniuncta sunt vinculo; vt doctrina de Deo in essentia vno, & trino in personis, de Christo, eiusque persona, officio, statibus, & quaecumque ad ordinem salutis pertinent. Habet equidem haecce rerum istarum cognitio suos gradus, vt in quibusdam maior sit, excellentiorque, in aliis minor, atque tenuior: semper tamen sufficiens & tanta esse debet, vt accedente adsensu, in voluntate fiducia produci queat. Eousque enim si non pertingat, minime salutaris censeri debet. Eo minus autem hac de re dubitandum, quod ipsa quoque ratio nos condocet, adfectum, aut motum voluntatis excitari non posse, nisi cognitionis praecedentis ea sit ad effectum hunc producendum proportio, vt hinc non possit non consequi.

§. VI.

Ad cognitionem istam adsensus accedat necesse est, quo quis ea, quae cognoscit, vt vera amplectitur, *recipiens testimonium Dei*, atque ita *obsignans*, *Deum esse veracem*, *Ioan. III, 33.* Cum enim animus de diuina scripturae sacrae, ceu verbi diuini auctoritate, conuictus est; & adeo de veritate eorum, quae scriptura sacra, de Christo mediatore vnico, deque peccatorum remissione, & reliquis huc spectantibus, aperte & luculenter tradit, intime persuasus; non potest non adsensus ille inde oriri, qui alterum fidei actum, aut gradum constituit. * Eamque ob causam & Paulo fides ἔλεγχος atque ὑπόστασις dicitur, *Ebr. XI, 1.*

* Per *adsensum* itaque certam firmamque animi

mi persuasionem, de veritate indubitata eorum, quae scriptura sacra de salute per meritum Christi impetranda, ceterisque huc spectantibus, tradit, intelligimus. Eumque ad fidem pertinere, adeo manifestum est, vt pugnantia secum eloquuturus esset, qui fidem sine adsensu sibi fingeret. Hinc & subinde scriptura de fide, vt adsensu loquitur. Exemplumque admodum illustre eunuchus ille praebet, qui Philippo quaerenti, *num ex toto corde crederet?* respondit: *credo, Iesum Christum esse illum filium Dei, actor. VIII, 37.* Loquimur autem de adsensu diuino, qui inde oritur, quod primo quidem homo non tam per argumenta, quae fidem humanam producunt, quam per ipsum spiritus sancti testimonium, a legitimo verbi diuini vsu neutiquam separandum, certus est, verbum illud, quod in scriptura sacra continetur, reuera a Deo esse profectum, illudque adeo, *ceu ipsius Dei verbum*, recipit; *I. Thess. II, 13.* tum vero, vt euidenter cognoscat, veritates, quae illi ad credendum proponuntur, in scriptura sacra perspicue exhiberi. Vnde inter adsensum hunc diuinum, qui tantum in illis deprehenditur, qui operationi spiritus sancti non resistunt, & inter mere humanum, qui in improbis quoque & non regenitis esse potest, maximum intercedit discrimen. Patet etiam, adsensum illum firmissimum longe, certissimumque esse, cum hoc pacto fundamento, quod dimoueri nulla ratione potest, innitatur. Id enimuero de illis, qui rite progrediuntur, & quadamtenus iam corroborati sunt in fide, intelligendum. De infirmis, & iis, qui variis tentationum tempestatibus agitantur, aliter equidem pronuntiandum; sed hi nunc in censum non veniunt. Nec enim ex iis, quae hominum aut culpa, aut vitio, aut imbecillitate contingunt, fidem ipsam aestimare decet.

§. VII.

§. VII.

Nec sufficit adsensus generalis, quo quis de veritate dogmatum, quorum cognitio ad salutem est necessaria, conuictus est; sed specialis insuper requiritur, quo quis firmiter, quae generatim de gratia Dei, deque remissione peccatorum per meritum Christi, vera fide adprehensum, impetranda, scriptura sacra tradit, ita ad se quoque pertinere, credit, vt longe certissimus, Deum *ipsius* quoque salutem serio velle, eumque *sibi* peccata omnia remissurum, aeternamque collaturum beatitudinem, eo quod sanguinem, meritumque Christi vera fide adprehendat. *

* Adsensus ille specialis, quo quis promissiones diuinas, tamquam sibi dictas, ad se ipsum transfert, plane necessarius est, cum sine eo fiducia produci nequeat. Talis itaque fuit fides Iobi, *cap. XIX, 25.* Dauidis, *psalm. XVIII, 3.* & Pauli *Gal. II, 20.* Fundamentum autem istius adplicationis in gratia Dei vniuersali, quae neminem mortalium a salute excludit, quaerendum, quam suo loco satis super que adstruximus. Cuius quidem adsertio quam necessaria sit, vel inde intelligitur, quod sine ea natura indolesque verae fidei sibi non constet.

§. VIII.

Denique & fiducia illa accedat necesse est, quippe quae praecipuam fidei, qua iustificamur, partem constituit. Per eam vero eiusmodi actus significatur, quo Christum cum ipsius merito, omnibusque bonis, per illud

illud nobis partis, velut totum nostrum facimus, atque in eo, tamquam remissionis peccatorum, nostraeque cum Deo reconciliationis caussa, adquiescimus. Idque ad fidem, qua iustificamur, requiri, vel ex obiecto eius, totaque iustificationis indole, intelligitur, ac comprobatur; *Rom. III, 24. Ephes. III, 12.* *

* Qui modum, rationemque, qua homo peccator coram tremendo tribunali diuino iustus, seu peccatorum immunis declaratur, secum reputauerit, is facile, quid per fiduciam hic intelligamus, & quod sine ea fides esse nequeat, perspicier. Animo namque nobis sistere iuuat hominem, multorum magnorumque peccatorum sibi conscium, hinc etiam concludentem, a Numine irato nihil aliud, quam mortem, non eam modo, quae hancce vitam finit, sed aeternam, cum summis, exquisitissimisque cruciatibus exspectandam esse; anxium ideo valde, timore summo perculsum, trementem ac trepidantem. Iam, si ex verbo diuino eiusmodi homo certus fiat, salutem sibi, peccatorumque omnium remissionem, per meritum Christi offerri, isque auidissime hoc arripiat, amplectatur, sibi vindicet, suum veluti faciat, & in eo recumbat; recte is fiduciam suam in eo ponere dicetur. Cum ergo alias fiduciae nomine adfectus aliquis seu animi actus veniat, qui exsistit, cum de boni cuiusdam possessione certi reddimur; hic speciatim eiusmodi animi, siue motus, siue adfectus intelligitur, cum homo peccator per meritum Christi, ceu bonum aliquod, omnium sibi iucundissimum, de gratia Dei, eiusque reconciliatione, & remissione peccatorum, longe redditur certissimus.

Ex dictis vero manifestum est, veram fidem sine fiducia esse non posse. Et sane, qui considerauerit, quid hic agatur, spectari hominem vt peccatorem, ob peccata anxium, ob iram diuinam trementem & trepidantem, Christum hic proponi vt mediatorem, hominem ipsum cum Deo reconciliari, & quae reliqua sunt; facile videt, haec talia non esse, quae in solo intellectu peragi queant, vt voluntas nihil inde sentiat. Nimis hoc absonum esset. Quodsi autem voluntatis motus hic in censum veniunt, non potest non ea tandem inde oriri adfectio voluntatis, quam fiduciam vocamus.

§. IX.

Cum ea, quae hactenus attulimus, vt iustificatio hominis coram Deo rite procedat, sufficiant, superuacaneum foret, plures adhuc, aut actus, aut partes fidei constituere. Per eos etiam, quos commemorauimus, actus, speciatim autem per adsensum specialem, atque fiduciam, fides Christum, vel meritum eius *adprehendere*, itemque *adplicare* ad hominem credentem, recte dicitur; *Es. XXVII, 5. Ioan. I, 12. Coloss. II, 9.* * Atque hac ratione simul, quo sensu fides inter principia, atque causas salutis nostrae referatur, intelligitur. **

* Cum fides *adprehendere Christum* dicitur, non de corporali, sed spirituali adprehensione hoc intelligendum esse, res ipsa docet. Adprehendit itaque fides Christum, eiusque meritum, quando per adsensum specialem, & fiduciam hoc sibi vindicat, adseritque, ac velut suum facit. Non ergo adprehensio ista distinctum

ſtinctum quid a fide eſt, quin potius ipſum actum fidei denotat. Cum promiſſiones illae, de gratia Dei & remiſſione peccatorum, omnibus hominibus per meritum Chriſti conferenda, generales ſint, & indeterminatae; per fidem, quae meritum Chriſti adprehendit, ſpeciales fiunt, & adeo ſingulis adplicantur, vt quilibet dicere queat, propter meritum Chriſti, quod vera fide teneat, & amplectatur, ſibi iam peccata omnia remiſſa eſſe.

** Scilicet ratione obiecti, ſeu meriti Chriſti, quod fides adprehendit, & homini credenti velut proprium facit. In ipſa enim fide nihil eſt, aut dignitatis, aut valoris, aut pretii, quo Deus moueri poſſet, vt hominibus peccata remittat, conferatque adeo ſalutem; quin & non aliter, quam inſtrumentum & organon, quo beneficium, quod nobis offertur, acceptamus, hic conſideratur. Cum ergo fides inter cauſſas ſalutis, aeque ac meritum Chriſti, refertur, ipſi potius merito Chriſti, quam fidei, effectus hicce tribuendus; fidei autem ſolum in tantum, in quantum obiectum hoc adprehendit, & per adplicationem veluti nobis proprium facit.

§. X.

Ex hactenus dictis etiam nemini obſcurum eſſe poteſt, ad *intellectum* pariter ac *voluntatem* fidem pertinere; & ad *intellectum*, quidem ratione cognitionis & adſenſus, ad *voluntatem* autem, ratione fiduciae. Vt adeo magnopere fallantur, qui eam aut in intellectu ſolo, aut ſola voluntate quaerunt.

§. XI.

Effectum porro, ſeu conſequens fidei cum fide ipſa confundunt, qui eam in obedientia, aut in caritate conſtituunt. Etſi enim

fides vera numquam sine obedientia sit, *Matth. VII, 21.* eademque per caritatem sit efficax, *Gal. V, 6.* non tamen aut ipsa obedientia est, aut ipsa caritas.*

* Hinc Paulus *Rom. VI, 22.* de iis, qui per fidem iustificati sunt, dicit, quod habeant *fructum suum εἰς ἁγιασμὸν in sanctificationem.* Sanctificatio itaque, adeoque & obedientia, ac caritas, sunt fructus fidei. Sed & *Phil. I, 11.* itidem de iis, qui iam per fidem sunt iustificati, adserit, quod sint πεπληρωμένοι καρπῶν δικαιοσύνης τῶν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, *pleni fructibus iustitiae, qui sunt per Iesum Christum &c.* Hinc porro apostolus subinde fidem & bona opera inter se opponit, quando hominem *fide*, non *operibus bonis* iustificari, non tam docet, quam vehementer inculcat, *Rom. III, 28. IV, 5. Gal. II, 16. Ephes. II, 8. 9.* Hoc autem qui facere posset, si fides & bona opera vnum idemque essent, aut si inter fidem & obedientiam, vel caritatem, nullum intercederet discrimen? Namque, quae de bonis operibus adserit, merito de obedientia & caritate intelligimus; cum boni operis nomine id omne veniat, quod ex praescripto Numinis nobis faciendum est, & quo nostrum erga illud obsequium testamur; caritas vero summa quaedam sit atque complexus bonorum operum.

§. XII.

Cumque Deus, immo, solus Deus sit, qui fidem in nobis operatur,* *Ioan. VII, 29. Eph. II, 8. Coloss. II, 12. Philipp. I, 29. II, 13.* idque per verbum diuinum, ** *Ioan. XVI, 20. Rom. X, 17. I. Cor. I, 21.* non excluso baptismo, *Ioan. III, 5. Ephes. V, 26. Tit. III, 5.* intercedente adeo opera ministrorum verbi diuini; *I. Cor. III.*

III, 5. 6. manifestum est, in hominis viribus, quas per naturae conditionem habet, positum non esse, vt credat. *** Simulque hinc patet, quid de *fide*, quam nonnulli fingunt, *naturali*, censendum sit. Producit autem Deus fidem in omnibus, qui spiritus sancti operationi non resistunt, * *Luc. VII, 30.* neque tantum in adultis, sed per baptismum etiam in infantibus; ** *Coloss. II, 11. 12. Tit. III, 5.*

* Sermo est de caussa efficiente principali. Et hac quidem ratione Deus ita solus est caussa fidei, vt alia esse nequeat. Est enim productio fidei, per quam regeneramur, opus aliquod diuinae omnipotentiae, quae tamen certo ordine, & per certa media sese exserit. Vt ergo nulla res creata vitam naturalem alteri largiri potest, ita multo minus vita spiritualis, cuius radix & fundamentum fides est, rei cuiusdam creatae virtute produci potest. Quod & scripturae ista, quae laudauimus, testimonia confirmant. De omnibus autem trinitatis personis, quod diximus, intelligendum esse, res ipsa docet. Nemo enim ad Christum venire potest, nisi quem pater traxerit; *Ioan. VI, 44.* a quo, sicut & reliqua dona omnia, ita & fides, *Iac. I, 17.* Rursus *nemo ad patrem venit, nisi per filium*, qui & ipse est *via, veritas, & vita, Ioan. XIV, 6.* non tantum, quia ista nobis promeruit, sed & ipsemet largitur, ideo & *inchoator ac consummator fidei* dictus, *Ebr. XII, 2.* Sed & spiritus sanctus praecipua quadam ratione auctor fidei merito censetur, cum in iis, quae ad hominum illuminationem, conuersionem, regenerationem, & sanctificationem

spectant, eius operatio cumprimis sese prodat; & *nemo, nisi per spiritum sanctum, Christum dominum suum vocare*, hoc est, suam in eum recte profiteri queat fidem, teste apostolo, *I. Cor. XII, 3.* & ideo etiam fructus fidei vocantur *fructus spiritus*, *Gal. V, 22.* Deum porro, vt istud beneficium in miseros mortales conferat, partim gratia sua, atque misericordia, partim merito Christi, moueri, atque impelli, nemo dubitauerit, & scriptura insuper testatur, prius quidem *Philipp. I, 29.* posterius *Ephes. I, 3. 10. 11.*

** Quod & ideo *semen* illud *incorruptibile* vocatur, ex quo regeneramur, scilicet per fidei productionem, *I. Petr. I, 23.* Quod speciatim de verbo euangelii intelligendum, quippe quod promissiones de gratia Dei, deque remissione peccatorum per meritum Christi impetranda, nobis exhibet, vnde & Paulo *potentia Dei ad salutem omni credenti* dicitur, *Rom. I, 16.* hoc est, medium efficax, quo Deus fidem & salutem omnibus confert. Verbum autem legis, dum homines ad peccatorum agnitionem, & contritionem perducit, animos eorum praeparat quodammodo, atque disponit, vt per euangelium fides in illis generari queat, atque produci.

*** Luculenter id ex hactenus dictis consequitur. Idemque & diserte seruator ipse confirmat: οὐδεὶς δύναται, *nemo potest ad me venire, nisi illum trahat pater; Ioan. VI, 44.* Ceteroquin enim dicere non potuisset, οὐδεὶς δύναται. Quod si tamen mediis a Deo praescriptis recte vti velint, omnes fidem consequi possunt; nec quisquam est, quem pater trahere nolit, vt deinceps demonstrabimus.

* Atque ita *subiectum* indicamus, vt vocari solet, *quod:* namque id, quod *quo* dicitur, est intellectus & voluntas hominis. Manifestum autem est, fidem ab omnibus hominibus requiri, siquidem non

alia

alia est ratio perueniendi ad aeternam salutem; *Marc. XVI, 16.* manifestum etiam est, fidem a Deo omnibus offerri, quia Deus vult, omnes homines saluos fieri, *I. Tim. II, 4.* Quod ergo non omnes credant, adeoque saluentur, ipsorum hominum culpa contingit, dum aut media, quibus ad fidem perduci possent, non adhibent, aut iis non recte vtuntur, aut omnino spiritui sancto resistunt, *actor. VII, 51.* Quo sensu & apostolus *II. Thess. III, 2.* dixit: οὐ πάντων ἡ πίστις, *non omnium est fides.* Omnibus enim equidem offertur, sed non omnes eam admittunt. Dum vero per fidem homines etiam regenerantur, vt deinceps dicemus, palam est, iis, qui nondum sunt regeniti, aut statu regenerationis exciderunt, fidem tribui non posse, sed illis tantum, qui in statu regenerationis sunt constituti.

** Cum dicere nequeamus, quod baptismus nihil operetur, quippe quod naturae indolique sacramentorum repugnat; sequitur, vt per eum etiam in infantibus effectus aliquis producatur, & eiusmodi quidem effectus, per quem aditus ad salutem iis recludatur. Hic ipse vero effectus non alio commodius, quam *fidei* nomine exprimi potest, vt adeo dispositio illa in animis infantum, aliqua ratione illi, quae in adultis est, quaue ad salutem consequendam apti redduntur, respondeat. Idque ex eo luculenter confirmari potest, quod seruator diserte pronuntiet, *nisi quis regenitus fuerit ex aqua & spiritu, eum non intraturum in regnum caelorum, Ioan. III, 5.* Si ergo per baptismum homines, adeoque & infantes regenerantur, fides quoque in illis producitur. Regeneratio enim in fidei productione consistit. Qua de re & eo minus dubitandum, quod infantes ideo baptizantur, vt in foedus gratiae recepti, aeternae salutis fiant compotes. Hoc autem rursus sine fide fieri nequit. Non minus autem a

circumcisione, per quam in veteri testamento Abrahami posteris introitus ad foedus gratiae patebat, quam a baptismo, argumentum pro nostra sententia stabilienda, petere licet. Cum enim in veteri pariter ac nouo testamento vnus idemque sit salutem consequendi modus, per fidem in Christum, teste Petro, *actor. XV, 11.* & vero infantes circumcisos salutem per circumcisionem consequutos, nemo dubitet; sequetur, eos etiam per fidem saluatos, quam circumcisio in illis produxerit. De baptismo autem idem dici posse, quod de circumcisione diximus, eo minus dubitandum, quia in huius locum ille successit, *Coloss. II, 11. 12.* Robur maximum porro huic argumento inde accedit, quod seruator ipse paruulis istis, per circumcisionem in foedus gratiae receptis, diserte fidem tribuit, *Matth. XVIII, 6. Marc. IX, 42.* immo, illorum regnum caelorum esse, dicit, *Marc. X, 14. Luc. XVIII, 16.* At in regnum caelorum nemini, nisi per fidem, introitus patet. De fide quae diximus, non tantum de habituali, sed & actuali, quam vocant, intelligenda sunt. Cuius quae in infantibus sit indoles, etsi explicari nequeat, ideo tamen res ipsa non vocanda in dubium. Nec consultum puto, multum, qualis illa fides sit, disputare, cum & vsu ista disceptatio careat, & explicare insuper nemo rem istam dilucide queat.

§. XIII.

Effectus fidei * non sunt eiusdem generis. Quidam enim immediate ex ea fluunt, vt peccatorum remissio, *actor. X, 43.* seu iustificatio, *Rom. IV, 5.* quorsum & adoptio in numerum filiorum Dei pertinet, *Ioan. I, 12.* itemque pax spiritualis, *Rom. V, 1.* ** alii mediate, vt renouatio, *Rom. V, 3. XII, 1. 2.* hinc

&

& bona opera quaeuis, vtpote quae sunt fructus fidei, *II. Petr. I, 5. seq.* speciatim spes & caritas, *** *I. Cor. XIII, 13.*

* Siue, quod perinde est, finis fidei. Effectus enim subinde & finis rationem habet.

** Effectus isti fidei tribuuntur, prout est organum, quo meritum Christi adprehendimus, & nobis adplicamus. Hoc namque intuitu fides inter caussas iustificationis locum obtinet. Idque apostolus nos condocet, quando homines ἐκ πίστεως, *ex fide*, itemque διὰ πίστεως *per fidem* iustificari dicit, *Rom. III, 30.* Et hoc modo etiam salus ipsa, seu vita aeterna, inter effectus, eos quidem remotos, fidei refertur, vt cum Paulus nos διὰ τῆς πίστεως *per fidem* saluari adserit, *Ephes. II, 8.* si scilicet ad finem vsque vitae in fide perseueremus, *Matth. XXIV, 13. apoc. II, 10.*

*** Intuitu renouationis & bonorum operum, fides se habet per modum caussae efficientis; siquidem Deus per *fidem corda hominum purgat, actor. XV, 9.* hinc & fides *victoria est, quae mundum vicit, I. Ioan. V, 4.* Speciatim quod ad spem attinet, ex fiducia illa in meritum Christi, non potest non certa illa persuasio animi, de veritate promissionum diuinarum, quae circa futura versantur, oriri, vnde spes enascitur, eaque non *mortua*, aut efficacia destituta, sed *viua, I. Petr. I, 3.* per quam adeo in hacce vita iam quodammodo beati sumus; *Rom. VIII, 24.* vnde & ipsa fides ἐλπιζομένων ὑπόστασις vocatur; *Ebr. XI, 1.* conf. & *Rom. V, 5.* Porro, qui vera fide meritum Christi adprehendit, & cum remissione peccatorum, certam spem vitae aeternae, adeoque bona omnium maxima consequitur, non potest non amore sincero, in Deum, ceu bonorum istorum auctorem, incendi; siqui-

dem hac ratione sentit, quo pacto *amor Dei*, seu quo Deus homines amat, *in cordibus credentium effundatur*, *Rom. V, 5.* Dum ergo cum amat, a quo primum amatus est, *I. Ioan. IV, 10.* non potest non & eos amare, quos Deus ipse & amat, & ab eo amari voluit, *ib. vers. 19. 20. 21.*

§. XIV.

Proprium fidei verae est, quod & res ipsa, quae creditur, longe certissima, & ille ipse, qui credit, non minus certus sit, vera esse, quae credit, quemadmodum & quilibet, qui credit, quod veram fidem habeat, longe certissimus esse potest. * Non minus tamen & id proprium est fidei, quod amitti iterum possit, & aliquando quidem ita, vt numquam recuperetur. **

* *Certitudo* nimirum *fidei*, quae primum inter eius adfectiones locum tenet, diuersa ratione spectari potest. Primo namque res ipsa, quae creditur, seu obiectum, vt vocare solent, hic in censum venit; quo nomine ea intelliguntur, quae scriptura sacra de gratia Dei, deque merito Christi, & remissione peccatorum tradit. Quae, cum reuelatione diuina, & hinc porro ipsa veracitate summa Numinis nitantur, firmissima quoque, certissimaque esse, nemo non perspicit. Deinde & ipsa fides, siue adsensus, quem homo credens veritatibus hisce praebet, atque fiducia, quam in merito Christi collocat, hic considerandа. Et adsensum quidem, si rite se habeat, non posse non longe esse certissimum, supra iam ad §. *VI.* demonstrauimus. Hinc vero & quid de fiducia censendum sit, patet. Eamque ob caussam & fides ab apostolo ὑπόστασις, itemque ἔλεγχος *Ebr. XI, 1.* vocatur. Sed & πληροφορία ideo

ideo fidei tribuitur, *Ebr. X, 22.* & *Rom. IV, 21.* Quae vox proprie *plenam lationem* notat, metaphora, vt nonnulli putant, a nauibus desumta, cum ventis implentur vela secundis. Indicatur ita, animum credentium motu plenissimo, adsensu certissimo, firmissimaque fiducia ad promissiones diuinas ferri, vt eas adripiat, sibique vindicet. Sed tertium adhuc, de quo hic itidem aliquid monendum, supereſt, vnde quis, quod fidem habeat, certus esse possit? Quod quidem mihi perinde esse videtur, ac si quis quaerat: vnde quis certus esse possit, an intelligat, aut aliquid velit? Eorum namque, quae in ipsa mente nostra peraguntur, ita nobis conscii sumus, vt nemo, nisi qui scepticorum, hoc est, hominum cum ratione insanientium, numero adiungi velit, de iis dubitare queat. Ita vero hoc est intelligendum, vt veram plenamque fidei notionem, ex scriptura sacra hausta, animo primum concipiat, & tum serio ad ea, quae intra se ipsum sentit, percipitque, attendat. Accedit vero omnino testimonium spiritus sancti, quo longe certissimi redduntur credentes, quod & vera fide praediti sint, & iure filiorum Dei recte fruantur. *Spiritus* enim *est, qui testatur, quod spiritus sit veritas, I. Ioan. V, 6.* Immo Deus ipse est, qui nos obsignat, atque τὸν ἀρραβῶνα τῦ πνέυματος *arrabonem spiritus in animis nostris dedit, II. Cor. I, 22.* conf. & *Rom. VIII, 16.* Interim cum contingere queat, immo proh! dolor, saepissime contingat, vt mortales, falsa quadam fidei notione sibi ipsis illudentes, fidem se habere putent, qua tamen destituuntur; ne quis in re grauissima, & in qua sine salutis periculo errare non licet, decipiatur, ad fructus, ceu criteria fidei longe certissima, attendat, necesse est. Cumque renouatio cum operibus bonis quibuscumque huc pertineat, an in istis ita, vt

decet,

decet, rite progrediatur, se ipsum exploret. Neue & hic iterum decipiatur, discrimen naturae & gratiae probe teneat, ne fallacia naturae, gratiam callide imitantis, illi illudat turpiter. Facile autem istam fallaciam deteget, modo & principium seu fontem, ex quo cuncta eius dicta, & facta fluunt, & nexum illum necessarium, qui inter omnes virtutes christianas intercedit, adcurate consideret.

** Quod vera fides *amitti* possit, probamus, 1) *ex indole ac natura fidei*, in qua nihil deprehendimus, quod suadeat, eam ita comparatam esse, vt rursus amitti nequeat. Ad intellectum enim quod attinet, nihil est frequentius, quam vt iudicium eius mutetur, vt falsa esse credamus, quae antea vera esse iudicauimus; vt dubia atque incerta adpareant, quae antea longe certissima visa sunt. Qui vim adfectuum, prauarumque cupiditatum in intellectum hominis nouit, aut perpendit, non dubitabit, eiusmodi quid contingere posse; quod & experientia confirmat. Eamdem etiam ob caussam contingere potest, vt ipsa cognitio, quae antea viua & efficax fuit, mortua sit, & inefficax. Hinc vero & fiducia facile corruet, aut euanescet, si modo in eius locum non succedat securitas quaedam carnalis, fiduciae speciem adsumens. 11) Ex *cauſſis fidei*, quas si spectes, nullum quidem est dubium, Deum, si secundum potentiam adsolutam agere vellet, efficere posse, vt fide numquam excidamus; id vero cum adseri nequeat, resque ipsa & scriptura sacra doceat, eum secundum certum ordinem, & per media certa cum hominibus agere; sequitur, vt influxus quoque diuinus iste, quo fides conseruatur, cesset, cum homines ordinem praescriptum non obseruant, nec mediis gratiae ea, qua par est, ratione vtuntur. Hinc & quod nec media gratiae obstent, quo minus fides iterum amitti

que-

queat, patet; cum eorum efficacia a recto, & legitimo hominum maxime pendeat vsu. 111) Accedant quoque *exempla* eorum, qui per peccata mortalia fidem excusserunt, quale est Dauidis, cum adulterio homicidium coniungentis, & Petri, ter dominum & seruatorem suum abnegantis. Pertinet huc etiam exemplum Hymenaei, atque Alexandri, quos circa fidem naufragium fecisse, Paulus adserit, *I. Tim. I, 19. 20.* 1v) Habemus *testimonium* seruatoris, quando *Luc. VIII, 13.* eos commemorat, qui, cum verbum diuinum audiunt, μετὰ χαρᾶς *cum gaudio* illud recipiunt, sed tempore tentationis iterum deficiunt. Quos quidem *Matth. XIII, 21.* & *Marc. IV, 17.* πρόσκαιρος *temporarios* vocat, qui, *exorta adflictione & vexatione propter verbum*, offendantur.

§. XV.

Vt autem, quae diximus, de fide vera sunt accipienda; ita ea, quam nonnulli *historicam* vocant, hoc nomine neutiquam designatur. * Pari ratione & *mortua fides*, vera fides non est: interim & *vita fidei* non vno, eodemque modo intelligitur. **

* Historicam eam vocamus fidem, qua quis ea, quae scriptura sacra de credendis, speciatim de gratia Dei, deque Christo seruatore, eiusque merito, & remissione peccatorum per illud impetranda, tradit, vera esse credit; adsensu tamen mere humano. Et haec est fides illa, quam *historicam* vocamus, non eo sensu, ac si tantum circa facta versetur, cum res ipsa ostendat, quod etiam circa dogmata occupetur, atque praecepta, immo circa credenda quaeuis; sed quod adsensus ille non alius sit, quam, quem in rebus historicis testimoniis fide dignis praebere solemus. Quo ipso simul patet, fidem

dem hancce historicam verae fidei nomen non promereri, cum & adsensus diuinus, & fiducia ei desit. Sed id quoque intelligitur, fidem historicam multum differre a fide temporaria τῶν προσκαίρων, cum haec vera esse possit, sed quia non est firmiter radicata, facile ab ea deficiunt.

** Mortua fides non magis vera fides esse potest, quam homo mortuus verus homo. Sed vt eo rectius, quid mortua fides sit, intelligatur, considerandum, in quo vita fidei consistat; in eo scilicet, in quo vim suam actu demonstrat, quod fit per veram adprehensionem & adplicationem meriti Christi. Tum vero etiam per fructus, seu effectus fidei, in renouatione, seu sanctificatione vita eius demonstratur. Mortua itaque fides est, quae adsensu diuino & vera fiducia destituitur. Qua quidem ratione omnis fides historica, prout antea eam descripsimus, erit mortua fides. Idque cum maxime ex defectu operum, ceu fructuum fidei, intelligatur, hinc fides operibus destituta, mortua itidem dicitur; quia nimirum talis fides etiam adsensu diuino, & vera in meritum Christi fiducia destituitur. Hinc Iacobus, *fides*, inquit, *quae non habet opera*, νεκρά ἐστι καθ' ἑαυτήν, *mortua est in semet ipsa*, hoc est, ipso principio vitali destituitur; adeoque nullo modo vera fides est, *cap. II, 17.*

§. XVI.

Producitur fides per *regenerationem.* Per hancce enim vocem, proprie acceptam, eiusmodi actio indicatur, qua Deus hominem ex statu mortis spiritualis, ad vitam spiritualem perducit, dum fidem, perque eam vires illas, quae vitam spiritualem demonstrant, in eo operatur. * Regeneratio-

nis

nis autem vocem, ad rem ipsam exprimendam, perquam aptam esse, collatio regenerationis cum generatione naturali nos condocere potest. ** Vocatur alias *viuificatio*, *Ephes. II, 5. Rom. VI, 11. creatio noua*, *psalm. LI, 12. Gal. VI, 15. generatio noua*, seu *iterata*, *Ioan. III, 3. Iacobi I, 18. generatio ex aqua & spiritu*, *Ioan. III, 5. resuscitatio* (spiritualis) *Ephes. II, 6. Coloss. III, 1.*

* Haec vocis propria acceptio scripturae quoque sacrae effatis plane conueniens est, in quibus regeneratio describitur, vt recte per eam fidei productio intelligatur, *I. Petr. I, 3. 23. Ioan. III, 3. I. Ioan. V, 1.*

** Eleganter regeneratio per naturalem generationem declaratur; siquidem vt in hac, ita in illa quoque generans ipse considerari potest, qui est Deus, specialiori ideo ratione *pater* regenitorum dicendus; *Matth. VI, 9.* tum & qui hoc modo generantur, *filii* inde *Dei* vocandi, *Ioan. I, 12.* qui & spiritum τῆς υἱοθεσίας acceperunt, in quo clamant, Ἀββᾶ ὁ πατήρ, *Rom. VIII, 15.* semen quoque, ex quo regenerantur, scilicet ἄφθαρτον illud, quod est viuum verbum Dei; *I. Petr. I, 23.* porro & naturae cum generante communio, vnde, qui credunt, τῆς θείας φύσεως κοινωνοὶ facti dicuntur; *II. Petr. I, 23.* quemodmodum & qui regenerantur, non minus vitae spiritualis participes fiunt, quam naturalis, qui naturaliter generantur; *Ephes. II, 5.* quibus denique modi in vtraque & naturali, & spirituali generatione quaedam conuenientia accedit, siquidem ad hanc non magis, quam ad illam, homo ipse suis viribus aliquid conferre potest, eo quod ante regenerationem in peccatis sumus mortui, *Ephes. II, 1.* Atque haec cum satis manifesta sint, illud saltem adhuc monemus, spiritualem illam generationem vocari *regenerationem*, hoc est, itera-

iteratam generationem, intuitu generationis naturalis. Cum seruator ad Nicodemum dicit: *nisi quis generatus fuerit* ἄνωθεν, *Ioan. III, 3.* vox ἄνωθεν verti equidem potest per *desuper* non minus, quam per *denuo*, eodem vtique, si rem ipsam spectes, sensu. Desuper enim fit haec generatio, quia Deus est, qui nos regenerat, seu fidem in nobis producit, vnde & recte vocatur γέννησις ἐκ τοῦ θεοῦ, *I. Ioan. V, 1.* Sed denuo etiam generamur, intuitu, vti diximus, generationis naturalis, cui spiritualis opponitur. Et posteriori quidem hacce ratione vocem ἄνωθεν accipiendam, ex Nicodemi quaestione: *num potest homo senex in vterum matris suae* δεύτερον εἰσελθεῖν *iterum ingredi, & generari?* facile colligas; videturque seruator, dum syriace loquutus est, voce, quae *denuo*, non autem *desuper*, significat, vsus.

§. XVII.

Dum itaque per regenerationem homo a morte ad vitam spiritualem transfertur, ad indolem eius eo rectius percipiendam, & *mortem* istam, & *vitam spiritualem* paullo adcuratius considerare iuuat. *

* Duo itaque hic in censum veniunt, mors spiritualis, seu status hominis ante regenerationem, qui & alias vocatur *terminus a quo*; & status, ad quem homo per regenerationem perducitur, seu vita spiritualis, quam & alias *terminum ad quem* adpellitant. Vtrumque Paulus diserte designat, *I. Cor. VI, 11. seq. Tit. III, 3. Eph. II, 1. 3. 5. V, 8.*

§. XVIII.

Et ad mortem quidem quod attinet, per eam absentia omnium virium spiritualium, aut, si mauis, principii, ex quo vires istae spirituales fluunt, denotatur, idque qua

qua intellectum pariter ac voluntatem, ceterasque mentis facultates. Quae tamen virium istarum carentia simul cum magna pronitate atque propensione ad mala quaeuis coniuncta est.

§. XIX.

Vita spiritualis praecipue in fide consistit, quippe quae omnium virium spiritualium, quae in homine regenito conspiciuntur, principium atque radix est. Hinc itaque etiam ad intellectum pariter ac voluntatem, ceterasque mentis facultates sese extendit, quae ceteroquin morti, seu dominio peccati, erant obnoxiae.

§. XX.

Nimirum, si intellectum hominis spectes, expulsis tenebris luce spirituali is perfunditur; quam ob rem & regeniti, *illuminati* dicuntur, *Ebr. VI, 4. lux in domino, Ephes. V, 8. esse in luce, I. Ioan. II, 9. habere oculos mentis illuminatos, Ephes. I, 18.* * Vnde simul consequitur, qui illuminatus non est, eum quoque non esse regenitum, & proprie loquendo, neminem, qui regenitus non est, dici posse illuminatum. ** Cum vero & voluntatis emendatio, vt mox dicemus, accedat, non potest non inde oriri *sapientia* illa spiritualis; qua regenitos itidem ornatos constat, quippe quibus Christus factus est sapientia, *I. Cor. I, 30.* ***

* Vt eo rectius constet, quid per lucem spiritualem intelligamus, eadem fere ratione, ac in illuminatione naturali seu corporali, se rem habere, obseruandum est. Vt enim in hac oculus primum occurrit, ceu organum, quo lumen recipitur, tum lumen ipsum, & luminis denique receptio; ita in illa, seu spirituali illuminatione, intellectus hominis lumen recipit; lumen ipsum est euangelium, quod de Christo testatur, quodue ideo vocatur φωτισμὸς τῦ ἐυαγγελίε τῆς δόξης τῦ Χριςῦ, *II. Cor. IV, 4.* Luminis vero huius receptio, seu salutaris euangelii agnitio, illuminatio, qua scilicet homines illuminantur, dici potest. Per eam autem non qualiscumque notitia, nec qualiscumque adsensus, sed cognitio vera, viua, sufficiens, cum adsensu diuino, seu ab ipsa spiritus sancti operatione, per verbum diuinum profecta, intelligitur. Ideo enim Deus verbum euangelii, ceu lumen, omnibus adnuntiari voluit, vt homines per illud ad fidem, & sic porro ad vitam aeternam perducerentur; *Ioan. XX, 31. Rom. I, 16.* Quod fieri nequit, nisi eo, quo diximus, modo lumen hoc recipiant; qua quidem ratione & vere illuminati dici possunt. Certe qualemcumque rerum credendarum notitiam ad hoc non sufficere, vt quis illuminatus dici queat, vel Iudaeorum exemplo constat, qui doctrinae a Christo & apostolis propositae non erant ignari, & nihilosecius *caeci* in scriptura sacra vocantur; immo *stulti, & caeci, Matth. XXIII, 16. 17.* conf. *Rom. XI, 7. 8. 11. II. Cor. III, 13. 14.* Quod si quis etiam qualicumque adsensu res credendas adprobet, vita autem, moribusque testetur, se vera fide destitui, iudicio tamen spiritus sancti adhuc in tenebris ambulat. *I. Ioan. II, 9. 10. 11.* conf. & *cap. I, v. 5. 6. 7.* Quod & inde porro confirmatur, quia in hominis sibi soli relicti viribus

bus positum non est, vt se ipsum illuminet, seu salutarem illam cognitionem Christi, quae lucis spiritualis nomine digna sit, adquirat; cum contra experientia quotidiana doceat, homines impios, qualemcumque rerum credendarum notitiam, etiam cum adsensu quodam, etsi humano, coniunctam sibi comparare posse.

** Sponte sua hoc ex antea dictis sequitur. Quaestio autem non est de illuminatione, quam vocant, actiua; qua Deus homines illuminat. Deum enim omnes homines illuminare velle, dubio caret. Idque est, quod Paulus dicit, velle eum omnes homines saluari, & *ad agnitionem veritatis venire*, *I. Tim. II, 4.* Quo sensu & seruator ipse *lux* vocatur, *illuminans omnem hominem, venientem in mundum, Ioan. I, 6.* Sed ideo non omnes illuminantur, quia plurimi consilium Dei de salute sua respuunt, *Luc. VII, 30.* aut omnino spiritui sancto resistunt, *actor. VII, 51.* Porro non de qualicumque cognitione, nec de adsensu humano quaeritur. Posse enim etiam hominem irregenitum, hoc est, vera fide destitutum, res credendas agnoscere, & eiusmodi notiones animo sibi de iis formare, quae notionibus scripturae sacrae conformes sint, vt adeo hactenus cognitio eius vera dici queat, immo & adsensum, sed humanum accedere posse, neutiquam abnuimus. Quo ipso tamen, vt fidem solum mere historicam habet, ita, si quis eum ideo illuminatum vocare vellet, is voce hac longe aliter, quam loquendi ratio, in scriptura sacra nobis praescripta, postulat, vteretur. Secundum hanc namque neminem, nisi qui regenitus, hoc est, vera fide praeditus est, illuminatum dici posse, euidenter inde patet, quia illuminatio est pars fidei, & eiusmodi quidem, quae ab altera nullo modo separari potest. Irregenitus itaque cum fide destituatur, non potest vocari illuminatus. Immo,

cum ipsa regeneratio in fidei productione consistat, adeoque simul in illuminatione; sine contradictione adseri nequit, aliquem illuminatum, hoc est, regenitum, & tamen simul irregenitum esse. Accedit porro, quod in scriptura sacra tantum regenitis illuminatio tribuatur; vt, cum Paulus *Ephes. V, 8.* dicit: *eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in domino:* conf. & *actor. XXVI, 23.*

*** Per sapientiam, non humanam illam, multo minus carnalem intelligimus, quae Iacobo ἐπίγειος, ψυχικὴ, immo δαιμονιώδης audit, sed eam, quae, vt idem apostolus loquitur, ἄνωθεν *desuper* est, *epist. cap. III, 15. 16.* Haec in ea consistit mentis perfectione, qua quis in rebus, ad aeternam hominum salutem spectantibus, bona a malis rite discernere nouit, vt haec euitet, illa consectetur. Intellectus itaque haecce virtus est, quae tamen sine voluntatis emendatione, & pia quadam adfectione, sibi non constat. Atque cum Deus hominem ad imaginem suam condidisset, in intellectu eius, praeter excellentem rerum diuinarum cognitionem, sapientia quoque exsplendescebat. Hinc igitur, cum in regeneratione per fidem imago ista diuina restaurari incipit, simulque adeo intellectus a tenebris, voluntas a variis vitiorum sordibus purgatur, sapientia quoque spiritualis iterum efflorescit, quae cum, vt reliqua bona spiriritualia omnia, nobis merito Christi obtingat, qui insuper perfectissimum sapientiae exemplar nobis reliquit, intelligimus inde, quo pacto nobis a Deo factus dicatur σοφία *sapientia, I. Cor. I, 30.* Vnde & consequitur, per regenerationem omnes homines vt illuminationis, ita sapientiae istius spiritualis fieri participes, licet, si deinceps in sanctificatione incrementa eius, & gradus spectes, maior in quibusdam, quam in aliis esse possit, quod & de ipsa illuminatione obseruandum. Cuius quidem diuersitatis variae possunt esse caussae.

§. XXI.

§. XXI.

Ad voluntatem autem quod attinet, in ea amoris atque propensionum variarum, hinc exorientium, ordo ita immutatur, vt cum hactenus homo a Deo, bonisque spiritualibus prorsus auersus, ea solum, quae praua, legique diuinae repugnantia sunt, vellet, magnoque impetu consectaretur, nunc vero ad fiduciam in Christum, & hinc porro ad bona spiritualia quaeuis, actiones etiam bonas, Deoque placentes, efficaci propensione prosequendas, excitetur.

§. XXII.

Sed & in reliquis mentis facultatibus, adpetitu cumprimis, quem vocant, sensitiuo, emendationis aliquod initium deprehenditur, saltem, vt quae in illis dominatur prauitas, eousque infringatur, ne fidei generatio in intellectu & voluntate per eam impediatur. * Quin potius, vt per regenerationem nouus homo primum producitur, ita eius quoque lineamenta quaedam in omnibus facultatibus per fidem velut descripta & expressa, sese conspicienda praebebunt.

* Praesertim adpetitus sensitiui, & adfectuum, defectus, ita quandoque comparatos esse, vt maxima conuersioni, seu regenerationi adferant impedimenta, negari nequit, cum ipsa hoc doceat experientia. Quae nisi remoueantur, regeneratio quoque non procedet. Remoueri autem possunt, & remouentur, per gratiam Numinis conuertentem,

quae in ipso actu conuersionis & regenerationis varios motus spirituales excitat, quibus regeneratio promouetur. Quos quidem actus motusque spirituales, quos spiritus sanctus in homine, qui regeneratur, excitat, nostrates itidem ad *terminum* regenerationis *ad quem* referre solent. Interim, qui ad impedimentorum solum remotionem, fideique productionem pertinent, distinguendi sunt ab illis, qui, fide iam producta, ex ipsa fide oriuntur. Atque posterioribus illi adnumerandi, quibus defectus vt reliquarum mentis facultatum, ita & adpetitus sensitiui in renouatione magis magisque tolluntur & emendantur.

§. XXIII.

Ne vero distinguenda confundamus, discrimen inter actum & statum regenerationis,* itemque inter actus animales seu naturales, & spirituales, ** minime est negligendum; sed & quae ad gradus & incrementa noui hominis, adeoque ad renouationem spectant, a prima eius productione, quae fit in regeneratione, probe sunt discernenda. ***

* Status enim regenerationis, praeter iustificationem, renouationem etiam seu sanctificationem complectitur. Adeoque de regenitis, hoc est, hominibus in statu regenerationis constitutis, multa dici possunt, quae in actum regenerationis, seu ipsam fidei productionem non quadrant.

** Per *actus animales* eos omnes intelligo, qui non aliud, quam ipsam naturam, hoc est, naturales mentis corporisque facultates, principium agnoscunt. De hisce autem porro obseruandum, quod aliter se habeant in hominibus irregenitis, aliter in regenitis.

In

In illis enim, si legitima directio accedat, actus eiusmodi, naturaliter & in foro humano, boni esse possunt; mali contra fiunt, si directio legitima non accedat. Sic nullum est dubium, etsi homines ratione sua ad mala quaeuis abuti queant, eadem tamen si recte vtantur, multa quae vera & recta sunt, in iis, quae sphaeram eius non excedunt, cognoscere posse. Nullum quoque est dubium, multa homines solis naturae viribus peragere, quae in foro humano iustitiae, honestatis & virtutis laudem promereantur. Quantumuis autem splendidi sint eiusmodi actus coram hominibus, Deo tamen non placent, quippe cui nihil placere potest, quod non ex fide procedit, *Ebr. XI, 6.* Atque ita quidem isti actus sese habent in irregenitis. Ad regenitos autem quod attinet, in iis primo actus quidam spirituales sunt, qui per fidem in iis producuntur. Sunt namque ipsimet πνευματικοὶ, vti irregeniti ψυχικοί, *I. Cor. II, 14. 15.* vnde *fructus spiritus* in illis exsistunt, quos Paulus refert, *Gal. V, 22.* Praeter hosce actus spirituales in regenitis etiam dantur actus naturales seu animales, sed longe aliter, quam in irregenitis. Quidquid enim mali actibus eiusmodi adhaeret, id supprimere satagunt; prout autem ad bonum aliquod dirigi possunt, eosdem corrigunt, atque emendant. Nec sane gratia naturam, in se spectatam, tollit, sed purgat, dirigit, sanctificat. Atque haec si probe teneantur, facile intelligere licet, quae theologi de discrimine actuum animalium & spiritualium tradunt, & a nonnullis sine necessitate magnis tenebris inuoluuntur; nec committemus, vt actus animales pro spiritualibus, & hos pro illis habeamus; quos qui non rite a se inuicem discreuerit, nec doctrinam de regeneratione recte explicabit. Patet namque ex dictis, cognitionem nudam rerum diuinarum, qua quis eiusmodi de iis notiones animo

sibi format, quae notionibus scripturae sacrae sint conformes, etsi ratione originis, seu scripturae sacrae, ex qua hausta est, diuina dici queat, in se tamen spectatam ad actus naturales pertinere, cum etiam homo impius, solis naturae viribus, si ingenio polleat, & debitam industriam adhibeat, talem notitiam sibi comparare possit. Immo si & adsensus, sed humanus, accedat, cum & ad hunc vis naturalis sufficiat, non est, vt eiusmodi cognitionem ad actus spirituales referamus. Eam enim in homines, in quibus praeter naturae vires nihil est, improbos quippe, cadere, ipsa quotidie docet experientia. Idem & de iis voluntatis actibus dicendum, qui speciem equidem virtutis habent, sed non aliam tamen, quam naturam, originem agnoscunt. In hisce omnibus autem si quis caute non incedat, facile decipietur, vt regenerationem in ipsis irregenitis, lucem diuinam in illis, qui in tenebris ambulant, fidem denique in incredulis sibi deprehendere videatur. Ad actus istos naturales seu animales hominum irregenitorum illi etiam referuntur, qui *paedagogici* vocari solent. Hoc namque nomine eiusmodi actus intelliguntur, qui ad ipsam equidem regenerationem, seu conuersionem in-se spectatam non pertinent, eidem tamen occasionem praebent, & hominem quodammodo praeparant ac disponunt, vt gratia conuertens per verbum diuinum vim suam & efficaciam in eo exserere queat. Immo ipsa etiam naturalis illa rerum diuinarum cognitio, & adsensus humanus, huc referri potest, prout interdum homo per illam ad gratiae conuertentis operationem recipiendam disponitur. Exserit tamen subinde in hisce se gratia praeueniens ratione plane singulari, perque eam homo ad aliquid faciendum impellitur, vnde praeter opinionem conuersionis seu regenerationis occasio enascitur. Quos quidem motus, multo minus autem

autem illos, quibus ad ipsam conuersionem homo incitatur, vtpote a spiritu sancto iam profectos, neutiquam ad animales, seu naturales referendos esse, patet.

*** In eo enim vel maxime discrimen regenerationis & renouationis conspicitur, quod in illa noui hominis primae veluti per fidem ducantur lineae, in hac autem plenius cuncta per incrementa spiritualia effingantur, exprimanturue; conf. *Ephes. IV, 12. 13. 14.*

§. XXIV.

Ex hactenus dictis liquet, insignem in homine per regenerationem contingere mutationem; dum, quae in eo erant, abolentur, quae non aderant, producuntur; non tamen eo vsque hoc extendendum, ac si ipsa hominis substantia immutetur, vel priori destructa noua procreetur. Est namque & hic caute incedendum, ne istam mutationem aut cum quibusdam nimis extenuemus, aut cum aliis, vltra quam decet, exaggeremus.

§. XXV.

Nec in hominis positum est viribus, vt se ipsum regenerare queat, quemadmodum nemo se ipsum naturali generatione producere potest. Deus namque trinunus, speciatim spiritus sanctus est, qui nos regenerat, *Ioan. I, 13. I. Ioan. IV, 7. V, 1. 4. I. Petr. I, 3. Tit. III, 5.* * & quidem non per lumen aliquod internum, siue connatum, siue immediate a Deo profectum, sed per verbum diuinum, seu semen illud incorruptibile, I.

Petr. I, 23. & ad infantes quod attinet, per baptismum; *Tit. III, 5.*

* Omnibus tribus personis regeneratio tribuitur; patri quidem, cum Petrus *I. ep. I, 3.* dicit: *Benedictus Deus pater domini nostri Iesu Christi, qui nos regenuit.* Filio autem, dum se ipsum *vitam* vocat, *Ioan. XIV, 6.* quia caussa est omnis vitae spiritualis & naturalis. Ideo & Ioannes: *in illo vita erat, & vita erat lux hominum; cap. I, 4.* Merito vitam & lucem coniungit, cum lux intellectus a vita voluntatis separari nequeat; conf. & *psalm. XXXVI, 10.* Vtraque autem & lux, & vita, qua originem in Christo, ceu vero Deo est, & ab eo ad homines, qui non resistunt, promanat. Hinc & deinceps *lux vera* dicitur, *illuminans omnem hominem, venientem in mundum, Ioan. I, 9.* Denique & spiritui sancto recte tribuitur, quod & Paulus facit, quando baptismum vocat *lauacrum regenerationis spiritus sancti, Tit. III, 5.* quia spiritus sanctus per baptismum homines regenerat. De *caussa impulsiua, interna*, misericordia, seu bonitate Dei, & *externa*, merito Christi, itemque *subiecto*, & *forma*, vt aliquid addamus, necesse non est, cum voces istae saepius recurrant, & res ipsa facile ex hactenus dictis intelligatur. Nimirum ad *subiectum* quod attinet, & quidem *quod*, vt loqui solent, manifestum est, regenerari omnes eos ex adultis, qui operationi spiritus sancti non resistunt, vt fides in illis produci queat; ex infantibus autem omnes eos, qui baptizantur. Sic &, cum fides ad intellectum & voluntatem pertineat, hasce mentis facultates subiectum *quo* regenerationis constituere, nemo non perspicit. Aliqua tamen ratione vitam spiritualem, etiam, prout per regenerationem producitur, ad reliquas hasce mentis facultates pertinere, ex iis, quae §. *XXII.* docuimus, elucet. Subinde equidem ex mentis mutatio-

tione & in ipso corpore mutatio quaedam ob arctissimum vtriusque nexum exsistit; vnde & corpus quodammodo huc referri posset, & a quibusdam referri solet; sed, cum ea demum in renouatione sese euidenti quadam ratione exserat, hic aliquid de ea addere nolo. De *forma* si quaeras, ex dictis itidem promte respondebitur, eam in fidei, ceu vitae spiritualis collatione, consistere. Quae quidem collatio siue productio in hominibus adultis, si primum initium spectes, in instanti, seu momento temporis fieri potest, si ex verbi diuini auditione, vel lectione, motus aliquis subito in animo nostro excitetur; at si ea, quae non tantum ad initium, sed & ad progressum, & complementum regenerationis pertinent, consideres, neutiquam in instanti, seu momento temporis, sed successiue peragitur. Plurima enim remouenda sunt obstacula, multa cum ratione deprauata, cum prauis motibus carnis subeunda certamina, laborandum, luctandum, orandum est, donec tandem, ruptis tenebrarum, mortisque vinculis, nouus ille homo prodeat. Non tamen in omnibus eodem modo se res habet, cum quidam pluribus, paucioribus alii premantur impedimentis, prout e. g. peccata quaedam habitualia per consuetudinem magis aut minus fuerint confirmata, aut aliae περισάσεις conuersionem aut faciliorem, aut difficiliorem reddant.

§. XXVI.

Qui regeneratur, statim quoque iustificatur, & hac ratione in numerum filiorum Dei recipitur; *Ioan. I, 12.* Tum vero renouatio seu sanctificatio sequitur, per quam vita illa spiritualis, quam in regeneratione accepimus, conseruatur, atque augetur, *Ephes. III, 15. 16. seq.* donec tandem, si in

si in fide, atque adeo in vita illa spirituali, perseuerauerimus, aeternam, caelestemque hereditatem consequamur; *I. Petr. I, 4. apoc. II, 10.* Atque hinc *finis* & *effectus* regenerationis intelligitur.

§. XXVII.

Quemadmodum etiam nemo aeternae salutis compos fieri potest, nisi fuerit regenitus; *Ioan. III, 3. 5.* ita permanere homo in hocce regenerationis statu, & vsque ad vitae finem perseuerare potest, si modo ipse sibi prospiciat, & mediis gratiae a Deo concessis recte vtatur; *Ioan. X, 28. II. Tim. II, 5.* Quodsi autem hoc intermittat, nec sibi, prout decet, caueat, fieri potest, vt ex hocce statu excidat, & sordibus, quas euaserat, iterum immergatur; *II. Petr. II, 20.* Restitui tamen rursus potest, si agnito errore, serio ad Deum conuertatur.

§. XXVIII.

Cum regeneratione, si rem ipsam spectes, conuenit *conuersio*, voce illa intuitu ipsius hominis, in patiendi significatione accepta: interim tamen & discrimen aliquod intercedit, quod regeneratio, dum infantibus quoque tribuitur, latius pateat, quam conuersio, quae tantum de adultis dicitur. Vnde & non sine ratione seorsim consideratur. *

* Regeneratio & conuersio, si rem ipsam spectes, inter se conueniunt, cum vtraque vitae spiritualis in homine productionem significet: vt adeo per-

perinde sit, cum dico: *homo regeneratur*, & cum dico: *homo conuertitur*; quemadmodum & de Deo vtrumque recte adfirmatur, quod hominem conuertat, & regeneret. Discrimen autem in eo consistit, quod non de infantibus, sed de adultis tantum hominibus dicatur, quod conuertantur. Vnde & de conuersione quaedam adhuc monenda sunt, quae in regeneratione locum non inueniunt. Accedit & alterum discrimen, quod vox *conuersionis* quandoque actiue, de ipso homine, sumatur, vt, cum homo se ipsum conuertere adseritur, cum *regeneratio* de hominibus semper in patiendi significatione efferatur. Non enim dicimus, quod homo se ipsum regeneret, sed quod regeneretur.

§. XXIX.

Conuersio porro in scriptura sacra vel ad Deum refertur, quod hominem conuertat, vel ad hominem, quod se ipsum conuertat, aut conuertere debeat: vnde *conuersio* alia *transitiua*, alia *intransitiua*, vocatur. Quod tamen ita intelligendum, ne hominum viribus aliquid tribuamus, quod illis tribuendum non est. *

* Conuersio in scriptura sacra Deo passim tribuitur, *Ierem. XXXI, 18. Ezechiel. XXXVI, 26. 27.* Immo huc omnia illa loca pertinent, quibus probatur, Deum esse caussam efficientem regenerationis & conuersionis, hominem autem se ipsum nec regenerare, nec propriis viribus conuertere posse. Rursus tamen plurima quoque sunt loca, in quibus conuersio homini ipsi tribuitur, *Esa. I, 16. 17. Ezech. XVIII, 30. 31. XXXIII, 11.* Omnes praeterea prophetarum & apostolorum adhortationes ad homines improbos eo tendunt, vt se conuertant.

Neque

Neque existimandum, ac si haec inter se pugnent, quod mox Deus homines conuertere, mox autem ipsimet homines se conuertere, dicantur. Deus enim equidem solus est, qui homines conuertit, cum *nemo ad Christum venire queat, nisi quem traxerit pater; Ioan. VI, 44.* interim & homines se ipsos conuertere dicuntur, quando operationi Numinis, eos conuertentis, non resistunt, sed mediis potius a Deo praescriptis rite vtuntur. Cum ergo Deus homines conuertere perhibetur, conuersio *transitiua* salutatur, quae est actio, a Deo in homines transiens, potestque etiam *actiua* vocari. Et eodem sensu ministris verbi diuini conuersio, seu, quod alios homines conuertant, tribuitur, vt cum angelus ad Zachariam de Ioanne dicit: *Et multos filiorum Israel ἐπιστρέψει ἐπὶ κύριον τὸν θεὸν αὐτῶν, conuertet ad dominum Deum ipsorum; Luc. I, 16.* Cum autem homines se ipsos conuertere dicuntur, *intransitiua* adpellatur conuersio, cum actus ille intra hominem maneat, nec ad alium transeat; quamquam, si res ipsa consideretur, passio potius sit, quam actio, cum homo a Deo conuertatur.

§. XXX.

Conuersio intransitiua alias etiam *poenitentia* dicitur, voce ista non pro sola contritione, vt a quibusdam fieri solet, sed pro tota hominis conuersione, accepta. * Respondent ei hac ratione, remque ipsam recte exprimunt, voces graecae, *μετάνοια* & *μεταμέλεια*, quibus scriptores sacri noui testamenti saepius vtuntur.

* Diuersae vocis *poenitentiae* sunt significationes. Generalis illa est, cum quamcumque facti cuiusdam, a nobis admissi, displicentiam denotat:

vt

vt cum dicimus, quod nos consilii cuiusdam, aut dicti, aut facti, poeniteat. Et eam quidem hic in censum non venire, res ipsa docet. Non minus tamen & ea significatio a nostro instituto aliena est, qua externam poenitentiae declarationem indicat, quae ab illis requiri solet, qui grauiori quodam facinore scandalum praebuerunt, & hinc cum ecclesia sunt reconciliandi. Discriminis caussa haec poenitentia *ecclesiastica* vocari solet; saepiusque vox ista eo sensu apud scriptores ecclesiasticos occurrit. Nobis vero nunc internam animi mutationem, seu, transitum ex statu mortis & irae, ad statum vitae spiritualis, & gratiae, denotat; ad quam, cum & contritio, & fides, vt deinceps dicemus, requiratur, aliquando quidem pro illa tantum, saepius autem pro vtraque sumitur. In posteriori significatione, quae & huius loci est, subinde in scriptura sacra adhibetur, vt *Matth. III, 8. Marc. I, 4. Luc. III, 3. 8. actor. XI, 18.* alibique. Immo, vbicumque solius poenitentiae, tamquam medii perueniendi ad salutem, mentio iniicitur, vocem hancce, vt ita capiamus, par est. Cum enim ex aliis locis pateat, sine fide neminem ad salutem peruenire posse; nisi committere ista inter se inuicem velimus, necesse est, vt dicamus, poenitentiam, vbi sola memoratur, fidem quandoque includere. Cum vero cum poenitentia diserte fides coniungitur, vt, quando seruator ipse *Marc. I, 15.* dicit: *agite poenitentiam, & credite euangelio*; aut aliae quaedam rationes id suadent, vt poenitentiam pro contritione accipiamus, necesse est.

§. XXXI.

Eaque conuersio, seu poenitentia, cum vel de illis intelligi queat, qui primum a morte spirituali ad vitam transeunt; *Epheſ. V, 14.*

V, 14. vel de iis, qui per renouationem quotidianam in vitae ſanctae ſtudio proficiunt, *Rom. XII, 2.* alia eſt *ſtantium*, alia *lapſorum*. Sed hic poſterior in cenſum venit.*

* Maximum itaque inter poenitentiam ſtantium & lapſorum intercedit diſcrimen. In hac enim, ſiue poenitentia lapſorum, tranſitus fit a ſtatu mortis ad ſtatum vitae ſpiritualis; in illa, ſiue poenitentia ſtantium, a ſtatu vitae ſpiritualis imperfectiori, tranſitus fit ad perfectiorem. Adeoque poenitentia lapſorum, eorum eſt, qui hactenus ceu irregeniti, in ſtatu mortis ſpiritualis fuere conſtituti, ex quo ad vitam ſpiritualem tranſeunt; poenitentia autem ſtantium, eorum eſt, qui iam ſunt regeniti. Hinc & poenitentia lapſorum ad conuerſionem, ſeu regenerationem, ſtantium ad renouationem ſeu ſanctificationem, refertur. Denominationis ratio ex *I. Cor, X, 12.* petita videtur: *Qui ſibi ſtare videtur, videat ne cadat.* Licet autem per *lapſos*, ſtricte loquendo, illi tantum intelligantur, qui ex ſtatu gratiae exciderunt, hactenus tamen & eorum, qui numquam regeniti fuerunt, quales omnes illi ſunt, qui extra eccleſiam chriſtianam ſunt conſtituti, vt Iudaei & gentiles, eadem eſt ratio. Interim illorum, qui numquam regeniti fuerunt, conuerſio *prima*, reliquorum *ſecunda* ſeu *iterata* dici ſolet.

§. XXXII.

Cum ergo per conuerſionem aeque ac regenerationem mutatio quaedam in homine contingat, hinc itidem duplex eius ſtatus conſiderari poteſt; is, quem homo deſerit, & is, ad quem tranſit: quorum priorem *terminum a quo*, poſteriorem, *terminum*

minum ad quem, vocare solent. Status, quem deserit, est status mortis spiritualis, peccati, immo, seruitutis sub peccato, tenebrarum, irae denique diuinae, atque damnationis. Is contra, ad quem transit, est status fidei atque vitae spiritualis, lucis, libertatis, gratiae, atque salutis; *Ioan. III, 18. XI, 25. 26. actor. XXVI, 18. Rom. VI, 16. 17. Ephes. II, 1. IV, 18. V, 8.*

§. XXXIII.

Ea, quae homo, dum conuertitur, deserit, seu a quibus discedit, non tantum sunt peccata, tum actualia, tum habitualia, & haec quidem tum in se, tum intuitu culpae cum iis coniunctae, & poenae spectata, * sed etiam certa quadam ratione res quaelibet, quae animum hominis adficiendo, mouendo, incitandoque, vt iis adhaereſcat, legemque adeo diuinam migret, inducunt. **

* Quod peccata actualia hic primo in censum veniant, ipsa conuersionis & poenitentiae notio, quae omnium animis occurrit, quemuis statim condocere potest. Id enim, quod contra legem diuinam admisimus, illud ipsum est, quod nos vrget, impellit, exstimulat, vt mentem aliam induere admitamur, id quod est μετάνοια; idem curam, sollicitudinem, anxietatem nobis iniicit, quod est μεταμέλεια; siquidem voces istas secundum significationem, quam ex origine sua habent, interpretari velis. Eodem tamen etiam res redit, si secundum vsum scripturae sacrae accipiantur. Namque & haec de conuersione, seu poenitentia subinde ita

loquitur, vt ſtatim peccata actualia indicet, quae hac ratione & intermittenda, & abolenda ſint. Sic Eſaias vates: *lauate vos, purificate vos, amouete malignitatem actionum veſtrarum ex aduerſo oculorum meorum, deſinite male facere, diſcite bene facere &c. cap. I, 16. 17.* Ita ergo poenitentiam deſcribit, vt *malignitatem actionum* remouendam, diſerte doceat, itemque, quod *deſinere* debeant *male facere*, hoc eſt, actiones malas intermittere. Hinc & aliquando cum voce μετάνοια, coniunguntur ἔργα, *opera*, vt ſenſus ſit, ab operibus malis reſipiſcere debere, qui ſe conuertere volunt; vt cum *apoc. II, 22.* dicitur: ἐὰν μὴ μετανοήσωσιν ἐκ τῶν ἔργων αὐτῶν, *niſi reſipuerint ab operibus ſuis.* Haecce opera Paulus eleganter vocat νεκρὰ ἔργα, *opera mortua*, a quibus conſcientia noſtra purganda ſit, per ſanguinem Chriſti, *Ebr. IX, 14.* Nimirum *mortua* dicuntur haecce opera, quia perpetrantur ab iis, qui *mortui ſunt in peccatis ſuis*, *Epheſ. II, 1.* Quemadmodum vero etiam quod mortuum eſt, foedum, & adſpectu exſecrabile eſſe ſolet; ita ſimul indicatur, hominem peccatorem propter eiusmodi opera foedum plane & abominabilem eſſe coram facie Dei. Haec ſunt opera iſta carnis, quae longa ſerie recenſet Paulus, *Gal. V, 19. ſeq.* & de quibus diſerte pronuntiat, *neminem, qui iſta fecerit, regnum Dei, ceu hereditatem accepturum;* conf. & *I. Cor. VI, 9. ſeq.* Peccatorum autem actualium nomine vt alias, ita hic quoque omnia dicta, facta, cogitata, quibus mortales legem diuinam transgrediuntur, veniunt, adeoque non modo actiones externae, ſed & internae, non modo cum perpetramus, quae lex prohibuit, ſed & cum intermittimus, quae ex praeſcripto legis facere debebamus. Res ipſa etiam docet, ea ſpectari hic, prout iam perpetrata ſint; qua quidem ratione, etſi phyſicę non amplius exſtent, exſtant

stant tamen morali aestimatione, qua effectus, qui ex eorum imputatione fluunt, hoc est, qua reatum tum culpae, tum poenae. Obligationis enim, qua lex gaudet, ea vis est, vt, si quis eam violauit aut transgressus est, statim quoque & culpae, quam hoc ipso contraxit, & poenae, quam a iudice merito exspectat, se reum esse, intelligat. Ad habitualia autem peccata quod attinet, eo nomine tum *connatum* illud, seu *originale*, tum *adquisita*, hoc est, propensiones prauae, per actus saepius repetitos confirmatae, & corroboratae, designantur. Et connatum illud, seu originale, vel ideo hic in censum venit, quod conuersio non rite procedat, nisi fontem & scaturiginem omnis mali probe introspiciamus: cuius rei praeclarum exemplum ipse rex sanctissimus Dauid nobis reliquit, *psalm. LI, 7.* Et licet peccatum illud originale penitus tolli nequeat, vim tamen eius, & efficaciam infringi, necesse est, atque imminui, ne amplius nobis dominetur. Id quod & de adquisitis illis, quae & *peccata consuetudinis* vocari solent, est intelligendum. Cum enim frustra quis peccata actualia detestetur, aut ea fugere in animum inducat, quamdiu habitualium istorum vis nondum est infracta & imminuta, ad haec in conuersione singulari cura respiciendum esse, nemo non intelligit. Idque ipsa etiam ratio & indoles conuersionis nos condocet, prout transitum a statu mortis, ad statum vitae, a statu seruitutis, ad statum libertatis, denotat. Quis enim credat, in statu vitae, aut libertatis spiritualis eum degere, qui sub dominio prauarum propensionum atque cupiditatum est constitutus? Atque hoc ea quoque scripturae oracula confirmant, in quibus conuersio per *cordis* (quo nomine cumprimis propensiones habituales indicantur) *mutationem* describitur, *Ezech. XXXVI, 26. 27.*

** Ea est humanae mentis conditio, vt semper obiectum aliquod, quod boni rationem habet, quaerat, & cum eo se vnire cupiat, vt quietem ac beatitudinem eo modo inueniat. Et in statu quidem integritatis, cum ordo amoris nondum turbatus esset, obiectum hocce ipse Deus erat, quocum, ceu summo bono, homo per intimum amorem erat coniunctus. Et in eo summa eius consistebat beatitudo. At, cum per lapsum homo a Deo plane auersus esset, alia obiecta quaesiuit, quibuscum se vniret, vt in iis quietem suam inueniret. Quorum obiectorum cum magna sit varietas, ad tria tamen possunt reuocari capita praecipua, ea, quibus ad voluptatem, itemque ad ambitionem, seu superbiam, & denique ad auaritiam homines excitari solent. Hinc tria ista vitia cardinalia, ἡ ἐπιθυμία τῆς σαρκὸς, καὶ ἡ ἐπιθυμία τῶν ὀφθαλμῶν, καὶ ἡ ἀλαζονεία τοῦ βίου; *I. Ioán. II, 16.* Atque haec quidem obiecta cum in mundo exsistant, & ab hominibus, qui mundum constituunt, nobis subinde offerantur, patet, quod ipse etiam mundus hoc modo ad obiecta ista merito referatur, a quibus animus in poenitentia auertendus est. Vnde, quod mundum diligere non debeamus, Ioannes dicit *l. c. v. 15.* Sed & cum ipse diabolus hisce rebus, ad illaqueandos hominum animos, & in captiuitate detinendos, vtatur, & ille hac ratione obiectis hisce adnumerandus est. Vnde homines conuerti dicuntur a *potestate Satanae ad Deum, actor. XXVI, 18.* Obiecta ista, de quibus diximus, idolorum etiam nomine quandoque veniunt; si scilicet de idololatria subtiliori sermo sit. Quam primum enim homo obiectum aliquod pro summo bono amplectitur, vt illud supra omnia amet, cultum, quem soli Deo debebat, illi tribuit, a deoque idololatriae reus est. Haec namque ratio est, cur auaritia idololatria vocatur; *Coloss. III, 5.* ob quam adeo eodem iure

ambitio

ambitio & voluptatis cupiditas isto nomine venit. Haec itaque idola, seu obiecta, quae animum hominis illaqueatum tenent, remouenda sunt; quemadmodum & in crassiori idololatria, (quae tamen ex subtiliori originem trahit,) externa idola itidem remouenda erant; conf. *Es. XXXV, 6. 7. Ezech. XXXVI, 25.* Sunt tamen obiecta ista externa non vnius generis. Quaedam enim ita comparata sunt, vt in se illicita sint, eorumque possessio aut vsus semper cum vitio sit coniunctus; quaedam autem ita, vt possessio aut vsus retineri equidem queat, modo animus illis plus, quam decet, non adhaerescat. Quae prioris generis sunt, ita remouenda, vt nec possessionem retineamus, & ab omni nos abstineamus vsu, immo, si res postulat, vt praesentiam quoque eorum, atque conspectum fugiamus, cuius rei illustre exstat exemplum *actor. XIX, 19.* Quae autem posterioris sunt generis, retineri qua possessionem, quaue vsum possunt, sed ita, vt caueamus, ne animum illaqueent, eumque amore peruerso impleant; *I. Cor. VII, 29. seq.* Atque haec, quae hactenus diximus, eo spectant, vt intelligatur, quis *terminus*, vt loqui solent, sit conuersionis *a quo*; tum *formalis*, peccata scilicet non tantum actualia, sed & habitualia; tum *obiectiuus*, res quaelibet, quae animum hominis a Deo auertunt.

§. XXXIV.

Ab isto miseriae mortisque spiritualis statu homo, dum conuertitur, ad Deum ipsum, ceu summum suum bonum, transit, vt cum eo iterum, reconciliatus quippe per meritum Christi, vniatur; vnde status gratiae, vitaeque spiritualis, oritur, quacum & remissio peccatorum, & alia bona spiritualia, quae

beatum hominem reddunt, sunt coniuncta.*

* Quemadmodum summa hominis beatitudo, vt antea diximus, in eo consistebat, quod cum Deo, ceu summo omnium bono, intime coniunctus esset; ita summa contra eius miseria inde orta est, quod a Deo sit abalienatus, eumque ob peccata sibi iratum habeat. Haec radix, hicce fons est omnis miseriae, omnisque calamitatis. Immo haec ipsa est mors spiritualis hominum. Hinc vero facile intelligitur, quod in conuersione homo eo tendat, vt cum Deo iterum, ceu suo summo bono, vniatur; quod tamen fieri nequit, nisi illi reconcilietur. Atque hoc scriptura ipsa luculenter docet, quando homines se conuertere iubentur, ἐπὶ τὸν θεὸν, *actor. XIV, 15. XXVI, 18.* πρὸς τὸν θεὸν, *I. Thess. I, 9.* Vnde & poenitentia dicitur μετάνοια εἰς τὸν θεὸν, *actor. XX, 21.* Idque inde etiam confirmatur, quod in conuersione idola omnia, non crassiora solum, sed subtiliora, hoc est, res omnes, in quibus homines miseri quietem animi, & felicitatem suam quaerunt, ea, qua diximus, ratione remouenda sint, vt adeo ad Deum, ceu vnicum illud summum bonum, in quo solo & veram animi quietem inueniunt, redire queant. Hinc & subinde poenitentia per reditum, seu reuersionem ad Deum describitur, quod & vox תשובה qua scriptores sacri veteris testamenti vtuntur, indicat. Sic *Ierem. XXXI, 18.* dicitur: *fac me reuerti, & reuertar.* Et *Deut. IV, 30.* Moses de populo israëlitico adserit, quod ad *dominum Deum suum reuersurus, & vocem eius auditurus sit.* Ad Deum autem dum homo per poenitentiam reuertitur, vt eum sibi propitium reddat, & cum eo, ceu summo bono suo, vniatur, fieri aliter nequit, quin simul ex morte spirituali ad vitam, ex statu peccati in statum fidei, ex statu irae

in

in ſtatum gratiae, emergat, & eluctetur. Quod ſeruator eleganter exemplo filii iſtius immorigeri, qui poenitentia ductus, ad patrem ſuum rediit, declarat, quippe cuius pater ad fratrem eius dixit: *hicce frater tuus cum mortuus eſſet, reuixit*; *Luc. XV, 32.* Nimirum de vita ſpirituali non eſt dubitandum, quae ſtatim in nobis oritur, ac fides accenditur, quae meritum Chriſti adprehendit, vt Deo reconciliemur, & cum ipſo vniamur. Hinc vero, cum & in intellectu lux diuina oriatur, ideo *conuertere ſe homines* dicuntur *a tenebris ad lucem*, *actor. XXVI, 18.* Porro vbi fides in Chriſtum, ibi remiſſio eſt peccatorum, ſeu iuſtificatio, *actor. X, 43.* vnde & manifeſtum, quod non amplius ſint *filii irae*, ſed *filii Dei*, *Ioan. I, 12.* qui & ſpiritum τῆς υἱοθεσίας acceperunt, *Rom. VIII, 15.* Atque ita etiam in libertatem adſeruntur, ſecundum illud ſeruatoris: *ſi filius vos liberos fecerit, re ipſa liberi eritis*, *Ioan. VIII, 36.* Liberi enim ſunt, non tantum a maledictione, & imputatione peccati, ſed & ab eius dominio; quae tamen libertas a dominio peccati deinceps in renouatione magis augetur, & confirmatur, quo magis vis & efficacia prauarum propenſionum infringitur, & imminuitur, *Rom. VI, 12.* Et ipſa quoque renouatio ad ea quodammodo referri poteſt, ad quae homo per conuerſionem tranſit, licet non immediate hoc fiat, ſed mediate, cum remiſſio peccatorum ſeu iuſtificatio renouationem praecedat. Et ex iis quidem, quae diximus, intelligere licebit, quo ſenſu theologi Deum, *terminum* conuerſionis *ad quem obiectiuum*, ſtatum autem vitae ſpiritualis, & gratiae, cum iis quae huc pertinent, *terminum ad quem formalem*, adpellitent.

§. XXXV.

Cum ergo in conuerſione peccata, quae

deserimus, abolenda sint, atque destruenda, id quidem, vt, quo pacto fieri queat, intelligatur, distincte & de *actualibus* & *habitualibus* dispiciendum est. Illa namque cum in se spectata, morali quadam solum ratione exsistant, abolentur, si primo ea vt peccata, seu actus, quibus Deum grauissime offendimus, eiusque iram, hinc & maledictionem, aeternamque condemnationem promeriti sumus, agnoscamus, simulque serio detestemur, & dolore summo, quod ea admisimus, perfundamur. Intuitu autem culpae, quae illa comitatur, atque poenae, spectata, abolentur, cum vera fide meritum atque satisfactionem Christi adprehendimus, atque ita eorum remissionem obtinentes, Deo iterum reconciliamur.*

* Peccata actualia, in se spectata non aliter, quam morali quadam ratione, prout rata adhuc nobis sunt, & veluti adprobantur, exsistere, ad §. *praeced.* diximus. Quo quidem pacto spectata, non aliter quoque quam per retractationem quamdam, seu detestationem ea aboleri posse, manifestum est. Quae tamen detestatio etiam necessaria est, vt qua culpam pariter, ac poenam, tolli, atque aboleri possint. Cum autem nemo peccata sua retractare, aut detestari queat, nisi qui se peccasse credit; agnitionem peccatorum ad hoc requiri, nemo non intelligit. Nec qualiscumque agnitio ad hoc sufficit, sed talis adesse debet, ex qua detestatio ista exsistere queat. Quod tum demum fiet, si agnitio vera sit, & ad omnia peccata sese extendat, vt non tantum dicta & facta, sed & cogitata, omnesque animi motus, ad legem,

legem, ceu normam perfectissimam exigantur, seduloque adeo cogitetur, cum ὁ νόμος sit πνευματικὸς, *Rom. VII, 14.* perfectissimam etiam non externarum modo actionum, sed omnium cogitationum, motuumque cordis, obedientiam eam requirere; conf. *Matth. V, 20. seq.* Tum porro, si sit sincera, vt aliquis sibi non blandiatur, aut peccata sua, quae lex peccata esse ostendit, vel excusare, vel extenuare adnitatur. Quod Dauid rex sanctissimus indicat, *beatum* praedicans, *cui dominus non imputat iniquitatem, & in cuius spiritu non est dolus, ps. XXXII, 2.* Sed & ita comparatam esse oportet hanc agnitionem, vt peccata eiusmodi aberrationes a lege diuina esse agnoscamus, quae non possint non iram diuinam, maledictionem, mortemque temporalem, & aeternam peccanti attrahere, siquidem summa & infinita Numinis sanctitas & iustitia infinitum in modum per ea laedatur; conf. *Deut. XXVII, 26. Gal. III, 10.* Sequetur vero tum sponte sua studium sincerum, istas peccatorum sordes abstergendi; quod adeo itidem ad veram peccatorum agnitionem requiritur. Hoc enim si non accesserit, homo eiusmodi illi similis est, qui maculas faciei in speculo equidem videt, sed de iis remouendis parum est sollicitus; *Iac. I, 23. 24.* Eum ergo in modum si peccata agnoscuntur, non poterit non in voluntate cum summa *displicentia*, excitari *pudor*, *tristitia*, & *metus*, qui adfectus cum animum admodum adfligant, excrucientue, *contritionis* nomine venire solent. Constat namque, obligationis, quam lex secum vehit, hanc vim esse, ac efficaciam, vt, qui eam transgressus fuerit, statim quoque, se *poenae*, ac *culpae* reum esse, intelligat. Et ad culpam quidem quod attinet, per eam tum *maculam* quamdam, seu *labem*, quae per peccatum alicui adspergitur, tum ipsam peccati *imputabilitatem*, denotari, notum est. Quae conside-

ratio, cum de poenitentia sermo est, neutiquam est praetermittenda. Si enim peccatum vt macula, seu labes spectetur, summam eius foeditatem intelligemus, atque deformitatem, hinc & naturalis illius dignitatis, quae ex virtute oritur, imminutionem atque defectum. Inde non potest non *pudor* summus in animo excitari, quo perfunduntur, qui se peccasse sentiunt, quiue ad veram etiam, seriamque poenitentiam requiritur; conf. *Ezech. XVI, 63. XXXVI, 32. XLIII, 10. 11. Ierem. III, 3. 25. &c.* Quodsi vero *imputabilitas* in peccato spectetur, quam etiam culpae nomine venire diximus, non potest non inde maxima oriri *tristitia.* Dum enim conuincimur, ea quae admisimus, quibusue legem diuinam migrauimus, iure nobis imputari, hoc ipso nos damnamus ipsi, & sententiam velut ferimus, dignos nos esse, qui mala ista experiamur, quae peccantes manere solent. Atque huc morsus istos conscientiae referre licet, quippe qui in eo consistunt, quod ipsimet nos, ceu peccatores foedissimos, hominesque omni gratia ac fauore indignos, iudicamus, quia nouimus, nos ipsos omnia perpetrasse, eaque adeo iure, meritoque imputari nobis; conf. *psalm. VI, 3. XXXII, 3.* Non tantum autem culpae, sed poenae quoque rei sunt, qui legem diuinam violant. Ex ipsa namque iustitiae consideratione intelligitur, poenam a delicto separari non posse; adeoque, vbi peccatum est, non posse non consequi poenam. Cum enim Deus sit sanctissimus, vt a se remoueat omne, quod cum summa eius perfectione pugnat, iustissimum quoque esse oportet, vt detestetur in hominibus, & puniat, quae summae eius sanctitati aduersantur. Hinc vero in eo, qui peccata sua agnoscit, & cuncta adcurate secum reputat, non potest non *metus* excitari maximus. Hinc preces illae Dauidis:

dis: *domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira corripias me; psalm. VI, 2.* Atque hac quidem ratione licet peccata actualia retractentur, non ideo tamen culpa pariter atque reatus poenae tollitur, sed ad hoc porro requiritur, vt gratiam atque fauorem Numinis nobis conciliemus, & peccatorum omnium ab eo impetremus remissionem. Sed haec impetrari nequit, nisi iustitiae diuinae pleniſſime fuerit satisfactum: quam satisfactionem Christus seruator, agnus ille Dei, qui *totius mundi portat peccata, Ioan. I, 29.* pro nobis praestitit. Inde autem vt fructus ad nos redundet, fides accedere debet, qua meritum Christi adprehendamus, & ita satisfactionem eius nobis velut reddamus propriam. Ita namque Deum iterum propitium nobis experiemur, quippe qui peccatis nostris equidem offensus, simul tamen omnium hominum salutem serio cupit, modo ad agnitionem veritatis se perduci patiantur; *I. Tim. II, 4.* tum vero & per sanguinem Christi nobis reconciliatus, omnes vera fide ad se accedentes, in gratiam recipere paratus est; *II. Cor. V, 18. 19.* Sublata autem hunc in modum & culpa, & poena, tolluntur etiam, qui vtramque consequuntur, effectus. Hinc *pudor* cessat, siquidem, quidquid in homine foeditatis, aut deformitatis per peccata erat, per eorum remissionem absterſum est: vnde *purificati* dicuntur, *sanguine Christi, I. Ioan. I, 7. 9. Ebr. IX, 14.* Qua ratione & δόξαν illam, seu *gloriam*, vel *claritatem*, quam in Adamo amisimus, per Christum recuperamus, *Rom. III, 23. 24.* Cessat & *tristitia*, cum peccata, quae commisimus, non amplius vt nostra considerantur. Hinc peccata nostra *tegi* dicuntur, *psalm. XXXII, 1.* ne amplius in conspectu Dei adpareant, itemque *deleri, Esa. XLIII, 25. vt nubes & nebula dissipari, Esa. XLIV, 22. in profundum maris proici;*

Mich.

Mich. VII, 19. Tandem & ceſſante reatu poenae, non poteſt non ceſſare *metus*; ſiquidem qui remiſſionem peccatorum impetrarunt, *pacem habent cum Deo*, *Rom. V, 1.* eſtque in iis οὐδὲν κατάκριμα, *Rom. VIII, 1.*

§. XXXVI.

Pari ratione & peccata habitualia tum in ſe, prout peccata ſunt, tum intuitu culpae & poenae, itemque intuitu dominii ſpectata, per eorumdem agnitionem, & ob admiſſa contritionem, fidemque in Chriſtum, abolentur; ſed phyſice etiam conſiderata, per conuerſionem tranſitiuam, accedente deinceps renouatione, non equidem plane tolluntur, magis tamen magisque imminuuntur, ne illorum dominio homo regenitus ſit obnoxius; *Rom. VI, 12, 13. ſeq.*

§. XXXVII.

Vt ergo per regenerationem, ita & per conuerſionem magna in homine, qua omnes mentis facultates, ſpeciatim qua intellectum, pariter ac voluntatem, contingit mutatio, dum ille ab ignorantia, & erroribus, qui cum fide conſiſtere nequeunt, haec autem a prauarum propenſionum dominio, liberatur; ille porro luce & ſapientia, haec vero per fidem, amore Dei, ſtudioque ad eius voluntatem ſe componendi, imbuitur. Sed haec omnia de initio ſolum ſunt accipienda; cum incrementum

&

& gradus, qui deinceps accedunt, ad renouationem spectent.

§. XXXVIII.

Facile ex dictis colligere licet, duas tantum esse poenitentiae partes, proprie sic dictas, *contritionem* atque *fidem*. Peccatorum autem agnitio, sine qua nulla vera contritio esse potest, aut supponitur, aut in ea concluditur. * Qui vero vnam ex hisce partibus omittunt, aut alias substituunt, verae conuersionis ac poenitentiae indolem prorsus peruertunt.

* Per *contritionem* ipsam peccatorum detestationem, cum adfectibus cum ea coniunctis, pudore, tristitia, metu, plerumque intelligunt. Per istum enim pudorem, tristitiam, atque metum, cor hominis peccatoris, quantumuis durum & ferox, ita contunditur, vt tandem emolliatur penitus, atque mansuescat. Id vero etiam ex peccatorum agnitione prouenire, recte dicitur, quia ipsa illa peccatorum detestatio, cum adfectibus antea memoratis, originem inde ducit. Licet autem contritio effectus seu consequens quodammodo sit istorum adfectuum, quia tamen, si omnia recte se habent, ab iis separari nequit, non reprehendendi sunt, qui hacce voce, in generaliori significatione accepta, ipsam displicentiam, seu detestationem peccatorum, cum omnibus adfectibus, animique motibus eo spectantibus, comprehendunt. Quod vero diximus, per veram peccatorum agnitionem, hinc & pudorem, tristitiam, metum, cor hominis peccatoris eum in modum conteri, contundi, emolliri, scriptura subinde testatur, dum illorum, qui *contriti corde* sunt, mentionem facit, *psalm. LI, 19. Esai.*

Esai. LVII, 15. Et istam quidem contritionem partem poenitentiae esse, qui ea, quae ad §. *XXXV.* diximus, rite ponderauerit, non dubitabit. Etsi enim peccata, qua culpam & poenam spectata, per fidem in Christum tantum aboleantur, destruanturue; ad fidem tamen hancce nemo perueniet, nisi qui iram Dei, ceterosque peccatorum effectus, in animo suo senserit, & hinc vere contritus fuerit. Obtinet namque & hic illud seruatoris: *non egent valentes medico, sed male adfecti; Matth. IX, 12.* Neque ad Christum, ceu ad agnum illum Dei, qui mundi peccata tollit, magnopere properabunt, (quod tamen fidei munus est) nisi qui peccatorum onera grauissima sentiunt. Hinc & seruator ipse τοὺς κοπιῶντας & πεφορτισμένους, *laborantes & onustos*, hoc est, onera peccatorum sentientes, seu contritos, ad se venire iubet, quippe quos recreare velit; *Matth. XI, 28.* Taceo, quod ex vera peccatorum agnitione, sine qua nulla mentis mutatio, adeoque poenitentia nulla esse potest, non possit non eorum detestatio, atque simul contritio, fluere. Lubens interim fateor, vt pudoris, tristitiae & metus, ita & contritionis diuersos in diuersis esse gradus. Multa enim obstant, quo minus haec vna eademque ratione in omnibus sese habeant; quemadmodum & in quibusdam conuersio ipsa celerius, sed plerumque cum motibus vehementioribus, in aliis tardius, lentiusque procedit. Sed tamen, quocumque modo haec sese habeant, vera seriaque adesse debet contritio, quod & res ipsa postulat, & scriptura sacra testatur. Vel Dauid rex sanctissimus exemplo esse potest, qui subinde animi dolorem, quem ob peccata sensit, verbis exprimere vix potest, *psalm. VI, 3. 4. XXXI, 10. 11. XXXII, 3. 4. LI, 10.* Sic & Petrus, cum lapsus grauitatem in mentem sibi reuocaret, ἔκλαυσε πικρῶς, *fleuit amare; Matth.*

Matth. XXVI, 75. Ne vero in re tanti momenti fallamur, discrimen, quod inter naturam & gratiam intercedit, & hic probe & adcurate est obseruandum. Non quaelibet enim tristitia, aut quilibet dolor, salutaris illa contritio est, quae ad poenitentiam requiritur. Interdum enim ex caussis naturalibus tristitia quaedam oritur; quod si eo tempore contingit, quo forte more consueto homines in eo sunt, vt peccatorum confessionem edant, statim sibi persuadent, veram hanc esse contritionem, doloremque diuinitus in se esse excitatum. Interdum & inde tristitia quaedam exsistit, quando voluptatibus, aut aliis mundi huius rebus, quibus mortales cupiditates suas pascere solent, iis carendum, aut aduersa quaedam, carnique parum grata, subeunda sunt. Atque haec est ἡ τοῦ κόσμου λύπη, *tristitia mundi, quae*, iudice Paulo, θάνατον κατεργάζεται, *mortem parit*, *II. Cor. VII, 10.* Ab vtraque, tum naturali, tum huius mundi tristitia, multum diuersa est ἡ κατὰ θεὸν λύπη, quae Deum ipsum auctorem agnoscit, & ex vera, sinceraque peccatorum agnitione oritur, adeoque cum studio, ab eorum sordibus animum expurgandi, est coniuncta, quae, vt idem apostolus dicit, μετάνοιαν εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητον κατεργάζεται, *poenitentiam ad salutem, cuius numquam quemquam poeniteat, efficit.* Sunt vero haec omnia, quae de contritione diximus, de poenitentia, quam vocant, lapsorum intelligenda, in qua & tantum vsus legis sese exserit. In poenitentia vero stantium paullo aliter se rem habere, ex iis, quae suo loco dicemus, manifestum fiet. Alteram, eamque praecipuam poenitentiae partem, fidem in Christum esse, vel inde liquet, quod praecipuum in poenitentia sit, vt Deus, quem, qui peccant, merito iratum sibi experiuntur, iis reconcilietur, propitiusque reddatur; quod aliter fieri non

potest,

potest, quam per fidem in Christum. Accedit porro, quod per poenitentiam ex statu irae in statum gratiae transferendi simus, quod tantum per fidem fieri posse, notum est, *Ioan. III, 36.* In poenitentia ad Deum ipsum, ceu summum bonum, vt cum eo iterum vniatur, homo adducendus est. Sed per solam fidem aditus ad Deum nobis patet, siquidem in Christo habeamus παῤῥησίαν καὶ τὴν προσαγωγὴν ἐν πεποιθήσει, διὰ τῆς πίστεως αὐτοῦ, *Ephes. III, 12.* Hinc &, cum poenitentiae vox stricte pro contritione accipitur, fides statim ei adiungitur, vt *Marc. I, 15.* cum sine fide ad effectum suum, qui est hominum salus, pertingere nequeat; aut, si in latiori significatione vsurpatur, fides includitur, iis quidem in locis, vbi tamquam medium perueniendi ad salutem proponitur, quippe quod alibi, vt *Marc. XVI, 16. Ioan. III, 16.* diserte fidei tribuitur.

§. XXXIX.

Propositum non peccandi, siue noua obedientia, non pars, sed consequens conuersionis, seu poenitentiae est; idque si habituale sit, immo & actum ipsum, qui amore Numinis concitatur, ex fide potius, quam ex contritione, profluere, recte moneri solet. *

* Non tam partem, quam consequens potius conuersionis, seu poenitentiae esse, vel inde constat, quod per *fructus poenitentiae* describatur, cum Ioannes dicit: *facite fructus dignos poenitentia, Matth. III, 8.* Si poenitentiae vox tam late sumatur, vt ipsos fructus seu effectus complectatur, posset etiam noua obedientia pars eius vocari. Cum autem quaeritur, num ex contritione, an fide, propositum illud non peccandi, seu noua obedientia oriatur? negari equidem nequit, vbi vera est peccatorum detestatio, ibi non posse esse

esse propositum amplius peccandi, & adeo hactenus eum contritione coniunctum esse propositum non peccandi, seu actum illum animi, quo a peccatis inposterum quoque perpetrandis abhorremus. Prout autem per propositum non tam actus quidam animi, sed habitualis a peccatis perpetrandis auersio, seu seria, & constans, efficaxque voluntas, mala quaeuis fugiendi, bona autem quaeuis consectandi, intelligitur, aut etiam eiusmodi actus, qui pro fundamento Numinis amorem habet, hoc est, quod Numinis amore inductis fugere mala, bonaue consectari constitutum sit; ex fide potius, quam contritione illud deriuandum esse, dubio caret; quippe quae sola, vt fons, & scaturigo omnis vitae spiritualis vires eiusmodi spirituales suppeditare potest.

§. XL.

Ad causas conuersionis quod attinet, Deum, & quidem solum Deum esse, qui homines regenerat, atque conuertit, constat. * Id autem per verbum suum, tum legis, tum euangelii efficit; siquidem peccatorum agnitio, atque contritio ex lege oritur, quemadmodum fides in Christum per euangelium excitatur. Atque hinc intelligitur, quo pacto & verbi diuini ministri huc aliquid conferant. ** Calamitates publicae, atque priuatae, hominem solum disponunt, vt eo diligentius ad verbum diuinum attendat, idque eo facilius admittat.

* Notum hoc iam est ex iis, quae supra diximus. Regenerationis enim, & conuersionis seu poenitentiae hac in re vna, eademque est ratio.

** Per legem nimirum venit peccatorum agnitio, vt Paulus diserte docet, *Rom. III, 20. VII, 7.*

quae si recte se habeat, non potest non, secundum ea, quae supra dicta sunt, peccatorum detestationem, atque adeo contritionem producere. Non tantum enim lex, quid peccatum sit, ostendit, sed foeditatem etiam eius, & omnia, quae illud consequuntur, iram, & maledictionem Dei, mortemque aeternam & temporalem, nobis ante oculos ponit; *Deut. XXVII, 26. Gal. III, 10.* Qua quidem ratione in animo hominis, serio ad talia attendentis, non potest non excitari pudor, tristitia, metus, quibus animus velut conteritur, & emollescit. Vnde lex *mallei* instar esse dicitur, *petram conterentis*, *Ierem. XXIII, 29.* conf. & *psalm. XXIX, 5.* Vt autem lex est concio irae, ita euangelium est concio gratiae, promissiones diuinas, de gratia Dei, & remissione peccatorum per meritum Christi impetranda, exhibens. Quae promissiones cum vniuersales sint, neminemque mortalium excludant, homo grauitatem delictorum suorum agnoscens, iramque Dei sentiens, & inde contritus, & perterrefactus, eas vt ad se quoque pertinentes, arripit; & ita fides, speciatim fiducia in meritum Christi, in eo excitatur. Cum vero quaeritur, num contritio ex sola lege proueniat, an vero euangelium aliquid conferat? discrimen, quod inter poenitentiam *lapsorum* & *stantium* intercedit, probe est obseruandum. De illa si sermo sit, certum est, quod contritio ex sola lege proueniat; cum in peccatorum agnitione, & adfectibus hinc fluentibus, nihil reperiatur, quod non ex sola lege deriuari queat, & debeat. Ea quoque hactenus veri nominis esse potest contritio, etsi ad poenitentiam non sufficiat, nec adeo salutaris sit, nisi fides accedat; quod vel exemplo Iudae proditoris patet. Sin de poenitentia stantium sermo sit, negari nequit, quin & euangelium aliqua ratione ad contritionem aliquid, quamuis indirecte solum,

ſolum, conferat. Quo luculentius enim per promiſſiones euangelicas magnitudinem amoris diuini homines iam regeniti intelligunt, eo acrius ad Deum iterum, vt decet, amandum exſtimulantur, eoque maiori perfunduntur & pudore, & dolore, quod peccatis ſuis patrem ſuum benigniſſimum offenderint. Adfectuum namque haec eſt natura, & indoles, vt, ſi diuerſi, immo & contrarii concurrant, vnus alterum magis excitet. Haec vero in poenitentia lapſorum, vbi fides, ex qua amor Dei fluit, contritionem demum conſequitur, locum non inuenire, manifeſtum eſt. Atque hinc facile intelligitur, quo ſenſu admittenda ſit diſtinctio, quam nonnulli adferunt, inter contritionem *legalem*, & *euangelicam*; itemque, quousque admittendum, quod alii dicunt, maximum eſſe diſcrimen inter contritionem, quae ex ſolo metu irae diuinae atque poenae oritur, & inter eam, quae ſimul ex amore Numinis, adeoque ex euangelio originem trahit. Eſt enim omnino haud leue inter vtramque diſcrimen; ſed ita tamen hoc capiendum, quod in poenitentia lapſorum contritio tantum ex lege procedat; & nihilominus vera ſit contritio, etſi tum demum ſalutaris fiat, ſi fides accedat. Ceterum cum miniſtri eccleſiae verbum legis & euangelii adnuntient, hos etiam certa quadam ratione inter cauſſas conuerſionis referri poſſe, patet.

§. XLI.

Atque Deum quidem in ipſo opere conuerſionis, ſpeciatim eius initio, omnia, hominem autem nihil agere, mirum non eſt, cum homo, qui conuertitur, mortuus ſit in peccatis, *Epheſ. II, 1. Coloſſ. II, 13.* adeoque ad res ſpirituales etiam recte cognoſcendas,

multo magis perficiendas, nulla ratione idoneus, *I. Cor. II, 14. II. Cor. III, 5.* hinc & sub peccati seruitute constitutus, libero in spiritualibus arbitrio prorsus destituatur; *Rom. VI, 16.* Interim tamen vt mediis gratiae, quibus conuersio eius promouetur, recte vtatur, in eius positum est potestate.

§. XLII.

Operatio ista Numinis, qua hominem regenerat, atque conuertit, *gratiae* nomine venire solet, cum ex amore eius paterno, propitioque erga homines fauore, procedat. * Cumque diuerso sese exserat modo diuersas quoque eius species constituere licet; estque alia *praeueniens*, quae hominis voluntatem praeuenit, excitat, praeparat; alia *operans*, qua motus homo iam conatu quodam, sed languido, ad Christum tendit; alia denique *cooperans*, qua Deus cum viribus homini iam collatis, ad aliquid perficiendum concurrit. **

* In scriptura hanc vocis *gratiae* significationem occurrere, vel ex *I. Cor. III, 10.* itemque *XV, 10.* patet.

** Cum benigna illa Numinis operatio, qua homines illuminat, conuertit, fidem in iis producit, auget, corroborat, quae *gratiae* nomine hic venit, pro obiectorum & effectuum diuersitate, diuersas quoque denominationes sortiatur; hinc diuersae etiam gratiae huius species a theologis constitui solent. Mihi illorum placet sententia, qui gratiam in *praeuenientem*, *operantem*, & *cooperantem*, dispescunt.

ſcunt. Alii eodem fere ſenſu in *adſiſtentem*, & *inhabitantem* diuidunt, ſub adſiſtentis nomine *praeuenientem*, & *operantem* comprehendentes. Per *gratiam praeuenientem* primi motus in homine excitantur, quibus ſi locum relinquunt, conuerſio deinceps ſubſequi poteſt; hinc & quandoque *gratiae excitantis* nomine venit. Solet tamen per *gratiam praeuenientem* & ſingularis iſta Numinis directio intelligi, qua homini occaſio ad verbum diuinum cum attentione audiendum vel legendum, vel alia ratione, conuerſionem promouendam, ſuppeditatur. Et hoc quidem pacto diſcrimen etiam aliquod inter gratiam *praeuenientem*, & *excitantem*, conſtitui poſſet; ſi illa directionem iſtam Numinis ſingularem, qua externas περισπάσεις, haec autem piorum ſanctorumque motuum, & cogitationum excitationem, denotaret. Quam *praeuenientem* vocamus, alii etiam *praeparantem* dicunt; quamuis alii rurſus hac voce eiusmodi Numinis operationem intelligant, qua homo per motus & cogitationes pias, iam velut ex ſomno profundo excitatus, diſponitur, vt iis magis inhaereſcat, & ex variis, quibus circumſeptus eſt, difficultatibus, incipiat eluctari. Facto ita conuerſionis initio, cum Deus operatione ſua beneuola hominem eo deducit, vt iam cum contritione fidem quamdam animo concipiat, & hac ratione, quamuis languide, ad Chriſtum ſeruatorem accedat, gratia illa *operans* vocatur; quam rurſus nonnulli ad ipſum conuerſionis initium referunt. Tandem, cum homo viribus ſpiritualibus iam inſtructus, ipſemet aliquid operatur, vt & gratia diuina ſimul concurrat, gratia *cooperans* inde reſurgit; quam tamen nonnulli tum demum locum habere putant, cum homo iam conuerſus, in renouatione, ſeu ſanctificatione, progreditur.

§. XLIII.

Vt autem sedulo cauendum, ne homini tribuamus, quae solius Dei sunt; ita contra neutiquam existimandum, Deum secundum potentiam suam absolutam, & cui nemo resistere queat, hic agere. Id enim & cum natura hominis, & cum summa Numinis sapientia e diametro pugnat. Cum ergo homines non conuertuntur, id non Deo, sed sibi ipsis imputent, eo quod gratiae diuinae resistunt, quod vtique non vna eademque fit ratione. * Grauissimas vero eos habere causas, ne resistant, dubitari prorsus nequit. **

* Si Deus secundum potentiam absolutam cum hominibus agere vellet, nemo vtique ei resistere posset. Secundum istam enim potentiam etiam *ex lapidibus* potest *excitare filios Abrahamo; Matth. III, 9.* Sapientiae vero diuinae omnino est conueniens, vt cum hominibus secundum certum ordinem agat; eo scilicet modo, quo humanae naturae id postulat indoles. Quantumuis enim per peccatum valde corrupti sint homines atque deprauati, homines tamen sunt, minime autem bruta, aut ligna, aut lapides. Eoque magis sapientiae Numinis hoc est conueniens, quod idem bonitas, immo iustitia, adeoque & sanctitas eius postulet. Certe si homines nulla ratione gratiae diuinae resistere possent, causa, cur plerique non conuertantur, & saluentur, quin potius damnentur, non in ipsis hominibus, sed in solo Deo quaerenda esset. Et quis tum iure damnatos adserat, qui, quo minus in incredulitate permanerent, hinc & damnaren-

mnarentur, impedire non potuerunt. Paucis: sequetur inde, plerisque mortalium in aeternum pereundum esse, quia Deus eos conuertere noluit. Suffragantem porro nobis habemus scripturam sacram, quae diserte docet, non penes Deum, sed penes homines stare, quod plurimi non conuertantur, quoniam scilicet gratiam diuinam non admittunt, sed illi resistunt. Subinde enim Deus conqueritur, quod vocauerit homines, sed ipsi venire noluerint; *prou. I, 24. Esa. LXV, 12. LXVI, 4. Ierem. VII, 13.* De scribis & pharisaeis adseritur, quod consilium Dei de salute sua spreuerint; *Luc. VII, 30.* De Iudaeis seruator dicit, se voluisse eos congregare, vt gallina pullos suos, *sed ipsos noluisse; Matth. XXIII, 37.* & de iisdem Stephanus, quod *spiritui sancto resistant; actor. VII, 51.*

** Si enim resistunt, non conuertuntur, adeoque culpa sua pereunt, cum *ira Dei maneat super eos*; *Ioan. III, 36.* Accedit praeceptum diuinum, *Ezech. XVIII, 30. 31. actor. XVII, 30.* itemque promissio gratiae, maximorumque beneficiorum, illis, qui conuertuntur, facta; *Ezech. XVIII, 22. 23. Malach. III, 7. actor. II, 38.* Nimirum ex vna parte considerandа probe & adcurate expendenda sunt incommoda maxima, quae impios etiam in hac vita premunt, & poenae grauissimae, acerbissimaeque, quae eos, nisi conuertantur, post hanc vitam manent: ex altera parte autem commoda praestantissima, quae illi, qui conuertuntur, consequuntur, quod tranquillitatem conscientiae habeant, & pacem cum Deo, *Rom. V, 1.* quod filii Dei sint, *Ioan. I, 12.* & omnia, quae illis salutaria sunt, a Deo impetrare queant; *Rom. VIII, 32.* & denique quod, si in fide perseuerent, spem certam habeant hereditatis caelestis; *Rom. VIII, 17*

I. Petr. I, 4. quo nomine & in hac vita merito beati praedicantur; *Rom. VIII*, 24.

§. XLIV.

Si homines regeniti atque conuersi eo statu, in quem peruenerunt, per peccata proaeretica, quod fieri potest, excidant, aditus quidem iis per iteratam conuersionem ad eumdem statum patet; sed magna tamen hic opus est cautione, ne quis se ipsum fallaci decipiat specie. Nihil quoque obstat, quo minus aliquis etiam circa finem vitae serio ad Deum conuertatur, etsi hominis longe imprudentissimi sit, eousque vitae emendationem differre, cum maximis grauissimisque ea mora non possit non obnoxia esse periculis. *

* Non esse ἀδύνατον, vt quis circa vitae finem adhuc conuertatur, modo in eo adhuc statu versetur, vt verbum diuinum capere & intelligere, vel eius vim in animo suo percipere queat, res ipsa docet. Non enim video, quid obstet, quo minus per contritionem & fidem, eiusmodi mentis mutatio in eo fiat, qualem poenitentia requirit; quamquam ob vitae antea actae conditionem, aliasque causas, in quibusdam facilius hoc fieri queat, quam in aliis. Quodsi vero in homine tum nihil est, quod conuersionem impediat, multo minus in Deo quidquam deprehenditur, quo minus eum in gratiam recipiat. Hoc gratia illa vniuersalis, toties in scriptura sacra adserta, & a nobis comprobata & adstructa, postulat. Hinc & Deus diserte peccatoribus, qui conuertuntur, omni tempore se veniam admissorum impertiturum pollicetur; *Ezechiel. XXXIII*,

XXXIII, 11. seq. Comprobat idem exemplum latronis istius, qui vna cum Christo cruci adfixus est, quippe qui, cum morte iam imminente peccata sua detestatus, Christumque mundi seruatorem vera fide amplexus esset, remissionem peccatorum statim impetrauit, vt & eodem adhuc die paradisum eum ingressurum, seruator illi adfirmaret: *amen, amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso, Luc. XXIII, 43.*

§. XLV.

Quo grauius, quae hactenus exposuimus sacrae doctrinae capita, ad salutem hominum pondus habent, eo maiori periculo se exponunt, qui hic in diuersa abeunt, siue fidem, exclusa notitia, in solo adsensu, vel in obedientia ipsa ponant, vel omnino fidem quamdam sibi naturalem fingant, aliaue ratione non recte de ea censeant; siue de regeneratione ita sentiant, vt mutationem, quae per eam in homine contingit, vel nimis extenuent, vel vltra, quam par est, extendant; siue denique ad conuersionem aut ea referant, quae ad eam non pertinent, aut quae pertinent, ab ea excludant, vel etiam aut hominibus plus quam decet, aut Deo, quae non debebant, tribuant. Quorum quidem errorum vt diuersa est ratio, ita diuersos quoque fontes esse, facile tamen ex dictis detegendos, nemo non intelligit.

§. XLVI.

Sed quantumuis hic facilis in deuia ex

vtraque parte lapsus sit, semper tamen exstiterunt, qui vtrumque extremum caute euitando, recto tramite incederent, & illibatam ita veritatem conseruarent, & ad nostram vsque aetatem propagarent. Quod eo diligentius adcuratiusue subinde factum, quo saepius per varia certamina veritas in discrimen adducta fuit.

§. XLVII.

Sunt etiam haec ita comparata, vt sine praxi in ipsa vita christiana sibi non constent. Ad *fidem* namque quod attinet, parum iuuat, de fide disceptare, nisi vera fide ipsimet praediti simus. Hoc ergo est, quod quisque merito sibi datum credit, vt se ipsum, an vera fide praeditus sit, adcurate exploret; *II. Corinth. XIII, 5.* Quod tum demum rite procedet, si implorato Numinis auxilio, *psalm. CXXXIX, 23. 24.* ad characteres verae fidei diligenter attendat, quales sunt, quod corda purificet, *actor. XV, 9.* sordesque vitiorum ex animo expellat, *II. Cor. VII, 1. Ebr. IX, 14. I. Ioan. II, 3. 6. 10.* quod per caritatem sit efficax, *Gal. V, 6.* ad obedientiam Deo in omnibus praestandam hominem incitet, *Ioan. XIV, 23. XV, 9. 10.* eum denique aptum reddat, vt mundum vincat; *I. Ioan. V, 4. 5.*

§. XLVIII.

Ex doctrina de *regeneratione* tum demum fructum, quem inde sperare fas est, referemus,

mus, si itidem nos exploremus, an reuera in statu regenerationis constituti simus. Tum vt in eodem perseueremus, & nouum hominem, qui per eam productus est, nouis etiam quotidie augeamus incrementis; *Ephes. IV, 23. 24.* Cumque per regenerationem in numerum filiorum Dei recipiamur, Deum quoque ceu patrem nostrum nos imitari decet, *Ephes. V, 1. Matth. V, 48.* cumprimis & animum filialem vbique prodere; *Rom. VIII, 15.* cumque ex spiritu nati simus, *Ioan. III, 6.* secundum spiritum quoque ambulemus, *Rom. VIII, 1.* & per spiritum τὰς πράξεις τῦ σώματος suffocemus, *Rom. VIII, 13.*

§. XLIX.

Denique & doctrina de *conuersione* vsu suo non carebit, si itidem, an conuersione adhuc opus habeamus, sincere inquiramus; obseruato, vt par est, discrimine inter poenitentiam *lapsorum & stantium.* Expendenda etiam serio, simulque remouenda, verae poenitentiae impedimenta, vt, cura & amor huius mundi, *Luc. XIV, 16. seq.* suffocatio piorum motuum seu neglectus gratiae praeuenientis, *prou. I, 24. 25. Matth. XXIII, 37.* poenitentia adparens, seu hypocritica, *Es. LVIII, 2. Mich. VI, 6. 7. Hos. VII, 6.* fiducia carnalis in misericordiam Dei & meritum Christi, *Ierem. II, 33.* itemque in cultum Dei externum, *Es. I, 2. seq.*

seq. Ierem. VII, 4. seq. & quae alia sunt, eiusdem generis. Accedunt ad haecce impedimenta generalia, plurima specialia, quae enumerare huius loci non est.

LIBRI QVARTI
CAPVT QVARTVM
DE
IVSTIFICATIONE HOMINIS PECCATORIS CORAM DEO.

Σύνοψις.

FIdes, quae per regenerationem producitur, eo proxime tendit, vt homo peccator coram Deo iustificetur, §. I.

Quo pacto vox iustificatio hic accipiatur? §. II.

Homo coram iudicio diuino consideratur, qualis est; aliter tamen in se, aliter in Christo, ceu sponsore, §. III.

Qualis homo sit ante iustificationem? §. IV.

Qualis post iustificationem? §. V.

In ipso processu iustificationis sese primo offert Deus ceu iudex, & quidem pater, filius, & spiritus sanctus, §. VI.

Caussa impulsiua iustificationis, tum interna, tum externa; vbi & de imputatione meriti Christi, §. VII.

Ab homine ipso nihil ad eius iustificationem proficiscitur, aut proficisci potest, §. VIII.

Fides tamen adesse debet, quae meritum Christi adprehendat, adeoque pro caussa instrumentali recte habetur; praeter fidem autem nihil ex parte hominis ad iustificationem concurrit, §. IX.

Fides ista qualis esse debeat, §. X.

Forma iustificationis in quo consistat, §. XI.

Ea

Ea ratione omnes, qui saluantur, iustificari debent, nec datur alius modus ad salutem perueniendi, §. XII.

Inter bona, quae iustificationem consequuntur, primum locum tenet pax spiritualis, §. XIII.

Tum sequitur adoptio in numerum filiorum Dei, §. XIV.

Porro spiritus sancti inhabitatio, §. XV.

Acriter vera de iustificatione doctrina omni tempore fuit impugnata; errores praecipui ad certas classes reuocantur, §. XVI.

Mirifice tamen semper haec doctrina fuit conseruata, & ad nos propagata, §. XVII.

Vsus eius in praxi vitae christianae, §. XVIII.

§. I.

FIdes, quae per regenerationem, conuersionemque producitur, eo proxime tendit, vt homo per meritum Christi remissionem peccatorum impetret, adeoque coram Deo iustificetur, & ita in numerum filiorum Dei recipiatur. Hoc ergo quo pacto fiat, postquam de fide, deque regeneratione ac conuersione diximus, nobis nunc edisserendum est.

§. II.

Cum autem vox *iustificare* saepissime in scriptura sacra occurrat, tum alias, tum & quoties de hominis peccatoris coram tribunali diuino iustificatione sermo est, non aliter, quam in forensi significatione adhibetur, atque eiusmodi actum denotat, quo Deus hominem peccatorem, sed regenitum, adeoque vera fide meritum Christi adpre-

adprehendentem, innocentem, & ab omni reatu peccatorum liberum, hinc & filium Dei, atque heredem vitae aeternae, pronuntiat.

§. III.

Praeterea cum & *iudicium Dei secundum veritatem sit*, *Rom. II, 2.* fieri aliter nequit, quam vt homines, quales sunt, tales etiam esse pronuntiet. In se ergo spectati, cum omnes peccatores sint, non aliter quoque in iudicio diuino de illis pronuntiari potest. * At in sponsore Christo considerati, aliam merito sententiam exspectant; cum nihil tum obstet, quo minus Deus eos & a peccatis absoluere, atque ius vitae aeternae illis adiudicare queat. **

* In se ergo, hoc est, vt peccatores, quales natura omnes sumus, *Ephes. II, 3.* spectati, nihil aliud, quam sententiam mortis, & aeternae condemnationis exspectare possunt; quam Deus etiam in legis transgressores iam pronuntiauit; *Gen. II, 17.* Hoc & eleganter Paulus docet, & serio inculcat, viam sibi hac ratione, ad veram iustificationis indolem explicandam, muniens, dum omnes, & Iudaeos, & Graecos, nemine excepto, *sub peccato esse*, contendit, vsque adeo, *vt omne os obstrui debeat, & totus mundus obnoxius sit condemnationi Dei*; *Rom. III, 9. 19.* Atque hic legis recte intellectae vis vel maxime se exserit, adcusatoris vicem sustinens, iramque Numinis, mortem, & aeternam damnationem in omnes & singulas transgressiones denuntians; suffragante & conscientia, legisque accusationem, immo & damnationem, ceu iustam & ineuitabilem adprobante; *Rom. II, 15. Colos. II, 14.* ** In

** In sponsore Christo non aliter homines considerari possunt, quam prout meritum eius vera fide adprehenderunt, eaque ratione iustitiam eius sibi fecere propriam, quae adeo est *iustitia fidei*, seu, quam per fidem in Christum habemus, *Phil. III, 9.* & δικαιοσύνη θεοῦ, *iustitia Dei*, hoc est, quae sola Deo placet, vocatur; *Rom. III, 21. 26.* Cum autem nemo fidem habeat, nisi sit regenitus, sequitur, & solos regenitos in Christo sponsore considerari posse, eosque esse, qui iustificantur, seu peccatorum remissionem consequuntur. Nihil vero obstare, quo minus Deus homines hac ratione iustificet, & a peccatis absoluat, tum inde constat, quod Christus, ceu sponsor, pro hominibus perfecte satisfecerit; tum ex eo, quod, quaecumque Christus fecit, hominum caussa fecit, quibus adeo, si modo ipsimet hocce beneficium acceptare velint, optimo iure cuncta, quae Christus praestitit, imputantur.

§. IV.

Hoc vero vt eo rectius intelligatur, hominem, primum ante iustificationem considerare iuuat. * Atque tum quidem vt maleficorum pessimum se nobis sistet, qui se irae ac maledictioni diuinae obnoxium, non tantum temporales poenas quasuis, quantumuis asperas, sed mortem etiam, aeternosque cruciatus omnes, promeruisse, agnoscit. Nec aliter, si legem, quae obedientiam exactissimam requirit, sique iustitiam diuinam spectes, esse potest. **

* Dum hominem primum ante, tum post iustificationem consideramus, idem hoc est, ac quod alii docent, in iustificatione tum *terminum a quo*, tum *terminum ad quem*, in censum venire. Certum

tum enim est, in homine, qui iustificatur, mutationem quamdam contingere, non quidem talem, qua noua qualitas, ipsi homini inhaerens, producatur, sed qua homo ex statu irae & condemnationis, in statum gratiae & absolutionis transfertur, quam forte *forensem* dicere possis. Summopere itaque differt mutatio illa, quae in regeneratione & renouatione contingit, ab ea, quae in iustificatione locum inuenit. Illa tamen, quae per regenerationem exsistit, in iustificatione supponitur, cum nemo, vt antea iam dictum, iustificetur, nisi qui sit regenitus. Ad iustificationem enim fides requiritur; fides autem per regenerationem producitur.

** Atque hinc quidem, quis *terminus*, quem vocant, *a quo* iustificationis sit, intelligitur. Cum homo ante regenerationem consideratur, ita spectatur, prout mortuus est in peccatis, & omni vita ac viribus in spiritualibus destitutus. Ante iustificationem autem consideratus, relatio illa, quam peccatum ad iudicium diuinum praecipue habet, in censum venit. Atque huc pertinent consequentia illa peccati, *culpa* & *poena*, seu vt aliis loqui placet, *reatus culpae* & *poenae*. Qui *terminum a quo* iustificationis ipsa peccata, tum originale, tum actualia, statuunt, a nobis re ipsa non dissentiunt, cum peccata intelligant, prout in iudicio diuino considerantur.

§. V.

At per iustificationem idem innocens declaratur coram tribunali diuino, scelerumque purus, adeoque & iustus, non quidem ob propriam, seu inhaerentem iustitiam, sed alienam, seu sponsoris Christi: qui, vt omnia fecit, quae ad iustificandos homines, in eum credentes, pertinent, ita & haecce eius iustitia homini recte imputatur,

putatur, vt per eam iustus innocensque reputetur coram Deo. *

* *Terminus* itaque *ad quem* iustificationis est immunitas a reatu culpae & poenae. A *culpa* nimirum dum homo liberatur, foeditas illa moralis cessat, vt non amplius abominabilis sit in oculis Dei, *Es. I, 18. I. Ioan. I, 7.* Non minus & ab *imputabilitate* liberatur, dum peccata remittuntur, & ita considerantur, ac si non perpetrata essent. Vnde *tegi* peccata dicuntur, ne amplius adpareant, *psalm. XXXII, 1. Rom. IV, 7.* & in *profundum maris proiici, Mich. VI, 19.* Denique & *poena* omnis cessat; cum, remisso peccato, non possit non remitti etiam poena. Hinc οὐδὲν κατάκριμα *est in illis, qui sunt in Christo Iesu; Rom. VIII, 1.* Quae autem iustificatis obueniunt calamitates, non poenae sunt, sed paternae castigationes; *Ebr. XII, 6. 7.* Sunt &, qui ad *terminum ad quem* iustificationis ius filiorum Dei, pacem conscientiae, & inhabitationem spiritus sancti, referunt. Sed haec, cum sint consequentia iustificationis, non nisi mediate huc pertinent.

§. VI.

Iam, si ipsum processum in hocce iudicio spectemus, primum quidem *iudex* sese nobis offert, qui Deus est, *Esa. XLIII, 25. Rom. VIII, 33.* Hic enim cum solus ius habeat, potestatemque, peccatores puniendi, solus etiam ius habet, poenas promeritas illis remittendi, siquidem *iudex* est *totius vniuersi, Rom. III, 6. vnicusque ille legislator, qui seruare potest, ac perdere; Iacobi IV, 12.* quamuis iure suo hocce non aliter, quam vt bonitas & iustitia eius permittit,

vtatur. De Deo autem triuno, adeoque omnibus & singulis diuinitatis personis, quod diximus, est intelligendum, patre, filio, atque spiritu sancto. Nec quidquam obstat, quo minus vna persona diuerso intuitu, & iudicis, & sponsoris nomine veniat. *

* Ad omnes tres personas diuinitatis iudicium hoc spectare, vel inde intelligitur, quod facultas & legislatoria, & iudiciaria, neutiquam eiusmodi quid sit, quod vni personae sit proprium. Addunt alii, actionum internarum, seu immanentium, eamdem esse indolem, ac eorum operum, quae in scholis theologorum *ad extra* vocari solent. Hinc & speciatim patri tribuitur, vtpote *iustificanti eum, qui est ex fide Iesu, Rom. III, 26.* adde *II. Cor. V, 19.* Immo, cum filius sponsoris & aduocati munere fungatur, spiritus autem sanctus fidem in hominibus operetur, qua meritum Christi adprehendere possint; patrem specialiori quadam ratione vt iudicem considerari posse, recte inde colligitur. Non tamen solus pater, sed filius etiam atque spiritus sanctus iudicis hic officio, quippe quod, vt antea dictum, omnibus tribus personis commune est, funguntur. Hinc & filius vt iudex nobis sistitur, *Ioan. V, 22. 27.* ipseque sibi vindicat potestatem remittendi peccata; *Matth. IX, 2. 6. Luc. VII, 47. seq.* Quin & sollemne illud & vniuersale iudicium, quo publice & in conspectu omnium hominum, quinam iustificati sint, aut non sint, manifestabitur, filio traditum est, *act. XVII, 31.* Nec obstat, quod filius sponsoris, seu μεσίτου simul munere fungatur. Vt enim in rebus humanis contingit, vt vnus homo duplicem sustineat personam moralem; ita etiam in oeconomia salutis nostrae personae diuinae varias possunt habere

bere σχέσεις, quarum vna non statim tollit alteram. Hinc itaque & Christus, tum vt *caussa efficiens*, tum vt *caussa meritoria*, vel vt aliis loqui placet, tum vt *caussa efficiens physica*, tum vt *caussa efficiens moralis*, in hocce iudicio considerari potest. Pari ratione & spiritus sanctus, cum patre & filio, iudicis munere fungitur. Ideoque de Corinthiis Paulus dicebat, eos *per spiritum Dei nostri iustificatos esse*, *I. Cor. VI, 11.* Concurrit tamen & ipse iterum specialiori quadam ratione, non tantum fidem in credentibus operans, qua meritum Christi adprehendunt, sed & sententiam absolutoriam, in iudicio diuino pronuntiatam, animis eorum indicans, eosque confirmans, obsignans, tranquillans, *I. Corinth. II, 12. II. Corinth. I, 21. 22. testimonium perhibens vna cum spiritu fidelium, eos esse Dei filios*, adeoque cum Deo reconciliatos; *Rom. VIII, 16.*

§. VII.

Vt autem sola sua benignitate, propitioque fauore inductus Deus, * propter alienam, seu Christi iustitiam, homines iustos declarat; ita aliena haecce, seu Christi iustitia, plane necessaria fuit, vt Deus, salua iustitia sua, hoc facere posset. ** Hanc vero Christi iustitiam, seu obedientiam, tum actiuam, tum passiuam, credentibus Deus imputat, quemadmodum Christo hominum peccata imputauit. Qua quidem ratione iustitia Christi recte *nostra iustitia* dicitur, seu *Christus nobis a Dea factus iustitia*, *I. Corinth. I, 30. Ierem. XXIII, 6.* ***

* Hoc est, quod alias dici solet, *caussam impulsiuam internam* iustificationis esse bonitatem Dei, seu propitium eius fauorem. Idque est, quod Paulus diserte docet, *Rom. III, 24. II. Tim. I, 9.*

** Ad cauſſam namque impulſiuam internam *externa* etiam accedit, quae eſt meritum, ſeu ſatisfactio Chriſti. Id Paulus verbis apertiſſimis teſtatur, *Rom. III, 24. 25. II. Cor. V, 21.* Omnia praeterea teſtimonia, & argumenta, quibus ſatisfactionem Chriſti ſuo loco probauimus, huc pertinent. Non alium enim in finem Chriſtus pro nobis ſatisfecit, & infiniti valoris pretium obtulit, quam vt eius intuitu remiſſionem peccatorum a Deo conſequeremur. Iuſtitiam vero hancce alienam, ſeu Chriſti, neceſſariam fuiſſe ad iuſtificationem noſtram, vel inde intelligitur, quod Deus ſalua iuſtitia & ſanctitate ſua, ſine ſatisfactione, nulla remittere peccata poſſit.

*** Vt intuitu meriti ac ſatisfactionis Chriſti homo iuſtificari poſſet, neceſſe erat, vt in iudicio diuino iuſtitia ac obedientia Chriſti, homini iuſtificando quodammodo propria cenſeretur, quod non aliter, quam per imputationem fieri poterat. Iam cum & inter homines non adeo inſolens ſit, vt merita vnius alteri imputentur, nulla adparet ratio, cur idem etiam in foro diuino fieri nequeat. Nihil certe hic deprehenditur, quod aut iuſtitiae, aut bonitati, aut ſapientiae diuinae repugnet. Nec eſt, quod dicas, ſi Deus propter alienam iuſtitiam remittere peccata poſſit, nihil tum obſtare, quo minus idem ſine vlla plane ſatisfactione facere queat. Non enim profecto hoc vnum idemque eſt, ſine vlla ſatisfactione, &, intercedente aliena ſatisfactione, peccata remittere. Poſteriori namque modo Deus iuſtitiam ſuam omnibus manifeſtam facit, quod priori neutiquam fieret. Imputationem autem hancce omnino factam, luculenter & velut ex inſtituto docet Paulus, *Rom. V, 16. ſeq.* Immo, quoties Chriſtus *pro nobis* mortuus, *pro nobis* traditus, *pro nobis* a Deo peccatum factus dicitur, *Gal. I, 4. II. Cor.*

Cor. V,21. alibique, imputatio haec innuitur, cum ista loquendi ratio aliter explicari nequeat, quam omnia, quae Christus fecit, aut passus est, in iudicio diuino eodem loco haberi, ac si nosmet ipsi ea fecissemus, aut passi essemus. Qua de re & eo minus dubitabit, qui considerauerit, Christum non tantum sponte sua omnium hominum peccata in se suscepisse, sed & homines credentes per fidem tam arcte cum eo vniri, vt *vnum corpus*, *I. Cor. XII, 13.* & quod amplius quid est, *vnus cum ipso spiritus*, sint; *I. Cor. VI, 17.* immo, vt non tantum vniti cum ipso sint, sed & *vnum*, ea quidem ratione, vt simplicissima illa vnitas, quae inter personas diuinitatis intercedit, quodammodo vnitate ista adumbretur, *Ioan. XVII, 22. 23.* Hinc enim consequitur, credentes in Christum, & tam arcte cum eo per fidem vnitos, merito in Christo id fecisse, & tulisse, censeri, quod Christus pro illis fecit, atque tulit; iustitiamque adeo & obedientiam Christi recte iis imputari.

§. VIII.

Cumque iustitia illa Christi longe sit perfectissima, omnibusque numeris absoluta, necesse non est, vt quidquam a nobis proficiscatur, quo vel immunitatem a poena, vel ius ad vitam aeternam consequamur. * Immo, nec proficisci potest, cum nihil coram tribunali diuino valeat, quod non plane perfectum sit, legique diuinae in omnibus respondeat. Cuiusmodi quid nemo, nisi stolida atque inepta ambitione excaecatus, sibi ipsi tribuerit.**

* Iustitiam Christi perfectissimam omnibus numeris absolutam fuisse, nemo dubitauerit, cum

omnium & innocentissimus, & sanctissimus fuerit; hinc & ab angelo, natiuitatem eius adnuntiante, τὸ ἅγιον dictus, *Luc. I, 35.* Idem vero cum & verus Deus pariter ac verus homo sit, infiniti valoris pretium inde iustitiae & obedientiae eius accessit. Et talem summum sacerdotem nostrum esse oportebat, *Ebr. VII, 26.* Hinc vero consequitur, non tantum necesse non esse, vt a nobis aliquid proficiscatur, quo immunitatem a poena, vel ius ad vitam aeternam, adipiscamur, sed id in iudicio diuino ne quidem exigi a nobis posse. Si enim exigi posset, Christus pro nobis perfecte non satisfeciset. In satisfactionem itaque Christi, pariter ac iustitiam Dei, iniurii sunt, qui, ab hominibus aliquid praestari posse, contendunt, quod meritis Christi adiungant; vel quod ad satisfaciendum quocumque modo pro peccatis valeat. In satisfactionem quidem Christi, quia inde sequitur, Christum non plene pro hominum peccatis satisfeciisse, sed ipsis hominibus aliquid relictum, pro quo ipsimet satisfacere debeant. In iustitiam autem diuinam, quia, si praeter pleniſſimam satisfactionem Christi aliud quid ab hominibus exigeret, exigeret aliquid, quod iure exigere non poterat. Atque hoc est, quod scriptura sacra nos condocet, quando gratiam Christi, & opera nostra ita sibi opponit, vt, vbi alterum sit, alterum locum habere nequeat, *R. XI, 6. Gal. II, 21.*

** Nihil coram tribunali diuino valere, nisi quod plane perfectum sit, ipsa sanctitatis & iustitiae diuinae ratio euincit. In ipsa itaque iustificatione, quae fit per fidem in Christum, ἔνδειξιν esse δικαιοσύνης τοῦ θεοῦ, Paulus adserit; *Rom. III, 25.* Ab homine autem nihil, quod perfectum sit, & cum lege diuina exacte conueniat, proficisci posse, ipsa experientia condocemur.

§. IX.

Vt iustitia & obedientia Christi nobis impu-

imputari queat, ex parte nostra fides adsit, necesse est, qua eam adprehendimus, ac velut nostram facimus. Vnde & praeter fauorem Dei gratuitum, meritumque Christi, fides etiam inter caussas iustificationis recte refertur.* Cumque nihil plane aliud ex parte hominis, quocumque nomine veniat, ad iustificationem eius concurrat; recte omnino dicitur, adseriturque, quod *sola fides hominem iustificet.* Sed & ipsa fides non vt virtus aut bonum aliquod opus, sed tantum prout meritum Christi adprehendit, hic in censum venit.**

* Concurrunt ad iustificationem vt caussae, gratia Dei, meritum Christi, & fides in Christum, sed diuersa ratione. Gratia, seu propitius Dei fauor, spectatur, vt *caussa impulsiua interna*; meritum Christi, vt *caussa impulsiua externa principalis*; fides denique in Christum, vt *caussa impulsiua externa minus principalis.* Displicuit equidem nonnullis, quod fides pro *caussa impulsiua* habeatur, cum inde sequi videatur, in ipsa fide aliquid esse, cuius intuitu Deus ad iustificandum hominem moueatur. Sed, si consideretur, fidem solum pro *caussa impulsiua minus principali* haberi; adeoque non propria dignitate, sed per meritum Christi, quod adprehendit, Deum mouere, omnis difficultas euanescit. Alii fidem *caussam instrumentalem* vocant, quod tum demum admittendum, si per caussam instrumentalem *moraliter mouens*, & per fidem, *fides habitualis*, intelligatur. Actus enim fidei est ipsa adprehensio meriti Christi; habitus vero fidei, est equidem caussa physica actuum, qui inde oriuntur, intuitu tamen ipsius iustificationis, moraliter

solum agit, mouendo Deum, non ob dignitatem propriam, sed per meritum Christi, quod fides actualis adprehendit. Paucis haec monenda fuerunt, quia hac de re disputari solet; magnopere autem vellem, vt istae contentiones, ex intempestiuo studio, terminos metaphysicos vbique ingerendi, ortae, procul facessere iuberentur.

** Cum *sola fide* hominem iustificari, adseruimus, mens nostra est, ex parte hominis ad iustificationem nihil aliud requiri, praeter fidem. Vnde, quod ex parte Dei amor eius beneuolus, seu gratia, itemque meritum Christi, ad iustificationem nostram concurrant, nostrae adsertioni minime repugnat. Praeterea fides hic minime, vt virtus, vel bonum opus, vel simili ratione spectatur, sed tantum, prout meritum Christi adprehendit. Sophistica itaque esset illusio, si quis ita rationes subducere vellet: cum fides bonum opus sit, sequi, eum, qui per fidem iustificatur, iustificari per bonum opus. Etsi enim fides etiam vt bonum opus considerari queat, hic tamen ita spectatur, prout meritum Christi adprehendit. Hunc itaque in modum sola fide iustificari hominem, rationibus euidentissimis probari potest. Docet namque hoc apostolus, *Rom. III, 24. XI, 6. Galat. III, 11.* Accedit, & neutiquam praetermittendum, quod vbicumque de ratione consequendi salutem aeternam in scriptura sacra agitur, tantum fidei mentio ex parte hominum iniicitur. Omnium prophetarum hanc esse doctrinam, testatur Petrus, *actor. X, 43.* adde *Ioan. III, 16. Marc. XVI, 16.* & *Es. XXVIII, 16. Rom. X, 11.*

§. X.

Fidem porro, de qua hic loquimur, intelligimus veram, adeoque & viuam, cum mortua fides vera fides non sit. Atque hancce

hancce quidem fidei vitam, prout adprehenſione meriti Chriſti ſeſe exſerit, hinc abeſſe non poſſe, manifeſtum eſt, cum iſta adprehenſione iuſtitiam Chriſti noſtram faciamus. Prout autem per bona opera ſe demonſtrat, hic in cenſum non venit, nec vlla ratione ad iuſtificationem concurrit, cum ceteroquin dici non poſſet, quod ſola fides iuſtificet. Interim, cum bona opera a fide prorſus ſeparari nequeant, fatendum eſt, ea fidei eſſe praeſentia; licet, dum ad iuſtificationem nihil plane conferunt, velut abſentia ſpectari poſſint. Praeterea, cum ipſa meriti, ſeu iuſtitiae Chriſti adprehenſio, actio quaedam ſit, fides quoque hoc intuitu vt mere paſſiua concipi nequit, licet homo ipſe, dum iuſtificatur, nihil vtique agat, ſed tantum paſſiue ſeſe habeat.

§. XI.

Iuſtificatur itaque homo, quando illi propter meritum, ſeu iuſtitiam Chriſti adprehenſam, peccata omnia remittuntur; *pſalm. XXXII, 1. Rom. IV, 7.* Hinc & forma iuſtificationis in remiſſione, ſeu non imputatione peccatorum conſtitui ſolet. Addunt nonnulli imputationem iuſtitiae Chriſti; quae tamen, vt remiſſionem, ſeu non imputationem peccatorum praecedit, ita rectius pro fundamento iuſtificationis hominis peccatoris coram Deo habetur.

§. XII.

Et hac quidem ratione omnes, qui vera fide praediti sunt, iustificantur, simulque adeo ius ad vitam aeternam adquirunt. Cumque nulla alia aut sit, aut excogitari ratio possit, salutem consequendi; omnes homines, qui saluati vmquam sunt, aut saluantur, quocumque tempore, sub veteri aut sub nouo testamento vixerint, aut viuant, hoc modo ad salutem aeternam peruenire, manifestum est.

§. XIII.

Bona quae iustificationem consequuntur, vt praestantissima sunt, ita de beatitudine iustificatorum testantur. Quae inter merito primum locum tenet *pax spiritualis*, seu *pax* illa *cum Deo*, quae omnem vim rationis multum superat; *Rom. V, 1.* Haec autem vt mutuam inter Deum, & peccatorem iam iustificatum, atque in gratiam receptum, concordiam significat, ita cum ea *amicitia* quaedam inter Deum & hominem coniuncta est; *Iac. II, 23.* Hinc vero *pax conscientiae* suauissima fluit, dum homo longe est certissimus, liberum se atque immunem esse ab omni reatu peccati, adeoque & ab omni condemnatione; *Rom. VIII, 1. 33. 34. I. Ioan. III, 19. 20.* *

* Antequam homines iustificantur, atrox velut bellum est inter eos, atque Deum; cum Deus non possit non per summam suam sanctitatem peccata & iniquitates hominum magno odio prosequi; *psalm. V, 5.* vnde & homines *per naturam filii irae* dicun-

dicuntur; *Eph. II, 3.* rursus vero homines ipsi, iudicium diuinum extimescentes, non possunt non vehementer a Deo abhorrere, eumque itidem vt hostem suum odisse; *Rom. I, 30.* Accedit, quod homo per peccata infernali genio se socier, & sub eius veluti signis militet, qui hostis Dei est plane ἄσπονδος. Nec spes vlla pacis supererat, nisi Deus viam ipse inuenisset, & hominibus suppeditasset, qua eam restaurare possent. Quod cum per redemtionem Christi factum sit, qui nos Deo reconciliauit, merito apostolus hanc *pacem Dei*, seu pacem cum Deo, ὑπερέχουσαν πάντα νοῦν vocauit, *Philip. IV, 7.* Nimirum nec de Christo, eiusque redemtione, & hinc orta hominum cum Deo reconciliatione, ratio quidquam nouit, nec vim infinitam amoris diuini, qui hac in re eluxit, adsequitur; adeoque pax ista vim omnem mentis humanae longissime superat. Pacem hancce excipit *amicitia cum Deo*, quemadmodum de Abrahamo, per fidem iustificato dicitur, quod *amicus Dei* adpellatus sit; *Iac. II, 23.* Constat equidem, & alias obseruatum est, de prophetis speciatim hoc adseri, quod *Dei amici* sint; vid. *sap. VII, 27.* sed cum homines regeniti, & iustificati, & alia quaedam cum prophetis communia habeant, de illis itidem suo modo recte dicitur, quod sint *amici Dei.* Habent enim, quod vtique amicorum est, παῤῥησίαν καὶ τὴν προσαγωγὴν ἐν πεποιθήσει ad Deum per Christum, *Eph. III, 12.* Loquuntur per preces quotidie cum Deo, vt amico, omnesque animi curas in sinum eius veluti effundunt, *psalm. LV, 23.* & *I. Petr. V, 7.* Deusque rursus cum iis per verbum suum loquitur, immo blandissimis verbis *ad cor loquitur; Hos. II, 14.* consolatur eos, quando moesti sunt, manu sua *lacrimas eorum abstergens*, *apoc. VII, 17.* Dum porro ita pacem cum Deo habent, non possunt non iucundissima *conscientiae pace* frui. Non enim est,

est, vt sibi timeant, cum non tantum reconciliati sint cum Deo, sed eius amicitia gaudeant quem & non vt iudicem amplius, sed vt patrem benignissimum considerant, cuius *amor* prorsus *effusus est in cordibus illorum*; *Rom. V, 5.* Immo tantum abest, vt poenam aut condemnationem metuant, cuius nullam amplius in se caussam esse sciunt; *Rom. VIII, 1.* vt potius praemia amplissima, gloriamque, ad quam cum Christo euehendi sunt, suauiter exspectent; *ib. v. 17.* Atque hinc etiam de iustificatione sua, atque de gratia Dei longe possunt esse certissimi. Cum enim haec omnia non tantum sentiant, qui vera fide praediti sunt, & experiantur, sed ita sentiant, vt ex euidentissimis scripturae effatis, se minime falli, cognoscant; de veritate iustificationis suae nulla ratione dubitare possunt.

§. XIV.

Amplius adhuc quid est, quod Deus iustificatos etiam filiorum loco habeat, vt *filii Dei* vocari queant; *I. Ioan. III, 1. 2. II. Cor. VI, 18.* Idque non tantum per regenerationem & iustificationem, sed & per *adoptionem*; cum iis, qui ex Deo geniti sunt, potestatem, seu potius dignitatem istam, dederit, vt *filii Dei fierent*, *Ioan. I, 12.* Quo intuitu & *fratres Christi* facti sunt; simulque adeo, cum hicce *heres omnium* a Deo constitutus sit, *Ebr. I, 2. heredes Dei, & coheredes Christi; Rom. VIII, 17.* Vnde & *spes* certissima *vitae aeternae* fluit. Quam quidem summam & dignitatem, & beatitudinem esse, is demum recte intelliget, qui cuncta

cuncta ſpirituali aeſtimare iudicio didicerit. *

* Sunt credentes & iuſtificati 1) *filii Dei*, non tantum propter creationem, aut conſeruationem, vel aliam quamcumque ἐξοχὴν, ſed primum quidem per *regenerationem*. Vnde, quod Deus ipſe nos, *ſecundum voluntatem ſuam, ex verbo veritatis genera-uerit*, Iacobus dicit *cap. I, 18.* adde *Ioan. I, 12.* Non tantum autem per regenerationem, ſed per *iuſtificationem*, credentes ſunt filii Dei. Quamdiu enim homines ſub reatu peccati adhuc ſunt conſtituti, pro filiis Dei haberi nequeunt. Hicce autem reatus peccati cum per iuſtificationem tollatur, ſtatim quoque inde oritur receptio in numerum filiorum Dei. Immo cum iuſtificatione ſtatim coniuncta eſt 11) υἱοθεσία, ſeu *adoptio*, quo nomine actus ille Dei deſignatur, quo Deus credentibus dignitatem filiorum Dei concedit, ſeu eos pro filiis ſuis declarat, bonorumque omnium heredes cum Chriſto conſtituit, ſecundum illud apoſtoli: *ſi filii, ergo heredes; Rom, VIII, 17.* Adoptionem enim, ceu effectum, & conſequens, ab ipſa iuſtificatione diſtinguunt theologi, etiam illi, qui ἀκριβεῖαν ſectantur. Nec eſt, quod quemquam offendat, quod mox per regenerationem, mox per iuſtificationem, mox iterum per adoptionem, credentes filios Dei fieri diximus. Id quippe cum diuerſa ratione fiat, optime haec inter ſe conſentiunt. Fundamentum nimirum ex parte hominis eſt regeneratio, ex parte Dei iuſtificatio, qua obſtaculum etiam, ſeu impedimentum, quod iſta dignitate nos priuat, remouetur; ipſa autem receptio in numerum filiorum Dei fit per adoptionem. Sunt quidem haec omnia in re ipſa longe coniunctiſſima, ordinis tamen cauſſa diſtincte conſiderari poſſunt. Quanta vero haec-

ce

ce dignitas, quanta beatitudo sit, quod hac ratione filii Dei constituamur, is demum intelliget, qui, spirituali iudicio cuncta aestimans, quousque aeterna & caelestia caducis & terrestribus praeferenda sint, didicit. Cum enim valde eximium quid censeri soleat, ex regio prognatum esse sanguine, longe amplius quid, & excelsius est, pro filio Dei haberi, a Deo ipso genitum esse, immo *diuinae naturae* suo modo *esse participem; II. Petr. I, 4.* Nec minoris aestimandum, quod hac ratione *fratres Christi* reddamur. Quanta equidem vniuerso hominum generi inde accesserit dignitas, quod Christus propter adsumtam naturam humanam frater illorum vocari possit, docet apostolus *Ebr. II, 11. seq.* Sed huius dignitatis credentes & iustificati demum reuera participes fiunt, cum impii & irregeniti, vt tales spectati, non ex Deo sint, sed patrem habeant diabolum, *Ioan. VIII, 44.* adeoque pro fratribus Christi reputari nequeant. Hinc vero sponte sua sequitur, quod iustificati sint III) *heredes Dei*, immo *coheredes Christi*, *Rom. VIII, 17.* qui & συνθρονισμὸν, seu quod *in eodem secum sedere throno debeant*, illis promittit, *apoc. III, 17.* Quod quidem de spirituali, non autem huius saeculi hereditate intelligendum est. Et licet praegustum quemdam istius hereditatis in regno gratiae habeant, plenam tamen possessionem in regno gloriae adibunt; *I. Ioan. III, 2.* Atque hinc etiam perspicere licet, quid apostolus sibi velit, quando *Rom. VIII, 23.* credentes *adoptionem* adhuc *exspectare* adserit. Nimirum adoptionem ipsam iam habent, cum Ioannes dicat: *dilecti, nunc filii Dei sumus*; *I. epist. III, 2.* sed fructum & effectum eius, qui in plena hereditatis possessione consistit, adhuc exspectant; vnde & apostolus statim addit, *corporis* eos exspectare *redemtionem.* Hereditas vero illa filiorum

rum Dei ipse Deus est, quocum ceu summo suo bono arctissime vniuntur. Vnde eleganter Deus animae credentis *portio* vocatur, *psalm. LXXIII, 26.* Quae tamen vnio in hac vita multis cum imperfectionibus est coniuncta; & in altera demum vita, ad quam plena beatitudo pertinet, perfecta, omnibusque numeris consummata erit. Ceterum ex eo, quod iustificati filii Dei, & coheredes Christi sunt, sponte sua etiam IV) fluit, quod spem certam habeant *vitae aeternae.* Vnde eam speciatim inter effectus iustificationis commemorare, superuacaneum duximus. Quod & apostolus confirmat, quando iustificatos *gloriari* dicit, *ob spem gloriae Dei*, hoc est, ob spem gloriae, quam in vita aeterna a Deo sunt consequuturi; *Rom. V, 2.* conf. & *cap. VIII, 24.*

§. XV.

Denique ne quid beatitudini iustificatorum desit, Deus spiritum sanctum, spiritum illum adoptionis, *Rom. VIII, 15.* spiritum Christi, *Gal. IV, 16.* ceu pignus & firmamentum amoris sui *II. Cor. I, 21. 22.* eis concessit, qui in illis habitet, & non tantum de gratia Numinis certiores reddat, eosque hac ratione consoletur; *Rom. VIII, 6.* sed & ad pulchra quaeuis Deoque placentia peragenda, incitet, atque impellat, *Rom. VIII, 14.* cumprimis & ad preces gemitusque eos concitet, immo ipsemet in illis ad Deum clamet, *Rom. VIII, 15. Gal. IV, 6.*

§. XVI.

Quo pluris hominum ad aeternam eorum salutem refert, vt salua & illibata in hocce doctrinae sacrae capite sit veritas, eo

eo grauioribus nihilosecius eorum, qui a recto tramite hic deflectunt, erroribus dogmatibusque peruersis, corrupta subinde fuit & obscurata. Possunt autem praecipua, quae hic in censum veniunt, ad tria reuocari capita. Nonnulli enim meritum ac satisfactionem Christi negantes, ipsum iustificationis fundamentum tollunt; hinc & reliqua in alienum non possunt non rapere sensum. Alii, etsi meritum & satisfactionem Christi admittant, soli tamen gratiae Numinis cuncta tribuere nolunt, operaque ideo hominum eidem aut iungunt, aut praeferunt, siue sola, siue cum fide connexa, gloriam hoc ipso, quam soli Deo dare debebant, hominibus, eorumque meritis, vindicantes. Quidam denique, cuncta ausu plane temerario in sensum carnalem trahentes, cum soli fidei, remotis operibus, locum ex parte hominis concedant, non veram tamen, sed fictam quamdam, mortuamque fidem, intelligunt; quae cum nihil minus, quam fides sit, spe vana se lactant, & in reliquis etiam omnibus decipiuntur turpiter. Fontem horum errorum omnium facile deteget, qui cogitauerit, quam sollemne mortalibus sit, cuncta aut rationis corruptae scitis, aut prauis cupiditatibus suis accommodare dogmata.

§. XVII.

Sed & hic mirifice Numinis in huius doctri-

doctrinae veritate conseruanda, sese prodidit cura. Numquam enim defuerunt, qui meritum & satisfactionem Christi, ceu iustificationis nostrae fundamentum, fortiter adsererent. Sed nec defuerunt, qui ad exemplum Pauli apostoli omne operum meritum adcurate a iustificatione remouerent, soli Numinis gratiae, meritoque Christi, &, ad homines quod attinet, eorum fidei cuncta tribuentes. Nec obscurari vmquam, aut tenebris ita inuolui haec doctrina potuit, quin radii eius subinde emicarent, donec, depulsa caligine, luce clarissima iterum perfunderetur. Sed ita hoc factum, vt semper quoque essent, qui alterum extremum, quod illorum est, qui vana fidei specie se ipsos decipiunt, caute euitare docerent.

§. XVIII.

In vitae christianae praxi praecipuum est, vt nos exploremus, an tanti beneficii reuera participes facti simus: quod vtique illi, qui vitiis suis indulgent, & sub dominio peccati adhuc constituti sunt, veraque adeo fide destituuntur, frustra sibi persuadent; *Rom. VIII, 1. 2.* Neue ea in re decipiamur, cauendum, ne salutarem doctrinam *de iustificatione hominis per solam fidem*, in argumentum securitatis carnalis conuertamus. Tum porro exemplum Dei imitari iuuat, vt non minus proni simus ad

delicta, quibus alii nos laeserunt, iis condonanda, quam ille, ad idem nobis praestandum, se facilem praebuit; *Matth. XVIII, 23. seq. Ephes. IV, 32.* Ingentia denique, quae per iustificationem nobis obtigerunt, bona, rite aestimemus, diligenter & studiose ea conseruemus, neue per peccata mortualia ea iterum amittamus, omnem adhibeamus industriam; *II. Petr. I, 10. 11.*

LIBRI QVARTI
CAPVT QVINTVM
DE
SANCTIFICATIONE SEV RENOVATIONE, VBI ET DE BONIS OPERIBVS, DEQVE VNIONE MYSTICA ET PERSEVERANTIA SANCTORVM.

Σύνοψις.

CVm iustificatione arctissimo vinculo coniuncta est sanctificatio, §. I.

Quid sanctificationis, itemque renouationis voce, hic denotetur, §. II.

Vtraque vox vel transitiue, vel intransitiue accipitur, §. III.

Tria in homine regenito considerari possunt: dona spiritualia; naturalia, sed sanctificata; reliquiae corruptionis naturalis, §. IV.

Dona spiritualia per sanctificationem augentur, §. V.

Naturalia, sed sanctificata, per vlteriorem sanctificationem magis excitantur, purgantur, & ad debitum finem diriguntur, §. VI.

Cor-

Corruptionis naturalis reliquiae per sanctificationem magis magisque subiguntur, §. VII.

In hisce omnibus & terminum, quem vocant, a quo, observare licet, §. VIII

& terminum ad quem, §. IX.

Sanctificatio itaque ad omnes mentis facultates pertinet, speciatim ad intellectum, §. X.

itemque ad voluntatem, §. XI.

& reliquas mentis facultates, §. XII.

Certo modo etiam ad corpus, §. XIII.

Caussa efficiens sanctificationis Deus est, pater, filius, & spiritus sanctus; vt tamen & ipse homo aliquid conferat, §. XIV.

Cumque Deus in cordibus fidelium habitet, oritur inde vnio mystica Dei cum fidelibus, §. XV.

In quo ea, quae homo ad sanctificationem suam confert, consistant, §. XVI.

Inter media sanctificationis eminet poenitentia quotidiana, quae & specialiori quadam ratione renouatio vocari solet, §. XVII.

Sanctificationis necessitas, vtilitas, difficultas, imperfectio, §. XVIII.

Possunt homines regeniti, si mediis gratiae recte vtantur, constanter in sanctificatione perseuerare, §. XIX.

Sanctitas illa, quae per sanctificationem augetur, in exercitio omnium virtutum conspicitur, §. XX.

A virtutibus ipsis distinguenda sunt officia, siue bona opera, §. XXI.

Officiorum istorum tres classes recte constituuntur, cum alia sint, quae homo regenitus erga Deum, alia, quae erga se ipsum, alia, quae erga alios homines praestat, §. XXII.

Officiorum seu bonorum operum proprietates, § XXIII.

Errorum, qui in hocce doctrinae sacrae capite occurrunt, certae constituuntur classes, §. XXIV.

Semper tamen fuerunt, qui erroribus istis se opponerent, & veritatem propugnarent, §. XXV.

Vsus doctrinae huius in praxi vitae christianae, §. XXVI.

§. I.

QVae de iustificatione hominis peccatoris coram Deo diximus, facile quemuis condocebunt, tanta tamque egregia in homines a Deo conferri bona, non vt iterum peccatis seruiant, sordibusque, a quibus purgati sunt, rursus immergantur; sed vt membra sua seruitio iustitiae consecrent, εἰς ἁγιασμὸν, *Rom. VI, 19.* seque adeo, vt populum a Christo in peculium adquisitum decet, ζηλωτὰς demonstrent in bonis operibus, *Tit. II, 14.* Res itaque ipsa postulat, vt qua ratione regeniti atque iustificati studere sanctitati, & ita, quod suarum partium esse ducunt, explere & possint, & debeant, exponamus.

§. II.

Vita nimirum illa spiritualis, quam per fidem homines regeniti acceperunt, & conseruari, & nouis augeri incrementis, debet; idque vt fiat, subinde opus est, vt, quae iis adhaerent imperfectiones, exuant; & quae adhuc desunt, adquirant, vt ita nouus homo corroboretur, atque crescat εἰς μέτρον ἡλικίας τῦ πληρώματος τῦ χριστῦ, *Ephes. IV, 13.* & imago Dei magis magisque in nobis perficiatur; *Ephes. IV, 24.* Atque hoc est, quod *sanctificationem*, itemque *renouationem* vocare solent.

§. III.

Solet vero interdum sanctificatio vt opus aliquod

aliquod atque beneficium Dei in hominem describi; *I. Thess. V, 23.* quandoque autem vt officium hominis erga Deum; *I. Thess. IV, 3. I. Ioan. III, 3.* Deus namque est, qui omnia bona in nobis operatur, quiue *bonum* illud *opus*, quod in nobis incepit, etiam perficit; *Phil. I, 6.* sed homo tamen ipse, per vires gratiae, quas in regeneratione accepit, vt opus hocce rite procedat, itidem aliquid conferre potest; *II. Cor. VII, 1.* Atque hinc alia sanctificatio *transitiua* vocatur, alia *intransitiua*. Idem & de renouatione censendum.

§. IV.

Cuncta vt eo rectius intelligantur, in homine regenito tria consideranda nobis veniunt. Primo quidem, dona *mere spiritualia*, vt amor Dei & aliorum hominum, abnegatio sui ipsius, patientia, & reliquae virtutes, quae ex fide fluunt; *II. Petr. I, 5. seq.* tum vero & *naturalia*, sed *sanctificata*, vt omnes mentis corporisque facultates & vires, itemque habitus omnes, quos arte, industria homines adquirunt; *I. Thess. V, 23.* & denique, quidquid adhuc *naturae corruptae*, *prauitatisque* in intellectu, voluntate, variisque propensionibus, atque affectibus hominum supereſt.

§. V.

Qua dona *spiritualia*, quae & πνεύματος seu *spiritus* nomine veniunt, *I. Thess. V, 23.*

homo sanctificatur, quando ea crescunt, & incrementa capiunt, vt in iis plenior, perfectior, robustior fiat, αὐξανόμενοι εἰς τὴν ἐπίγνωσιν τοῦ θεοῦ, ἐν πάσῃ δυνάμει δυναμούμενοι; *Coloss. I, 10. II. I. Cor. I, 5.* * Atque haec est *plenitudo* illa *Dei* (τὸ πλήρωμα τοῦ θεοῦ) qua regeniti replentur, *Ephes. III, 19.* soletque alias etiam *aedificationis* nomine venire; quae adeo non tantum ratione intellectus, seu cognitionis, sed & voluntatis, omniumque virtutum est intelligenda.**

* Non enim in summo perfectionis gradu conferuntur dona spiritualia, sed ita, vt crescere atque augeri queant; *Ephes. IV, 14.* Hinc & alii νήπιοι, *infantes*, adhuc sunt, alii autem τέλειοι, *perfecti*, non absolute, sed comparate, seu tales, qui non amplius pro infantibus habendi; *Ebr. V, 13. 14.* conf. & *I. Cor. III, 1. 2.* Immo & seruator ipse, qua dona, humanae naturae propria, & quibus, ceu oleo laetitiae vnctus est prae consortibus, *psalm. XLV, 8.* crescebat, proficiebatque, *Luc. II, 52.*

** Satis nota hac in re est vox *aedificationis*, eaque recte ad ductum scripturae adhibetur; conf. *Actor. IX, 31.* it. *Ephes. II, 20. seq. I. Petr. II, 5.* Nimirum anima hominis regeniti velut templum aliquod Dei est, speciatim spiritus sancti; *I. Cor. III, 16. VI, 19. II. Cor. VI, 16.* Hocce aedificatur, cum fundamento fidei per regenerationem iacto, *I. Cor. III, 10.* virtutes omnes, quae ex fide fluunt, per sanctificationem augentur indies atque crescunt. Quod adeo non tantum ratione intellectus, vt vulgo fieri solet, sed & ratione voluntatis, qua omnia dona spiritualia, intelligendum est.

§. VI.

§. VI.

Qua dona *naturalia*, sed *sanctificata*, & vlterius *sanctificanda* homo sanctificatur, quando ea non tantum magis magisque excitat, sed ab imperfectionibus, quae iis adhaerent, purgat, ad finem debitum cuncta dirigit, nec aliter iis vtitur, quam gloria, atque voluntas Numinis, aliorumque hominum salus, exigit, *I. Cor. XV, 10.* Idque in omnibus iis, quae aut natura insunt, aut arte atque industria comparata sunt, ita se habet.*

* Ad dona haecce *naturalia*, & quidem *quae a natura insunt*, pertinent, ratione *intellectus*, excellens vis ingenii, aut iudicii acrimonia, & quae reliqua sunt, quae homines aut ad litterarum studia, aut res alias vel excogitandas, vel cum laude perficiendas, aptos reddere solent; ratione *voluntatis*, honestatis, & iustitiae externae amor, temperantia, & aliae virtutes, quae aliquando hominibus per naturam insunt, & in ethnicis etiam deprehenduntur, a veris tamen, Deoque probatis virtutibus, quae ex fide fluunt, toto caelo diuersae sunt. Ad ea, quae studio & industria adquiruntur, eruditio omnis, latissime patens, sapientia, & prudentia, ceterique habitus, quos studio & industria mortales sibi comparant, & quibus magnam subinde virtutis speciem sibi conciliant, referuntur. Haec in se spectata equidem sunt ἀδιάφορα, & bona pariter ac mala fieri possunt, pro diuersa iis vtentium conditione. Si vero considerentur, prout sunt in hominibus non renatis, propter philautiam pravam omnibus connatam, & hinc porro ortas pravas propensiones, atque adfectus, non possunt non

mala, saltem in iudicio diuino, censeri. Longe aliter rursus sese habent in hominibus regenitis quorum non postrema cura est, vt hisce donis naturalibus bene vtantur; idque tum demum rectissime fieri putant, si ea debita ratione excitent, ab imperfectionibus adhaerentibus purgent, prauos adfectus, qui in eorum vsu accedere solent, remoueant, cuncta denique non ad suum commodum, aut suam gloriam, sed vnice ad gloriam Dei, aliorumque hominum salutem referant. Non inepte itaque dona haecce naturalia ad παιοπλίαν illam pertinere creduntur, in qua ὁ ἰσχυρὸς καθωπλισμένος confidebat, sed quam ὁ ἰσχυρότερος Christus, postquam in homine conuerso illum vicit, ei eripit, & ea ceu praedam, hosti & iniusto domino ablatam, nunc autem rectius vsurpandam, distribuit; *Luc. XI, 21. 22.* Cum vero hac in re post regenerationem multa sensim & successu temporis perficienda restent; quaenam hic sanctificationis sit ratio, facile intelligitur.

§. VII.

Denique & *naturae* quaedam *corruptae*, *reliquiae* in regenitis etiam adhuc supersunt, cum in carne illorum peccatum adhuc habitet; *Rom. VII, 19.* add. *v. I. 24. Ioan. I, 10. Iob. IV, 18. 19. XV, 14. 15. Ebr. XII, 1.* Neque tantum peccatum originale in illis adhuc sedem suam habet, sed & aliae propensiones prauae, quas ante conuersionem forte, consuetudine peccandi, contraxerant, aut corroborauerant. Quae quidem peccata habitualia, etsi in iis neutiquam dominentur; *Rom. VI, 12.* non tamen ita eradicari tolliue possunt, vt non subinde frenum

frenum mordeant, atque iterum erumpere gestiant. Hinc vero & varia peccata actualia, sed infirmitatis, variae imperfectiones, in quibus exuendis, & subigendis studium omne, omnemque industriam collocant.

§. VIII.

Prout autem in hisce omnibus mutatio quaedam concipitur, distincte illud, a quo discediturr, & ad quod acceditur, obseruare licet. Prioris generis in *spiritualibus*, ea omnia sunt, quae nobis adhuc desunt; in *naturalibus* defectus itidem omnes, dum dona ista ab adhaerentibus vitiis non ita, vt decet, purgantur, nec eo, quo par erat, studio ad debitum finem diriguntur; in *corruptae* denique *naturae reliquiis*, quidquid ἀταξίας, prauarumque propensionum supereſt, ex quibus peccata infirmitatis, varii quidem generis, numquam non propullulant. Atque haec omnia mox *naturae*, mox *carnis*, *Gal. V, 17. 24.* mox *veteris hominis*, *Ephes. IV, 22.* nomine veniunt.*

* Loquimur ergo hic de *termino*, vt vocari solet, *a quo*, sanctificationis. De quo summatim dici potest, quod sint peccatorum habitualium reliquiae; vna cum actualibus, quae per infirmitatem a regenitis committuntur. Atque huncce quidem *terminum a quo*, nonnulli *formalem* vocant, & *obiectiuum* ab eo distinguunt, hocce nomine omnia obiecta, quae prauas hominum cupiditates irritare possunt, designantes. Nos autem paullo distinctius cuncta, quae hic in censum veniunt, ad tres classes reuocauimus, defectus scilicet donorum spirituali-

um, qui ab hominum culpa originem trahunt; naturalium donorum impuritates & imperfectiones vitiosas; peccatorum denique omnium habitualium reliquias, cum peccatis actualibus per infirmitatem commissis.

§. IX.

Posterioris generis, seu id, ad quod per sanctificationem homo regenitus accedit, in *spiritualibus* sunt, maius eiusmodi donorum incrementum, siue *plenitudo* illa *Dei; Eph. III, 19.* in *naturalibus*, quae sanctificantur, emendatio diligentior vitiorum atque defectuum omnium iis adhaerentium; in *corruptae naturae reliquiis*, plenius in omnem ἀταξίαν, atque prauas propensiones dominium, faciliorque peccatorum actualium, hinc promanantium euitatio. Atque haec quidem *gratiae*, itemque *spiritus*, *Gal. V, 17.* & *noui hominis*, *Ephes. IV, 24.* nomine designantur.*

* De *termino*, vt vocari solet, *ad quem*, hic nobis sermo est, qui recte in virium, donorum, virtutum spiritualium, augmento nouo, constituitur. Id quod itidem paullo distinctius, intuitu donorum mere spiritualium, naturalium, & euitationis vitiorum, quae propensionibus & actionibus nostris adhaerent, explicauimus. Idque adeo de *termino ad quem formali* est intelligendum. Is enim, quem *obiectiuum* vocant, Deus ipse est; quippe qui summum illud bonum est, quocum per conuersionem homo iterum vniri incipit, per sanctificationem, quo magis in ea proficit, eo arctius coniungitur.

§. X.

§. X.

Facile hinc perſpicitur, ſanctificationem ad omnes mentis facultates pertinere. Et ad *intellectum* quidem quod attinet, quidquid ſupereſt ignorantiae, erroris, in rebus ſpiritualibus, obſcuritatis, & confuſionis; itemque prauitatis, in iudiciis, & ratiociniis, vna cum cauſſis ſpecialibus, ex quibus haec omnia procedunt; quidquid porro ſupereſt ſtultitiae ſpiritualis, id eatenus tollitur, vt lucis ſeu cognitionis ſpiritualis, in rebus ad ſalutem noſtram ſpectantibus, itemque ſapientiae nouum incrementum, remanentibus tamen ſemper corruptionis reliquiis, accedat, *I. Cor. I, 5. Coloſſ. I. 11.* *

* Vt in hominis intellectu, ante conuerſionem, nihil aliud quam tenebrae ſunt, in rebus ſpiritualibus, & ſtultitia; *I. Cor. II, 14.* ita per regenerationem, dum fides in illo producitur, lux etiam diuina, & ſapientia oritur; vt copioſius ſupra, cum de peccato, itemque de regeneratione verba faceremus, eſt expoſitum. Sed vt ſemper reliquiae quaedam naturalis corruptionis in intellectu quoque remanent; ita in ſanctificatione ſeu renouatione id homo regenitus agit, vt defectus iſtos, quantum fieri poteſt, emendet, & nouum indies lucis & ſapientiae incrementum capiat, & ita hac quoque ratione magis magisque conformetur ad imaginem eius, qui creauit, & regenerauit eum, hoc eſt, Dei, *Coloſſ. III, 10.* Vt vero eo rectius, quae diximus, intelligantur, & omnis prauas opiniones animo concipiendi euitetur occaſio, ſequentia haud perfunctorie obſeruare iuuabit. Primo quidem, ſermo-

sermonem hic esse de rebus spiritualibus, seu iis, quae sunt τῦ πνεύματ☉ τῦ θεῦ, vt Paulus loquitur, *I. Cor. II, 14.* hoc est, ad hominum salutem aeternam spectantibus, neutiquam autem de iis, quae humanae eruditionis circulum absoluunt. Potestque adeo aliquis proficere in luce & sapientia diuina, etsi ignarus eorum sit, quae humanae eruditionis laudem alicui conciliare solent; quemadmodum vicissim, qui in rebus ad humanam eruditionem spectantibus proficit, nondum statim in illumination· & sapientia proficere censendus est. Monendum hoc fuit, quia experientia quotidiana docet, saepissime haec inter se confundi atque misceri. Summa autem eorum, ad quae hominis regeniti cognitio tendit, & in qua numquam non proficere cupit, est, ἡ δόξα τῦ Χριστῦ, *gloria Christi*, quae in euangelio exhibetur; cuius φωτισμὸν *illuminationem* homines increduli conspicere nequeunt, vt Paulus docet; *II. Cor. IV, 4.* Hanc equidem δόξαν τῦ κυρίυ, regeniti, ἀνακεκαλυμμένῳ προσώπῳ conspiciunt; *II. Cor. III, 18.* sed vt indies eam adcuratius cognoscere in euangelio adnitantur, nouaque ita subinde luce perfundantur, quo ipso & ignorantiae, errorum, prauorum iudiciorum, & ratiocciniorum reliquiae corriguntur & emendantur. Neque tamen otiosa quaedam hic rerum spiritualium, & mere theoretica intelligitur contemplatio: sed cognitio viua, efficax & practica, qua gloriam domini in euangelio ita cognoscimus, vt ipsimet transformemur ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν, vt Paulus iterum nos condocet; *II, Cor. III, 18.* Nimirum cognitio ista gloriae domini in euangelio ad amorem eius simul nos excitat, & ex amore studium in omnibus ad voluntatem eius se conformandi fluit; quo ipso, dum, quae optima sunt, eligimus, verae quoque & diuinae sapientiae documentum praebemus.

mus. Atque sunt quidem haec regenitis omnibus, qui in studio sanctitatis progrediuntur, communia, sed vt diuersos admodum pro hominum diuersitate admittant gradus; cuius rei variae dantur caussae, quas enarrare aut explicare huius loci non est. Quantumuis etiam eximia & praestans alicuius in rebus spiritualibus sit cognitio & sapientia; semper tamen, in hacce quidem vita, imperfecta manet, secundum illud apostoli: βλέπομεν ἄρτι δι ἐσόπτρου ἐν αἰνίγματι, item, ἄρτι γινώσκω ἐκ μέρους; *I. Cor. XIII, 12.*

§. XI.

Pari ratione, quidquid in *voluntate* supereſt, philautiae prauae, vitiorumque hinc prodeuntium, ambitionis, auaritiae, & ad voluptatem propensionis, id ita supprimitur, & imminuitur, vt contra per fidem amor Numinis, & abnegatio sui ipsius, cum humilitate & patientia, itemque temperantia, & caritate erga alios homines, noua incrementa capiat; *Epheſ. III, 16. ſeq.* *

* Fons omnis miseriae, in qua homines ante conuersionem constituti sunt, hic est, quod voluntate sua a Deo, ceu summo bono, & omnis beatitudinis centro, auersi, se ipsos supra omnia, & hinc res creatas, ex quibus commodum aut voluptatem capiunt, eadem ratione ament. Per conuersionem itaque ea animi in illis contingit immutatio, vt Deum iterum, ceu summum bonum suum, eumdemque per sanguinem Christi reconciliatum, super omnia amare incipiant; vnde & *a tenebris ad lucem, a poteſtate ſatanae ad Deum* conuerti dicuntur; *actor. XXVI, 18.* Et hoc pacto rectus amoris ordo vtcumque restituitur, dum Deum super omnia, alios homines ſicut se ipsos, se ipsos secundum

dum ordinem a Deo praescriptum, diligere incipiunt, quae & totius legis diuinae summa est; *Matth. XXII, 37. 39.* Neutiquam autem inordinatus sui ipsius, & rerum huius mundi amor, in conuersione ita statim subigi potest, vt non subinde, aut per voluptatis cupiditatem, aut per auaritiam, aut per ambitionem erumpere gestiat; quo ipso simul amor Numinis impeditur, ne semper & vbique vim suam & efficaciam, ita vt par erat, exserere possit. Hinc itaque labor praecipuus hominum regenitorum, qui & in vitae sanctae studio maximum momentum trahit, vt amorem istum sui, rerumque creatarum inordinatum reprimendo, amorem Numinis excitent; & hunc excitando, alendo, fouendo, illum supprimant atque coërceant. Sunt enim haec ita inter se opposita, vt, quo magis amor sui inordinatus opprimitur & coërcetur, eo magis amor Dei excitetur & crescat; & vicissim, quo magis hicce crescit & incenditur, eo magis imminuatur ille & eneruetur. Opprimi autem inordinatus sui & rerum creatarum amor non aliter potest, quam per continuam seriamque sui ipsius abnegationem, cuius summam adeo in studio sanctitatis necessitatem hinc intelligere licet. Quare & idem illud praeceptum diuinum, quod Deum supra omnia amare iubet, etiam abnegationem sui praecipit; conf. *Deut. VI, 4. 5.* collat. cum *Matth. XXII, 37. Marc. XII, 30. I. Cor. VIII, 5. 6.* Nimirum amor iste sui inordinatus, seu philautia praua, reuera turpissima foedissimaque est idololatria. Hunc ergo quamdiu per sui ipsius abnegationem homo non exuit, verum vnicumque Deum, vt decet, colere nequit. Rationemque hinc intelligere licet, cur seruator optimus toties abnegationem sui nobis commendet, eumque discipulum suum esse diserte neget, qui se ipsum non abnegauerit; *Matth. X, 37. 38.*

38. XVI, 24. Luc. IX, 23. XIV, 26. 27. Ex abnegatione autem sui, cum humilitas pariter ac patientia fluat, prout amor sincerus Numinis reliquarum virtutum omnium mater est; sequitur, in omnibus istis proficere, qui in sui abnegatione, amoreque Numinis proficit; quemadmodum rursus reliquarum virtutum omnium exercitium, vt per se est necessarium, ita &, vt in amore Dei, nostrique & rerum huius mundi abnegatione rite proficiamus, plurimum confert. Atque haec est exercitatio illa ad pietatem, quam Paulus inculcat: γύμναζε δὲ σεαυτὸν πρὸς εὐσέβειαν, I. Tim. IV, 7. cum in hisce virtutibus quotidie progredimur, & vitia iis opposita exuere adlaboramus. Ne autem in re tanti momenti fallamur, aut aliquid admittamus, quod nos omni industriae nostrae fructu priuet; primo quidem cogitandum, numquam eousque nos proficere posse, vt non longe plurima, ad quae contendere debeamus, restent; conf. Phil. III, 12. 13. 14. Porro, fieri posse, vt licet reuera crescamus, & proficiamus, nullum tamen incrementum sentiamus; quippe quod ex statu praesentis cum praeterito comparatione cognoscitur. Comparatio vero haec ita instituenda, vt numquam non, quid adhuc restet, perpendamus, vt eo magis ad humilitatem & diligentiam inde excitemur. Cauendum denique, ne in hisce omnibus naturae gratiam imitantis nos decipiat fallacia; cum nihil frequentius sit, quam vt homines virtutes christianas sibi habere, & in iis se egregie proficere, sibi videantur, quarum tamen solum vmbra quadam, vt inani specie, se ipsos decipiunt misere.

§. XII.

Idem & de iis mentis facultatibus censendum, quae cum quodam corporis commercio coniunctae sunt, *imaginatione*, & *adpetitu*,

adpetitu, quem vocant, *ſenſitiuo*. Quidquid in illis ἀταξίας occurrit, occurrit autem ſubinde & in regenitis adhuc plurimum, magis magisque imminuitur, vt contra rationis diuinitus colluſtratae imperio, perfectiori obedientia omnes iſtarum facultatum motus ſubiiciuntur. Quae vero emendatione quadam atque directione indigent, vt vis praeſtans ingenii, iudiciique ἀκρίβεια, vel praeſtantia memoriae, maiori ſemper alacritate, ad ea, quae bona ſunt, hominique ſalutaria flectuntur. *Adfectuum*, & quidem naturalium praecipue, quaenam hic ratio ſit, ex ipſa eorum indole haud difficulter intelligitur. *

* Adfectus, qui in hominibus regenitis deprehenduntur, duplicis ſunt generis, vel *ſpirituales*, vel *naturales* quidem, ſed ſanctificati, & vlterius ſanctificandi. Spirituales ſunt, qui ex cauſſis ſpiritualibus oriuntur, atque adeo a mente tantum originem habent, licet in corpore etiam effectus eorum quandoque ſentiantur, vt *amor Dei*, *odium peccati*, *triſtitia & dolor ob peccata*, *gaudium ſpirituale*, *ſpes diuina*, *zelus*, & alii. Naturales ſunt, qui ex cauſſis naturalibus oriuntur, ſed per fidem ſanctificantur, & qua obiectum, modum, finem, rite diriguntur, vt *amor parentum*, *liberorum*, *cognatorum*, *amicorum*, *triſtitia*, *commiſeratio*, & alii. Qui vero natura ſua aliquid mali inuoluunt, adfectus, vt *inuidia*, & reliqui, ſubiugantur a regenitis, & ſupprimuntur, *Gal. V, 24.* De ſpiritualibus adhuc obſeruandum, eos equidem per ſe bonos eſſe, ſed tamen hominum culpa defectus quosdam iis adhaerere,

haerere, quos itidem tollere adnituntur, qui in studio sanctitatis proficiunt. Discernendi porro a spiritualibus sunt, *mentales*, cum illi in solis regenitis sint, hi autem etiam in irregenitis, & in eo tantum conueniant, quod vtrique non a sensibus externis, aut imaginatione, sed ab intellectu originem ducant. Recte itaque sub naturalium adfectuum nomine, tum *mentales*, tum *sensitiui* (qui alias κατ' ἐξοχὴν fere adfectus vocari solent) comprehenduntur, adeoque de vtrisque, quod de naturalibus diximus, intelligendum est.

§. XIII.

Nec *corporis* hic negligenda conditio, quippe quae ad animi propensiones plurimum confert. Immo, quo saepius contingit, vt per corporis motus vehementiores mens ipsa abripiatur, eo maius adhibendum studium, vt eos coërceamus, atque compescamus. Quo maior enim est vis corporis, eo difficilius mens motibus eius resistit, & praecipitia, in quae hac ratione fertur, euitat. Vnde & corporis sanctificationem scriptura ipsa tam studiose inculcat; *I. Thess. V, 23. Rom. XIII, 14. I. Cor. IX, 27.* Simul tamen & legitimus membrorum corporis vsus hic in censum venit *Rom. IV, 19.*

§. XIV.

Qui haecce omnia in regenitis efficit, Deus est, quippe qui *& velle & perficere in illis operatur; Philipp. II, 13.* Cum autem homo, per vires in regeneratione collatas,

itidem aliquid conferat, hinc *gratiae cooperanti* sanctificatio tribui solet. De omnibus autem, quod diximus, diuinitatis personis intelligendum est, cum & de patre hoc adseratur *Ioan. XV, 2. Ebr. XIII, 20. 21.* & de filio, qui non tantum hanc gratiam nobis promeruit, *Ebr. IX, 14. Rom. VI, 6. 8.* sed eam etiam operatur, *I. Cor. I, 30. Ebr. III, 11.* immo a quo, ceu capite, membra corporis mystici omnem influxum spiritualem recipiunt; *Ephes. I, 23. IV, 15. Ioan. XV, 1. 2.* specialiori tamen quadam ratione de spiritu sancto; *Rom. I, 4. VIII, 2. 9. 10. 11. 14. Gal. V, 22.*

§. XV.

Eo minus autem dubitandum, sanctificationem esse opus aliquod ipsius Dei, quoniam hic in cordibus fidelium habitat, *Ioan. XIV, 25.* tamquam in templo suo, *I. Cor. III, 16.* & quidem per *vnionem*, quam *mysticam* vocare solent. Quae vnio, qua ex vna parte Deus trinunus, *Ioan. XIV, 23. II. Cor. VI, 16. 17. 18.* speciatim Christus, secundum vtramque naturam, diuinam & humanam; *I. Cor. VI, 17. Ephes. I, 22. 23. IV, 25.* ex altera parte homines credentes, *Es. LVII, 15. I. Petr. I, 4. seq. Ephes. III, 17.* inter se coniunguntur, vti in ipsa regeneratione, & conuersione per fidem incipit, ita in sanctificatione continuatur. Modus vero plane singularis est; certumque, quod non

non solam omnipraesentiam diuinam, qua Deus rebus creatis omnibus adest, sed amplius quid denotet; num vero in gratiosa solum operatione & donorum diuinorum communicatione, an vero in arctiori quadam fidelium, qua substantiam illorum, cum ipsa Numinis substantia, coniunctione consistat? de eo non omnes inter se conueniunt.

§. XVI.

Quae homo ipse hac in re agit, in eo praecipue consistunt, quod impedimenta, quibus operatio diuina sufflaminatur, remoueat, & mediis, quibus gratia diuina, eiusque incrementum, obtinetur, recte vtatur; cumprimis, vt vitiorum prauarumque cupiditatum insultibus, atque tentationibus fortiter resistat; quod cum sine certamine fieri nequeat, *lucta* hinc oritur *carnis* atque *spiritus*; * tum, vt displicentia atque dolore ea, quae per imbecillitatem admisit, retractet, fideique actu subinde repetito, nouas vires adquirat; continuo denique atque quotidiano exercitio malarum propensionum vim imminuat, bonarum autem augeat.

* *Lucta* haecce *carnis & spiritus*, quae in conuersione equidem incipit, sed in sanctificatione per omnem vitam continuanda, probe & adcurate discernenda est a *pugna rationis & adpetitus sensitiui*. Illa enim in regenitis tantum deprehenditur; *Rom. VII, 15. VIII, 7. Gal. V, 17.* haec vero in irregenitis

nitis quoque locum habet; *Rom. II, 15.* In *pugna* porro *rationis & adpetitus sensitiui*, adfectus naturales ex repraesentatione honesti, decori, laudis, poenae, praemii, per rationem excitati, pugnant cum adfectibus & propensionibus crassioribus, ad peccata grauiora & externa homines impellentibus. In *lucta* contra *carnis & spiritus*, spiritus, animus illuminatus, fide ornatus, viribus gratiae instructus, pugnat contra propensiones, & adfectus prauos quoscumque, etiam subtiliores, ad eiusmodi peccata tendentes, quae in se spectata satis grauia sunt, sed subinde ab hominibus irregenitis, ne quidem pro peccatis, saltem pro leuissimis habentur. Praeterea, *ratio* contra adpetitum sensituum pugnat armis naturalibus, argumentis philosophicis; *spiritus* vero armis vtitur spiritualibus, scuto fidei, gladio verbi, precibus gemitibusque ad Deum fusis, ceterisque a Paulo enarratis, *Ephes. VI, 11. seq.* Denique & euentu pugnae differunt; qui in regenitis, modo rite pugnent, nec sibi ipsis desint, est victoria, *I. Ioan. V, 4. II. Tim. II. 3. 4 5.* & libertas a dominio prauorum adfectuum; *Rom. VI, 12. 14. 17.* Irregeniti autem, licet interdum vtcumque prauos motus reprimant, haud raro tamen, quantumuis omnes animi vires intendant, succumbunt, & a iugo isto se liberare nequeunt; aut si victoriam se referre sibi videantur, plerumque hoc fit ope alterius adfectus praui, quem illi, cuius impetum infringere cupiunt, opponunt.

§. XVII.

Patet itaque, quod sanctificatio non rite procedat sine *poenitentia quotidiana*; quae adeo & inter media eius recte refertur, & quandoque specialiori significatione *renouationis* nomine venit. Eaque cum carni

ni atque sanguini parum grata sit, subinde loquutionibus, summum dolorem significantibus, in scriptura sacra exprimitur; quales sunt: *crucifixio carnis cum cupiditatibus suis*, *Gal. V, 24. abscissio & mortificatio membrorum*, *Matth. XVIII, 8. 9. Coloss. III, 5. circumcisio cordis*; *Rom. II, 29.* Accedant vero & alia media necesse est, legitima verbi diuini tractatio, praxis legitima sacramentorum, speciatim sacrae eucharistiae, preces vera fide ad Deum fusae, & reliqua.

§. XVIII.

De *necessitate* sanctificationis nemo dubitauerit, nisi qui ipsius vitae spiritualis conseruationem, eamque augendi & promouendi studium, parum necessarium existimauerit; quod absonum foret.* *Vtilitas* vel ex bonis, quae eam aut comitantur, aut consequuntur, intelligitur.** Hinc & *difficultate*, quae ex carnis reluctantia oritur, nemo ab ea deterrebitur.*** Quantumuis autem omnem quis nauet operam, vt in ea progrediatur, semper tamen *imperfecta* manebit.*

* Si enim vita spiritualis non sollicite conseruetur, & augeatur, facile iterum imminuitur, tandemque prorsus amittitur. Idque est, quod Petrus nos condocet, *II. epist. I, 10.* Omnia praeterea salutis media eo tendunt, vt imago diuina in nobis restauretur & magis perficiatur. Quae quidem restauratio, vt in regeneratione inchoatur, ita continuatur, cum vitae sanctitati studemus, *Ephes.*

IV, 24. Coloss. III, 9. 10. I. Petr. II, 1. 2. Immo ideo Christus etiam venit, non tantum vt peccata nostra expiaret (quamquam haec caussa sit praecipua) sed &, vt *opera diaboli destrueret; I. Ioan. III, 8.* adde *Tit. II, 14. I. Petr. II, 21. I. Thess. IV, 3. I. Petr. I, 15. 16. Ebr. XII, 14.*

** Quod de pietate Paulus dixit, eam *ad omnia esse vtilem, & promissionem habere, huius & futurae vitae; I. Tim. IV, 8.* id merito generatim de vitae sanctae studio intelligitur. Immo tanta Deum sincere amantium, adeoque & vitae sanctitatem consectantium, est felicitas, vt cuncta, quantumuis aduersa sint, in illorum commodum cedant; *Rom. VIII, 28.* Cumque eiusmodi homines pacem habeant cum Deo, & conscientiae gaudeant tranquillitate; de gratia porro Dei, & quod numquam non preces suas exaudiat, longe sint certissimi; certam insuper spem habeant vitae aeternae; & per ipsum illud continuum sanctitatis studium *vocationem suam & electionem firmiorem faciant; II. Petr. I, 10.* calamitates denique, quas subinde experiuntur, pro diuini fauoris reputent documentis: nemo non, eiusmodi inde in eos redundare bona, perspicit, ob quae felices maxime atque beati censeri debeant.

*** Difficultatibus sane non carere sanctitatis studium, & res ipsa, & quotidiana docet experientia. Colluctandum enim est hominibus piis quotidie, cum carne, mundo, & diabolo. Praeterea ὄγκον, καὶ ἐυπερίστατον ἁμαρτίαν *onus &* (vestimenti instar) *nos ambiens peccatum* in se deprehendunt, quod cursum istum, quem ingressi sunt, admodum difficilem reddit; *Ebr. XII, 1.* Quamobrem & seruator optimus ipse, *portam angustam & viam arctam esse*, dicit, quae ad vitam ducit; *Matth. VII, 13. 14.* Quantumuis autem difficile sit, in vitae sanctae studio, ita vt decet, proficere; non tamen

inde

inde inferendum, quod nonnulli faciunt, ac si plane sit ἀδύνατον. Sane, si secundum solas naturae vires hominem consideremus, id ἀδύνατον esse, lubens fateor. Sed de regenitis, qui gratiae viribus pollent, & quibus numquam non Deus ipse, apud quem nihil est ἀδύνατον, adest, aliter pronuntiandum. Quam quidem Numinis in regenitis potentiam verbis ἐμφατικοτάτοις describit apostolus *Ephes. I, 19. VI, 10.*

* Cum subinde hactenus docuerimus, in vitae sanctae studio proficiendum esse, quotidianaque nobis opus esse renouatione; euidens inde est, quantumuis magnam adhibeamus diligentiam, semper tamen vitae nostrae sanctitatem manere imperfectam. Et nemo sane regenitorum ad eum sanctimoniae gradum peruenire potest, vt non defectu quodam laboret; vide *I. Cor. XIII, 9. 12. Phil. III, 12.*

§. XIX.

Cum vero hominum regenitorum, atque in sanctae vitae cursu constitutorum, tanta adhuc sit imbecillitas, vt labi facile, atque ita tandem praemio, ad quod tanto studio, tantoque labore adspirarunt, frustrari queant; tanta contra Dei est benignitas, tamque propitius fauor, vt eos, siquidem mediis gratiae secundum praescriptum diuinum rite vtantur, per spiritus sancti gratiam, virtutemque suam ac potentiam custodire, atque conseruare velit, vt illaesi tandem ad portum perueniant, ac ad aeternam beatitudinem per fidem finalem deducantur; *I. Petr. I, 4. 5.* Atque haec est *perseuerantia* illa *sanctorum*, quae neutiquam immutabili

cuidam & absoluto decreto Numinis, sed gratiae eius & benignitati, certo tamen ordine sese exserenti, est tribuenda. *

* De necessitate perseuerantiae in fide, &, quae a fide separari nequit, vitae sanctitate, nemo temere dubitauerit. Nemo enim coronam vitae accipiet, nisi vsque ad mortem constans & fidelis fuerit; *apoc. II, 10.* Nec proderit cuiquam fuisse iustum, si iustus esse desinat, vitiorumque sordibus iterum immergatur; *Ezech. XVIII, 24.* Quod tamen non ita est accipiendum, ac si numquam aliquis gratiae & fidei statu excidere queat, aut si exciderit, reditus illi ad eumdem non amplius pateat. Namque fidem omnino, vitamque adeo spiritualem prorsus amitti, per poenitentiam vero iterum recuperari posse, supra iam ex instituto docuimus. Et sane praeter experientiam quotidianam, exempla Dauidis, Petri, aliorumque, & luculentissima scripturae effata, *Ezech. XVIII, 26. Matth. XIII, 21. Ioan. XV, 6.* aliaque, id satis superque comprobant. Nec obstat, quod foederis diuini cum credentibus initi perpetuitas in sacris litteris subinde celebretur, vt cum *Esa. LIV, 10.* dicitur: *Montes recedent, & colles dimouebuntur, attamen benignitas mea a te non recedet, & foedus pacis tuae non dimouebitur, ait miserator tuus Iehoua:* conf. & *Ierem. XXXII, 38. 39. Hos. II, 19.* Res enim ipsa docet, haecce similiaque testimonia de gratia Dei, seu foedere gratiae, intuitu Dei loqui; qua quidem ratione illud perpetuum & constantissimum esse, nemo dubitauerit. Inde autem non sequitur, homines semper ita se gerere, vt ipsimet numquam hocce foedere excidant, aut Deum veluti cogant, vt gratiam suam iterum ab iis auertat. Nimirum ita se res habet, hominum tanta est imbecillitas, tanta ad malum pro-

pronitas, tot insuper circumdati sunt hostibus, vt, nisi caute admodum incedant, facillime labantur, & in praecipitia ruant. Sed hic gratia conseruans, cuius donum perseuerantia illa est, iis succurrit, si scilicet mediis ad eam retinendam necessariis rite vtantur. Interim de gratia ista conseruante, adeoque & salute per eam impetranda, longe possunt esse certissimi; quippe quae ex vniuersali ista gratia Dei, quam supra ex instituto adstruximus, & voluntate diuina, omnes homines saluandi, sponte sua fluit. Et hoc etiam promissiones illae de gratiae perpetuitate, antea iam commemoratae, *Esa. LIV, 10. Iorem. XXXII, 38. 39. Hos. II, 19.* similesque confirmant. Idque inde porro patet, quod Christus homines credentes, seu regenitos, tamquam *hereditatem a patre sibi concessam*, *psalm. II, 8.* vt eos, *quos pater sibi dederit*, *Ioan. XVII, 6.* vt λαὸν εἰς περιποίησιν, *populum quem sibi vt proprium vindicat*, *I. Petr. II, 9.* vt λαὸν περιούσιον, *populum peculiarem*, *Tit. II, 14.* consideret, quorum adeo conseruatio illi curae cordique est. Vnde & ipse seruator, *pater ille meus*, iuquit, *qui dedit eas* (oues meas) *mihi, maior omnibus est, neque quisquam potest eas eripere e manu patris mei; Ioan. X, 29.* Accedit porro, quod specialiori quadam ratione pro iis intercedat, *Ioan. XVII, 15. 20.* eiusdemque spiritus, quo & ipse vnctus est, eos velit esse participes, *psalm. XLV, 8.* quem & in pignus ac documentum, seu signum certissimum, quod de gratia diuina eos dubitare non sinat, accipiunt; *II. Cor. I, 21. 22. II. Tim. II, 19. Ephes. I, 14.*

§. XX.

Sanctitas illa, quae per sanctificationem

augetur, atque incrementum capit, simulque maximum decus ac ornamentum hominis regeniti constituit, in virtutum omnium studio atque exercitio, conspicitur. Etsi enim reuera vnica solum sit virtus, prout vnicum est studium, se suasque actiones ad Numinis voluntatem componendi; cum tamen pro obiectorum varietate diuersas denominationes sortiatur, hoc quidem sensu varias quoque admitti virtutes posse, manifestum est; *Philipp. IV, 8. II. Petr. I, 5. 6. seq.*

§. XXI.

A virtutibus ipsis distinguenda sunt *officia;* quae & alias *bonorum operum* nomine in scriptura sacra veniunt; *Ephes. II, 10. Tit. II, 14.* Intelliguntur namque per bona opera, actiones hominum regenitorum, cum lege diuina, seu norma nostrarum actionum conuenientes, & ex vera fide profectae, quibus suum erga Deum amorem, animumque gratum, & studium, gloriam eius promouendi, demonstrant. * Atque hinc, quo loco opera non renatorum, quae itidem bona vocari solent, habenda sint, patet. **

* Dum diximus, per opera ista bona intelligi *actiones hominum regenitorum;* primum quidem obseruandum, vocem *actionis* in latissimo hic accipi ambitu, prout non tantum quae committuntur, sed & quae omittuntur; non tantum actiones externas,

ternas, sed & internas, omnes animi motus, cogitata, dicta, facta, denotat. Namque ad haecce omnia legis diuinae obligatio pertingit. Eas porro actiones, quae *hominum regenitorum* sunt, hic intelligi, vel inde manifestum est, quod ex fide vera proficisci debeant, quippe sine qua nihil Deo placere potest; *Ebr. XI, 6.* soli autem regeniti cum fidem habeant, sequitur, solos quoque opera bona, quae Deo placeant, edere posse. In generaliori equidem rursus significatione si bona opera accipiantur, motus etiam pii qui in animo hominis, dum conuertitur, exsistunt, quiue adeo fidem & iustificationem aut praecedunt, aut comitantur, ita vocari possunt. Sed solent subinde theologi hac voce in specialiori significatione vti, qua eiusmodi opera denotat, quae fidem & iustificationem sequuntur; & haec huius loci est. Normam bonorum operum, vti & ipsarum virtutum, esse legem diuinam, eamque vniuersalem, nullum est dubium. Nec praetermittendae sunt leges humanae, si modo iis reuera obligamur, eaeque & iustae sint, & nihil, quod cum verbo diuino pugnet, contineant. Dum enim Deus nos magistratui in rebus licitis obedire voluit; *Rom. XIII, 5. I. Petr. II, 13. 14.* sequitur, neminem contra legem humanam peccare, vt non simul contra legem diuinam peccet. Et in ista quidem actionum nostrarum cum lege conuenientia, quae longe exactissima esse debet, forma bonorum operum consistit, si in se spectentur. At si considerentur, prout Deo placent; forma illorum consistet in fide in Christum. Absque illa enim si essent, Deo placere non possent. Reliqua, quae de bonis operibus diximus, ad finem illorum, & quidem proximum pertinent; qui cum multiplex esse queat; praecipuus tamen est, vt amorem, animumque gra-

gratum erga Deum, adeoque & ſtudium, gloriam eius promouendi, hac ratione demonſtremus. Plurima alia tum ad alios homines, tum ad nos ipſos inde redundant commoda; quorum haud vltimum eſt, quod hoc pacto, vti per ipſam renouationem, de vocatione & electione noſtra certiores reddamur; *II. Petr. I, 10.* Accedit denique, quod praemia ampliſſima bonorum operum a benignitate diuina exſpectemus; vt diſerte ſeruator noſter promiſit, *Matth. X, 42. Marc. IX, 41.*

** Negari equidem nequit, poſſe homines non renatos; immo ipſos etiam gentiles, opera quaedam edere, quae, ſi actum externum ſpectes, cum lege conueniant, adeoque hactenus bona dici queant. Non etiam nego, Deum, per prouidam ſuam curam, qua rebus mortalium proſpicit, haec omnia ita dirigere, vt plurima inde ſaepius commoda ad alios homines proueniant. Sed cum ad opus vere bonum etiam requiratur, vt actus interni, praeſertim intentio, cuncta ad Numinis gloriam dirigendi, & omnium circumſtantiarum obſeruatio, cum actu externo plene conſpirent; conuenientia porro in hisce omnibus cum lege, non aliqualis, ſed exactiſſima adeſſe debeat; ſequitur, opera non renatorum, & gentilium, neutiquam bona vocari poſſe, immo non errare, qui *ſplendida* ea dixerit *peccata.*

§. XXII.

Cum obiectum perſonale virtutum officiorumque triplex ſit, Deus, homo ipſe, & alii homines; hinc & officia ſeu bona opera ad tres praecipuas claſſes reuocari poſſunt; vt alia ſint, quae homo erga Deum, alia, quae erga ſe ipſum, alia, quae erga alios homines praeſtat. Hinc & tres virtutes cardinales, quae triplici huic officiorum claſſi reſpondent, recte

recte constituuntur, *pietas*, *temperantia*, atque *iustitia*, *Tit. II, 12.*

§. XXIII.

Cum homines regeniti, quidquid agunt, non ex *spiritu seruitutis*, sed *filiali* agant, *Rom. VIII, 15.* certe agere debeant; bona quoque opera, si modo vere talia sint, hoc maxime nomine se commendant, quod *sponte* & absque omni coactione ab illis fiant; *psalm. CX, 3.* Interim quod de sanctificatione ipsa diximus, de operibus bonis quoque intelligendum, ea ob adhaerens regenitis peccatum, *imperfecta* esse. Ea *necessaria* esse saluandis, itidem ex ipsius sanctificationis necessitate patet. *

* Cum bona opera necessaria dicuntur, non vna ratione hoc intelligi potest. Primo namque eo modo sunt necessaria, prout fructus boni necessario ex arbore bona fluunt; *Matth. VII, 17. 18.* Fides enim semper per caritatem est efficax; *Gal. V, 6.* Deinde & ideo sunt necessaria, quia hoc pacto amorem nostrum & obsequium erga Deum testamur; *Malach. I, 6.* Quod quidem obsequium Deus ab omnibus, non tantum iure creationis, sed adhuc multo magis iure redemtionis exigit; *Tit. II, 14.* Hinc homines regeniti *creati in Christo* dicuntur *ad opera bona*; *Ephes. II, 10.* conf. *Rom. VI, 13. seq. I. Ioan. II, 8.* Necessaria hinc itaque etiam sunt intuitu eorum, quae speciatim erga Deum praestanda sunt, vt pietatem nostram demonstremus, ac ita nomen Dei & glorificemus ipsi, & aliis, vt idem faciant, occasionem praebeamus; *Matth. V, 16. I. Petr. II, 12.* intuitu nostri,

vt

vt abstineamus a *cupiditatibus*, *quae cum anima pugnant*; *I. Petr. II, 11.* conf. & *II. Petr. I, 4.* intuitu denique aliorum, vt omnibus & singulis ea praestemus, ad quae illis obstricti sumus, & ita amorem nostrum erga eos patefaciamus, quem *legis impletionem* apostolus dixit; *Gal. V, 14.*

§. XXIV.

Qui in hocce doctrinae, de sanctificatione ac bonis operibus capite, occurrunt, errores praecipui, ad tres commode reuocari possunt classes. Nonnulli sanctificationem a iustificatione, bona opera a fide ita seiungunt, vt salutem aeternam sibi polliceantur, etsi de vitae sanctitate non solliciti, omni peccatorum & cupiditatum prauarum generi strenue indulgeant. Alii virtutes & bona opera equidem commendant, sed non alia, quam quae a sola natura, remota gratia diuina, proficisci possunt, nullum hic inter gentiles atque christianos discrimen agnoscentes. Alii denique bonis operibus plus quam decet tribuunt, dum hominem iis gratiam diuinam, vitamque aeternam promereri posse, contendunt; gratiae diuinae tantum adimentes, quantum operibus adscribunt; simul tamen spuriam minusque genuinam de bonis operibus notionem animo concipientes. Quorum quidem omnium introspicere fontes, haud adeo difficile fuerit.

§. XXV.

§. XXV.

Eiusmodi erroribus licet numquam non plurimorum animi fuerint occupati; numquam tamen etiam defuerunt, qui iis mascule se opponerent, euincerentque, & necessariam esse sanctificationem, & bona opera a fide, si modo haec vera & genuina sit, seperari non posse; quae a sola natura proficiscuntur opera, quantumuis splendida interdum coram hominibus, bona tamen secundum sensum scripturae, dici non posse, nec grata Deo esse, quippe cui nihil sine fide placeat; *Ebr. XI, 6.* nec rursus operibus reuera bonis ea tribuenda, quae illis minime tribui debent. Atque hac ratione, in hocce quoque capite veritas adserta, conseruata, atque propagata fuit.

§. XXVI.

Qui hactenus dicta ad vitae christianae vsum transferre cupit, ei hoc cumprimis agendum, vt dispiciat, an etiam ipsemet in statu sanctificationis constitutus sit, atque in eodem progrediatur? Qua de re si certior fieri velit, ad se ipsum saltem respiciat, atque attendat, num incrementum aliquod virium spiritualium in se deprehendat? num infans adhuc sit, an ad perfectioris aetatis gradum accedat? *Ephes. IV, 13.14.*

13. 14. Ebr. V, 12. 13. speciatim, num incrementum aliquod lucis, seu cognitionis spiritualis, atque sapientiae in se sentiat? *II. Petr. III, 18.* simulque & δοκιμασίας spiritualis, quae ex sanctificatione oritur; *Rom. XII, 2.* Idemque & de fide ipsa, deque amore Dei, & reliquis virtutibus hinc fluentibus est obseruandum, in quibus semper vlterius progrediendum est. Quaecumque autem a Deo accepimus dona, caute, rectèque, & summa cum fidelitate administranda sunt, ne gratis ea accepisse videamur; *I. Cor. XV, 10.* Quae quidem circumspectio & diligentia in mediis gratiae rite vsurpandis itidem est adhibenda, ne sperato excidamus fine.

INSTI-

INSTITVTIONVM THEOLOGIAE DOGMATICAE

LIBER QVINTVS

DE

SACRAMENTIS NOVI TESTAMENTI, DEQVE PRAEDESTINATIONE, ITEMQVE DE ECCLESIA ET STATIBVS HIERARCHICIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1724821938/phys_0745
DFG

LIBRI QVINTI

CAPVT PRIMVM

DE

SACRAMENTIS NOVI TESTAMENTI BAPTISMO ET SACRA COENA.

Σύνοψις.

ORdinis ratio. Duo tantum noui testamenti sunt sacramenta, §. I.

Baptismus est sacramentum initiationis; origo eius prout sacramentum est, §. II.

Auctor eius, seu caussa efficiens principalis, Christus est, §. III.

Caussa ministerialis, ministri ecclesiae sunt, rite constituti; vrgente autem necessitate, & alii, §. IV.

Materia, itemque forma baptismi, §. V.

Baptizandi sunt omnes homines, qui ad salutem aeternam sunt perducendi; adeoque & infantes, §. VI.

Effectus baptismi, §. VII.

Baptismus in nouo testamento est signum receptionis in foedus gratiae, §. VIII.

Ritus humani circa baptismum, si superstitionem non inuoluant, merito retinentur; quod & de exorcismo adscritur, §. IX.

Baptismi necessitas; idem quoque rite collatus, iterari non debet, §. X.

Alterum noui testamenti sacramentum est sacra coena, eum in finem instituta, vt noui testamenti sacramentum esset, §. XI.

cuius adeo caussa efficiens principalis, seu auctor, itidem Christus est, §. XII.

Ex mandato Christi ministri ecclesiae sacram coenam administrant, eiusue adeo sunt caussa ministerialis, §. XIII.

Materia terrestris sacrae coenae quaenam? §. XIV.

item,

item, materia caelestis, huiusque cum terrestri vnio, §. XV.

Panem autem atque vinum in corpus & sanguinem Christi mutari, perperam creditur; adeoque & vnio, quam adserimus, solum in vsu permanet, §. XVI.

Forma sacrae coenae, seu ratio formalis, in quo consistat? §. XVII.

Sacra coena non est sacrificium, & quidem proprie sic dictum, §. XVIII.

Quinam ad sacram coenam sint admittendi? Vtrumque omnibus exhibendum est symbolum, §. XIX.

Fructus siue effectus sacrae coenae quinam? §. XX.

Summa, & fons errorum de sacramentis noui testamenti, speciatim de baptismo, §. XXI.

item, de sacra coena, §. XXII.

Vera tamen in vtroque capite doctrina semper conseruata & propagata fuit, §. XXIII.

Quem in praxi vitae christianae vsum habeat doctrina de baptismo? §. XXIV.

itemque, doctrina de sacra coena, §. XXV.

§. I.

CVm inter media regenerationis conuersionisque, pariter ac renouationis seu sanctificationis, non tantum in veteri, sed & in nouo testamento, Deus benignissimus sacramenta quoque esse voluerit; de hisce vt agamus, ordo & instituti ratio postulat. Duo autem tantum esse noui testamenti sacramenta, proprie sic dicta, constat, baptismum, & sacram coenam.

§. II.

Baptismus est sacramentum initiationis, quo in foedus gratiae secundum Numinis

praescriptum, in nouo testamento recipiuntur, quotquot Christo nomina dant sua. Etsi enim & apud Iudaeos baptismus aliquis proselytorum in vsu esset; tum demum tamen auctoritatem diuinam, indolemque sacramenti accepit, cum a Deo ipso est institutus.

§. III.

Auctor itaque, atque *caussa*, vt vocari solet, *efficiens* baptismi, Deus est, speciatim Christus, qua vtramque naturam, diuinam & humanam spectatus; *Matth. XXVIII, 18.* Non tantum enim, vt ritus hicce certa ratione administratus, medium salutis esset, constituit, sed & apostolis eorumque successoribus, vt eumdem secundum praescriptum ordinem conferrent, mandauit. * Qua in re, quin summa eius benignitas atque misericordia eluxerit, dubitare non licet. **

* Deum ipsum Ioannem iussisse, vt baptizaret, verba eius apertissima, *Ioan. I, 33.* nos dubitare neutiquam sinunt. De Christo hoc itidem constat ex *Matth. XXVIII, 19.* vbi non nouum & a Ioanneo diuersum instituit, sed Ioannis baptismum confirmauit, & formulam, qua apostoli, eorumque successores vti deberent, praescripsit. Ista autem, siue institutio, siue confirmatio, cum diuinam prorsus requirat auctoritatem; manifestum est, Christum hoc non tantum vt verum hominem, sed & vt verum fecisse Deum. Solius enim Dei est, sacramenta & instituere & confirmare. Cumque eiusmodi actus, vt alibi dictum, omnibus trinitatis perso-

personis sint communes; quod de Christo, vt Deo spectato, dicitur, non potest non quoque de patre & spiritu sancto intelligi. Hinc & Christus ipse in *nomine patris, filii & spiritus sancti* baptizari iussit, ex mandato & auctoritate trium personarum diuinitatis hoc fieri, significans; *Matth. XXVIII, 19.* Eos, qui baptismum vt reliqua sacramenta, pro ritu quodam habent, qui libere & vsurpari & intermitti queat, diuinam quoque negare eius institutionem, mirum non est. Sed hosce & res ipsa, & luculentissima scripturae testimonia conticescere iubent.

** Hoc Paulus testatur, quando, Deum *secundum misericordiam suam* nos saluos fecisse, dicit, *per lauacrum regenerationis & renouationis; Tit. III, 5.* Non tantum enim salutem ipsam, sed & regenerationem per baptismum, ceu medium salutis, misericordiae diuinae tribuit. Accedit vero etiam meritum Christi, siquidem idem apostolus, *Christum se tradidisse*, ait, *pro ecclesia, vt illam sanctificaret, mundans lauacro aquae in verbo, Ephes. V, 26.*

§. IV.

Qui baptismum ex Numinis mandato aliis rite conferre possunt, ministri ecclesiae sunt rite constituti. Vrgente tamen summa necessitate, sique periculum sit in mora, ab aliis hoc etiam fieri posse, ex ipsa initiationis necessitate, & scripturae effatis, summam hancce necessitatem inculcantibus, colligitur. *

* Baptismum ab eo, qui minister ecclesiae est, rite vocatus & ordinatus, si fieri queat, conferendum esse, nemo forte dubitauerit, cum ecclesiae ministros οἰκονόμους μυστηρίων θεοῦ, *dispensatores mysteriorum Dei* esse, diserte Paulus pronuntiet, *I. Cor*

IV,1. Praeterea, cum ipsis apostolis hocce munus baptizandi Christus demandauerit; *Matth. XXVIII, 18. 19.* ad illorum itidem hoc recte pertinere creditur successores. Licet autem valde optandum sit, vt qui ex ecclesiae ministris baptismum conferunt, & orthodoxi sint, & homines pii, seu, qui in statu regenerationis sunt constituti; si tamen contingat, haereticum esse, qui baptizat, aut impium, baptismus nihilo secius validus censetur; quippe qui non a conditione aut virtute baptizantis, sed ab institutione diuina, vim omnem ac efficaciam habet. De haereticis quod diximus, de illis intelligendum est, qui in iis, quae ad ipsam essentiam baptismi spectant, nobiscum consentiunt, nec quidquam in hisce mutant; hoc enim si faciant, aliter pronuntiandum esse, manifestum est. Validus itaque etiam atque efficax est Romanensium baptismus, cum in essentialibus nihil mutent, & nobiscum consentiant, etsi ritus varios & caerimonias, quas merito repudiamus, baptismo addant. Quodsi ecclesiae minister non adsit, vitaeque periculum differre diutius baptismum vetet, eumdem a laico quoque, aut femina, recte administrari, ecclesiae nostrae est sententia. Et recte quidem ita statuitur, cum baptismus sit sacramentum initiationis, adeoque summae necessitatis. Certe de circumcisione, in cuius locum baptismus successit, Deus ipse ita sanciuit: *praeputiatus autem mas, qui non circumciderit carnem praeputii sui, exscindetur anima illa ex populis suis, foedus meum irritum fecit; Gen. XVII, 14.* Immo & de baptismo seruator ipse pronuntiauit; *non posse quemquam introire in regnum Dei, nisi ex aqua & spiritu fuerit natus, Ioan. III, 5.* Tanta ergo cum sit baptismi necessitas, cumque insuper vis & efficacia sacramentorum, non a conditione eius, qui illa confert, pendeat; sequitur sane, recte eum-

eumdem, si necessitas hoc postulet, a laico vel etiam femina conferri. Accedit, quod circumcisio aliquando a femina fuerit administrata; *Exod. IV, 24. 25.* Vnde quid obstet, quo minus & baptismus, vrgente necessitate, a femina conferri queat, non video.

§. V.

Elementum adspectabile, quale in omnibus sacramentis adesse debet, est aqua vera & naturalis, ad quam actus aliquis vel adsperſionis, vel immersionis accedat, necesse est, vt *materiale*, quod vocant, baptismi inde exsurgat. * *Forma* enim ipsa, seu, vt alii loquuntur, *formale*, in eo consistit, quod immersio ista, seu adsperſio fit, secundum modum a Deo praescriptum, in nomine Dei, patris, filii, & spiritus sancti, idque eum in finem, in quem baptismus est institutus. **

* Aquam, eamque veram ac naturalem in baptismo adhibendam esse, exemplo Ioannis, qui se vt aqua baptizaret, a Deo missum esse, diserte professus est, *Ioan. I, 33.* itemque aqua vera ac naturali baptizasse, perhibetur, *Matth. III, 11. Ioan. I, 26. 28. III, 23.* non minus vero & apostolorum, *actor. VIII, 36. seq. X, 47.* patet. Hinc & seruator ipse, *nisi quis*, inquit, *natus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei; Ioan. III, 5.* Ad aquam autem, adsperſionis, vel immersionis actus accedat, necesse est. Perinde enim esse, num per immersionem, an per adsperſionem baptismus peragatur, quam plurimi hodie censent.

** Hoc est, quod alii dicunt, ipsum verbum institutionis, quod simul cum actu ablutionis con-

iungitur, ita vt ablutio seu adspersio fiat in nomine patris, filii, & spiritus sancti, esse *formam* seu *formale* baptismi. Nimirum, cum per verbum institutionis, elementum adspectabile, cum actu, qui circa illud versatur, ita determinetur, vt vim atque efficaciam sacramenti accipiat; recte forma sacramenti in eo constituitur. Dum itaque verbum institutionis, baptismi formam esse contendimus; manifestum est, baptismum ita administrandum esse, vt cum actu ablutionis, aut adpersionis, verbum hocce institutionis coniungatur, adeoque diserte, verbisque expressis, baptismus in nomine patris, filii, ac spiritus sancti peragatur. Hanc namque formulam ipse seruator praescripsit, dum baptismum instituit; *Matth. XXVIII, 19.* Etsi enim in *nomine alicuius baptizare*, idem sit, ac iussu, mandato, auctoritate eius baptizare; nemo tamen scire aut intelligere posset, iussu, mandato, ac auctoritate Dei patris, filii, & spiritus sancti, baptismum administrari, nisi verba haecce simul in baptismi collatione pronuntiarentur. Idque porro inde liquet, quod apostolus *I. Cor. I, 13.* quaerat: *num in nomen Pauli baptizati sint?* Quod cum aliter intelligi nequeat, quam, quod nomen Pauli in actu baptismi pronuntiatum sit; recte inde concluditur, in nomine patris, filii, & spiritus sancti, tum demum baptizari, cum diserte patris, filii, & spiritus sancti mentio iniicitur. Verum, cum verba Christi baptismum instituentis, aliter capi non possint, quam quod formulam simul, qua apostoli vti debeant, illis praescripserit; non perinde prorsus esse censemus, num quis in nomen Christi, an in nomen patris, filii, & spiritus sancti baptizetur. Et licet non negemus, vtriusque formulae vnum eumdemque sensum esse posse, non tamen semper vnus idemque est; cum, qui trinitatem personarum negant, facilius priorem, quam posteriorem admissuri

suri sint formulam. Nec obstat, quod apostoli in nomine Iesu Christi baptizasse dicantur, *actor. II, 38. VIII, 12. 16. X, 48.* Eorum enim locorum, in quibus tantum narratur, quod quidam baptizati sint, longe alia est ratio, quam vbi institutio baptismi describitur. In illis enim omnino sensus est, quod per baptismum in numerum illorum, qui Christo nomen dederunt, recepti sint; quod fieri potuit, etiamsi formula haec: *baptizo te in nomine Iesu Christi*, non adhiberetur. In hac autem, vbi institutio baptismi describitur, istud non procedit; siquidem institutio instar normae ac regulae est, a qua, si verbum cum actu sacramenti coniungendum est, & qua ipsam formulam modumque loquendi, neutiquam est discedendum. Accedit, quod formula haecce baptismalis, *in nomine patris, filii, & spiritus sancti*, in primitiua ecclesia fuerit recepta; quam ab ipsis apostolis eam accepisse, non est quod dubitemus.

§. VI.

Baptizandi sunt omnes homines, qui ad aeternam salutem sunt perducendi. Ad hanc autem cum nemini aditus sit intercluſus, modo ipsemet sibi non intercludat, nec a baptismo quisquam, modo verus homo sit, eumque secundum ordinem a Deo praescriptum suscipere velit, arcendus est. Infantes itaque non minus, quam adulti baptizandi sunt, cum & illis aditus ad salutem, vitamque aeternam pateat. *

* Qui considerauerit, baptismum esse sacramentum initiationis, quo in nouo testamento in foedus gratiae recipimur, adeoque nemini, secundum ordinem a Deo praescriptum, viam ad salu-

tem patere, nisi baptizatus fuerit; *Marc. XVI, 16. Ioan. III, 5.* statim etiam intelliget, quinam sint baptizandi. Homines scilicet omnes baptizandi sunt, siquidem velint, cum Deus omnes omnino homines, nemine excepto, saluari velit; *I. Tim. II, 4.* Qui autem baptizari nolunt, illi nec cogendi sunt; cum vt eiusmodi beneficia diuina inuitis obtrudamus, neutiquam deceat, & cultum quoque atque obsequium spontaneum Deus ab hominibus postulet; *psalm. CX, 3.* Dum porro *homines* baptizandos diximus; manifestum est, nec eiusmodi foetus, qui vita iam destituuntur, nec, qui pro veris hominibus haberi nequeunt, esse baptizandos. Baptizandi vero ideo sunt, quia, *quidquid ex carne natum est, caro est*, hoc est, quia per naturam carnales sunt, vt adeo regenerationis, seu generationis spiritualis participes fiant; *Ioan. III, 6.* quod alia ratione in infantibus, alia in adultis fieri, deinceps dicemus. Quod autem Christus ipse baptizari voluit, id factum est, vt pondus & dignitatem singularem hac ratione baptismo adderet. Praeterea cum nemini aditus ad aeternam salutem pateat, nisi baptizatus fuerit; nullum hic aut status & dignitatis, aut sexus, aut aetatis intercedere discrimen, manifestum est. Qui saluari cupit, debet baptizari, Et ad sexum quidem quod attinet, feminas itidem ad baptismum admittendas esse, vel inde liquet, quod Samariae, vbi Philippus euangelium adnuntiauerat, baptizati legantur, ἄνδρες τε καὶ γυναῖκες, *viri pariter ac mulieres*; *actor. VIII, 12.* Id quod & Lydiae exemplum confirmat, *actor. XVI, 14. 15.* Intuitu aetatis si spectentur homines, infantes non minus, quam adultos baptizandos esse, euidentissimis comprobari potest rationibus. Et primum quidem id positum extra

extra omnem controuersiam putamus, Deum infantes etiam, aeque ac alios homines, velle saluari. Amor benignissimus Numinis, quo omnes homines complectitur, *Ioan. III, 16.* vt hoc credamus, non tantum suadet, sed & iubet. Positum porro & illud extra controuersiam est, neminem saluari posse, nisi per fidem, vt diserte seruator ipse dicit, *Ioan. III, 16.* & *Marc. XVI, 16.* Iam vero cum infantes per verbi diuini adnuntiationem ad fidem perduci nequeant; sequitur, id alia fieri debere ratione, scilicet per baptismum, per quem homines regenerari, adeoque fidem accipere, idem seruator pronuntiat; *Ioan. III, 5.* Baptizandi ergo sunt infantes. Praeterea, quicumque ex carne nati sunt, illi debent baptizari, vt ex spiritu nati, seu spirituales dici queant; *Ioan. III, 6.* Infantes autem ex carne natos, adeoque carnales, hinc & *filios irae* esse, *Ephes. II, 3.* constat, & a nemine, nisi qui peccatum originale in dubium vocauerit, negari potest. Conficitur itaque inde, eos baptizandos esse, nisi eo in statu, qui, si moriantur, aeternam damnationem secum vehit, permanere debeant. Largimur equidem, infantibus, ex parentibus christianis natis, sanctitatem quamdam externam & ecclesiasticam tribui posse; *Rom. XI, 16. I. Cor. VII, 14.* sed eos interna sanctitate pollere, peccatorumque ita immunes esse, vt, etsi non baptizati, in numero filiorum Dei haberi, & heredes vitae aeternae censeri debeant, vt anabaptistae aliique contendunt; id quidem eiusmodi est, vt nobis persuadere nequeamus. Secus rem se habere, ex *Ephes. II, 3. Iob. XIV, 4.* aliisque locis constat, quae supra produximus, cum de peccato originali ageremus. Praesidium etiam nostra, de infantum baptismo sententia capit, ex iis, quae euangelistae, Matthaeus, *XIX, 13. seq.* Marcus, *X, 13. seq.* Lucas, *XVIII, 15. seq.* de pueris

ad

ad Christum adducendis commemorant. Eiusmodi enim pueros ibi intelligi, qui infantibus adhuc adnumerari poterant, non tantum inde elucet, quod, quos Matthaeus & Marcus παιδία vocant, Lucas βρέφη adpellitet; sed inde etiam palam est, quod *Marc. X, 16.* seruator eos vlnis accepisse (ἐναγκαλισάμενος αὐτὰ) dicatur; immo ob simplicitatem, omnis fuci ac fraudis expertem, quae non nisi in aetatem, rationis adhuc vsu destitutam, cadit, in exemplum, ad quod se componere debeant, qui salutem aeternam consequi cupiunt, eos proponat. Eum autem in finem pueri isti ad Christum adducebantur, vt benedictionem spiritualem, eius precibus & manuum impositione impetrarent; ad quod & promtum se paratumque demonstrauit. Iam vero, cum isti infantes, siue pueri, donorum spiritualium, per preces Christi manuumque impositionem, participes facti sint; cur quaeso non eorumdem donorum per baptismum participes fieri queant? Namque cum baptismus, seu *lauacrum regenerationis*, *Tit. III, 5.* sit medium efficax, producendi & confirmandi fidem; hoc solum accedat, necesse est, vt in illo, qui baptizandus est, fides produci queat. Ita ergo cum comparati sint infantes, vt exemplo illorum, quibus Christus manus imposuit, condocemur; sequitur, eos iure meritoque baptizari. Accedit, quod *Matth. XIX, 14.* & *Marc. X, 14.* addatur: τῶν γὰρ τοιούτων ἐστὶν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ. Vbi quidem, cum non τούτων, sed τοιούτων dicatur, sensus est, eorum, qui ita comparati sunt, ac pueri isti, esse regnum caelorum; quo ipso tamen non excluduntur, sed potius in illorum, quorum regnum caelorum est, numero simul esse indicantur. Quodsi ergo regnum caelorum infantum quoque est, & fidem in iis esse oportet, quae cum in nouo testamento per baptismum producatur, eos baptizandos esse, inde consequitur. Hisce rationi-

rationibus & haec addi solet, quod exempla familiarum prostent, quae in scriptura sacra baptizatae dicuntur, *actor. XVI, 15. 33. XVIII, 8. I. Cor. I, 16.* in quibus haud dubie infantes fuerint. Quod quidem argumentum non tam demonstrandi vim habere, quam rem admodum probabilem reddere, nonnulli existimant. Maximo contra robore pollet, & rem extra dubitationem ponit, argumentum, quod a successione baptismi in locum circumcisionis desumitur. Infantes enim, & quidem pueros in gente ebraea octauo a natiuitate die circumcisos, nemo ignorat. Baptismum autem in locum circumcisionis successisse, diserte apostolus docet; *Coloss. II, 11. 12.* Quemadmodum ergo in veteri testamento infantes per circumcisionem in foedus gratiae recipiebantur, promissionumque diuinarum, etiam de donis spiritualibus participes fiebant; ita in nouo testamento, idem per baptismum fieri, manifestum est. Accedunt verba seruatoris: πορευθέντες οὖν μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα &c. *Matth. XXVIII, 19. 20.* Cur enim sub *gentium* nomine infantes quoque comprehendi non debeant, nullam prorsus rationem video. Marcus insuper hoc ita effert: *profecti in mundum vniuersum* κηρύξατε τὸ εὐαγγέλιον πάσῃ τῇ κτίσει, *praedicate euangelium omni creaturae; Marc. XVI, 15.* De infantibus, qui absque baptismo moriuntur, vt etiam aliquid addamus, discrimen hic obseruandum inter infantes christianorum, seu eorum, qui intra ecclesiam constituti sunt, & illorum, qui extra eam versantur. Ad illos quod attinet, eos neutiquam damnandos, inter omnes fere conuenit, cum secundum notissimam illam AVGVSTINI regulam, non priuatio, sed contemtus damnet. Et merito quidem, quia nemo pueros Israelitarum, ante diem octauum mortuos, itemque illorum feminas ideo damna-

damnauerit, quod illi ante circumcisionem mortui sint, ad has autem circumcisio non pertinuerit. Qui ad scientiam Dei mediam hic recurrunt, putantque, eos infantes saluari, quos Deus credituros euangelio, eos contra damnari, quos non credituros praeuiderit, audiendi non sunt; cum nemo ob caussam, quae actu nondum adest, aut saluari, aut damnari queat. Qui vero in eo consentiunt, parentum christianorum liberos saluari, de modo rursus, quo saluentur, inter se non conueniunt. Infantum equidem parentum christianorum, qui in foedere gratiae cum Deo constituti sunt, quamdam prae infantibus infidelium esse praerogatiuam, negari nequit; & recte ex *Gen. XVII, 7.* & *actor. II, 39.* colligitur. Sed hoc, nisi aliud quid accedat, non sufficit, vt actu salutis aeternae participes fiant. Sic & ecclesiasticam atque externam illam sanctitatem, quae parentum christianorum liberis tribuitur, itidem ad hoc non sufficere, ex iis, quae antea iam dicta sunt, patet. Et sane, si hac ratione salus aeterna infantibus conferretur; aut ipsum respectum foederalem, vel sanctitatem externam seu ecclesiasticam, ad salutem sufficere, aut per istum respectum, & communionem externam ecclesiae, fidem produci, dicendum esset; quorum tamen neutrum adseri potest, vt non maxima simul consequantur incommoda. Quare nihil aliud supereſt, quam vt dicamus, in infantibus parentum christianorum, qui ante baptismum moriuntur, per gratiam quamdam extraordinariam, fidem produci. Quam gratiam cur Deus infidelium parentum infantibus non aeque concedat, id quidem ex praerogatiua, quam christiani ob foedus gratiae prae infidelibus habent, haud sine ratione deriuatur. Ad infidelium autem parentum infantes, qui sine baptismo moriuntur, quod

quod attinet, ob eam ipsam, quam attulimus, rationem, salutem aeternam iis tribuere non audemus. Certum enim, peccatum originale, quod omnibus adhaeret, aeternam miseriam secum trahere. Quodsi dicas, etiam in illis per gratiam Dei extraordinariam fidem produci posse, per quam aeternae salutis fiant participes; fateor quidem, Deum hoc facere posse; sed, si hoc fieri statuamus, nulla eorum, qui in foedere cum Deo constituti sunt, praeillis, ad quos hocce foedus non pertinet, erit praerogatiua. Interim etsi non saluentur, statum tamen illorum valde tolerabilem fore, credibile est. Iuuabit etiam totam hancce rem iudicio & benignitati diuinae committere; cum certi esse queamus, eiusmodi omnium hominum post hanc vitam statum fore, in qua misericordia pariter ac iustitia diuina adcuratissime eluceat, vt nemo, quicumque etiam fuerit, de iniuria sibi illata, iustam habiturus sit conquerendi caussam.

§. VII.

Effectus baptismi, qui & *finis* rationem habet, est intuitu infantum regeneratio, intuitu adultorum, fidei, qua iam praediti esse debent, cum ad baptismum admittuntur, confirmatio & obsignatio. Simul tamen diligens baptismi collati recordatio, per omnem vitam, ad fidei confirmationem, renouationemque prodest. Huc vero & reliqua bona, quae regenerationem, renouationemque comitantur, aut ex ea fluunt, pertinent; inter quae vltimum est, ipsa vita aeterna. *

* Quae de effectu baptismi hic disputamus, non ita intelligenda sunt, ac si aquae, vel actioni, quae

quae circa eam versatur, in se spectatis, eiusmodi efficaciam tribuamus; sed prout baptismus, rite administratus, virtutem Dei secum coniunctam habet, talia efficere potest. Qui itaque immediate ex baptismo resultat effectus, in regeneratione consistit, per quam fides in infantibus producitur. Estque omnium hic eadem ratio infantum, cum operationi spiritus sancti non resistant, vt homines adulti. Quodsi autem homines adulti, & qui iam vsu rationis pollent, baptizandi sint, vt fides in iis iam exsistat, requiritur. Id vero ex baptismo Ioannis patet, qui eos demum baptizabat, qui peccata sua confitebantur, deque vita emendanda erant solliciti; *Matth. III, 2. seq.* Sic & Petrus, ad eos, qui, quid sibi factu opus esset, quaerebant, verba faciens, *respicite*, inquit, *& quisque baptizetur in nomine Iesu Christi, ad remissionem peccatorum; act. II, 38.* Vera autem poenitentia, quam & remissio peccatorum consequatur, sine fide in Christum esse nequit. Cumprimis luculentum est praefecti illius Candacae Aethiopum reginae exemplum *actor. VIII, 36. 37.* Si dicas, superuacaneum itaque esse adultorum baptismum, siquidem fides iam ante baptismum in illis exsistat, per quam regenerentur; respondemus: etsi in adultis fides per baptismum non producatur, per eum tamen confirmatur & obsignatur. Qua quidem ratione etiam dici potest, quod regeneratio adultis conferatur. Si quis enim alicui domum aut agrum donasset, statimque ad possidendum tradidisset; deinceps autem tabulas donationis rite confectas, & sigillo publico munitas adferret; is quidem dum tabulas istas tradit, quibus donatio confirmatur, non minus recte donare agrum aut domum dicitur, quam cum primum mentem suam hac super re declararet. Iam quod eo, quo hactenus exposuimus, modo, baptismus

ptismus regenerationem efficiat, non tantum ex verbis clarissimis Pauli *Tit. III, 5.* patet, vbi baptismus *lauacrum regenerationis ac renouationis* vocatur; sed & ex testimonio seruatoris: *nisi quis natus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei; Ioan. III, 5.* De regeneratione seruatorem optimum loqui, vel ex praecedenti *vers. 3.* liquet. Hanc autem ex aqua & spiritu fieri, diserte pronuntiat. Necessitatem quoque eius tantam esse, adserit, vt sine ea nemo introire in regnum Dei possit.

§. VIII.

Vt in veteri testamento per circumcisionem receptio in foedus gratiae, quod Deus cum Abrahamo eiusque posteris inierat, fiebat; ita in nouo per baptismum nos in foedus gratiae receptos, intelligimus. Quo ipso, cum bonorum omnium, quae vltimae huic foederis gratiae dispensationi propria sunt, participes facti simus; vt diligenter quae nostri sunt officii, faciamus, inde admonemur. *

* Baptismus in locum circumcisionis succesſit: vnde & sua sponte sequitur, per baptismum nos in foedus gratiae recipi, quemadmodum olim posteri Abrahami per circumcisionem in illud recipiebantur. Neque tantum baptismus signum ac symbolum est, quo receptio ista in foedus gratiae denotatur; sed regeneratione, quam baptismus efficit, reuera in foedus illud recipimur, adeoque bonorum omnium, quae eidem propria sunt, participes reddimur. Ad quae quidem bona, praeter remissionem peccatorum, seu iustificationem, renouationemque, & adoptionem in numerum filiorum Dei, ius item ad hereditatem caelestem, & spem certam

vitae aeternae, pertinet communio cum Christo, & corpore eius mystico; nisi dicere velis, quod haec communio reliqua bona omnia complectatur; certe qui in istam communionem receptus est, reliquis etiam bonis istis gaudet. Hinc *in Christum baptizati* dicimur, *Rom. VI, 3. Gal. III, 27.* & *per vnum spiritum in vnum corpus baptizati*, *I. Cor. XII, 13.* & *per baptismum saluati*; *Tit. III, 5. I. Petr. III, 21.* Quemadmodum autem hunc in modum bonorum omnium, quae foederi gratiae propria sunt, participes reddimur; ita simul, quae nostri sunt officii, admonemur. Idque summatim Petrus indicat, quando baptismum συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς θεὸν adpellitat; *I. epist. III, 21.* adde *Rom. VI, 3.*

§. IX.

Qui in ecclesia christiana, ordinis caussa, aut ob alias rationes, introducti, & baptismo additi sunt ritus, retineri possunt, modo nihil, quod superstitiosum sit, contineant. Eoque inter alia & exorcismus pertinet, ad intimam hominis, ante regenerationem, per peccatum originale, corruptionem significandam, perquam adcommodatus.

§. X.

De summa baptismi necessitate res ipsa dubitare nos non sinit, cum diserte, sine illo introitum in regnum caelorum alicui patere, negetur; *Ioan III, 5.* Idem vero quod iterari non debeat, vel inde patet, quod pro sacramento initiationis recte habetur; & foedus quoque intuitu Dei integrum semper maneat, etsi ab hominibus quandoque abrumpatur. * * Prae-

* Praecipua quidem ratio, quod baptismus, semel rite collatus, iterari non debeat, haec est, quam attulimus, quod sit sacramentum initiationis. Qui autem semel in foedus diuinum receptus est, vt iterum in illud recipiatur, necesse non est. Et, licet vel maxime homo peccatis grauioribus illud violauerit, ideo ex parte Dei non abrumpitur, quippe qui *fidelis est*, *nec se ipsum abnegare potest*; *II. Tim. II*, 13. Idque & ex circumcisione patet, in cuius locum baptismus successit, quamuis itidem Deus iterari noluit. Nec est, quod dicas, circumcisionis eam fuisse naturam, vt iterari non potuerit, quod de baptismo dici nequeat. Dum enim Deus in veteri testamento eiusmodi sacramentum initiationis instituit, quod iterari non potuit; significauit, quod iterari non debeat. Ceteroquin enim facile ei fuisset, aliud, quod iterari potuerit, instituere. Nostra porro inde euincitur sententia, quod, nec in loco proprio, vbi baptismus a Christo instituitur, nec alibi vsquam, iterare eumdem iubemur; cum contra de sacra coena hoc ex *I. Cor. XI*, 25. constet: *Hoc facite*, *quotiescumque biberitis*, *in mei recordationem*. Idem denique ex eo colligitur, quod, cum tot baptizatorum exempla in scriptura legamus, vt *actor. II*, 38. *VIII*, 12. 13. 38. *IX*, 18. *&c.* nusquam tamen aliquis rebaptizatus commemoretur. Immo Corinthios Galatasque lapsos in rectam viam equidem reuocat apostolus, & ad mentis emendationem adhortatur; rebaptizari non iubet.

§. XI.

Alterum noui testamenti sacramentum est *sacra coena*, quae & aliis nominibus designatur. * Eum namque in finem sacram hancce coenam institutam, vt sacramentum aliquod noui testamenti, hoc est, me-

dium efficax gratiam diuinam exhibendi, fidemque in Christum confirmandi, esset, tum ex ipsa eius institutione, tum ex eiusdem repetitione, *I. Cor. XI, 23. seq.* liquet.**

* Praecipua, quibus sacra coena designari solet, nomina recensere, & de quibusdam nonnulla obseruare, non abs re fuerit. Vocatur itaque, *I. Cor. XI, 20.* κυριακὸν δεῖπνον, *coena dominica*; *coena* quidem, a tempore, quo instituta fuit; *dominica* autem, ab auctore, qui eam instituit; quamquam & ita dici queat, quod corpus & sanguis domini in ea nobis exhibeantur, itemque, quod eum in finem instituta sit, vt *mortem domini adnuntiemus*; *I. Cor. XI, 26.* Dicitur etiam τράπεζα κυρίου, *mensa domini*, *I. Cor. X, 21.* eo, quod in mensa celebrabatur. Ad exemplum apostoli, saepe hac voce vtuntur patres. Sed & εὐχαριστία vocatur, seu *gratiarum actio*; quia, dum Christus eam instituit, *gratias* Deo *egit*, *Matth. XXVI, 27.* & nostri quoque officii est, cum gratiarum actione, & laudum diuinarum celebratione, ad eam accedere, vt hac quoque ratione *mortem domini adnuntiemus*; *I. Cor. XI, 26.* Saepe & *communio* adpellatur, idque ad ductum apostoli, *I. Cor. X, 16.* vnde & rationem huius denominationis intelligere licet. Non minus vero & σύναξις dicebatur, quia in publicis ecclesiae conuentibus administrabatur, vt & ex *I. Cor. XI, 20. 22.* liquet.

** Christum neutiquam tantum apostolos, vt ad passionem ac mortem, sibi imminentem, attenderent, excitare & commonefacere, sed eiusmodi quid instituere voluisse, quod ad omnes homines pertineret, vel inde liquet, quod calicem discipulis porrigens, apud Matthaeum dicat: *hic est sanguis meus, noui testamenti, qui effunditur pro multis in remissionem peccatorum*; *cap. XXVI, 28.* Sanguinem nimi-

nimirum, quem sub vino bibendum illis exhibebat, vocat *sanguinem noui testamenti*, adseritque, *eum effundendum pro multis*, & quidem, *in remissionem peccatorum*. Quis dicat, haec omnia ad solos spectare apostolos? Certe *nouum* illud *foedus*, seu *testamentum*, quod hac ratione seruator sanciebat, ad omnes fideles, non autem ad solos apostolos, pertinet; quemadmodum nec pro solis apostolis, sed pro omnibus hominibus, sanguinem istum suum effudit, nec solis apostolis, sed omnibus hominibus, remissionem peccatorum hac ratione adquisiuit. Res porro extra omnem controuersiam ponitur, si consideremus, in ecclesia Corinthiaca, tempore apostolorum, sacram coenam fuisse celebratam, vti ex *I. Cor. XI, 23. seq.* constat. Id enim, quo pacto fieri potuisset, nisi Christus ipse eam, ut sacramentum noui testamenti, instituisset, nulla profecto reddi potest ratio. Si dicas, ab iis, qui ex Iudaeis conuersi erant, ad imitationem agni paschalis hunc ritum introductum, & ab apostolis per conniuentiam quamdam toleratum; non tantum probandum hoc fuerit, sed repugnantem quoque tibi habebis apostolum, qui diserte, se ipsum hoc Corinthiis tradidisse, ait, quod a domino acceperat: *quod a domino accepi, hoc tradidi vobis; I. Cor. XI, 23.* Quod & neutiquam de passione solum seruatoris intelligi potest, cum ipsa institutionis sacrae coenae verba, prout ab euangelistis mirifico consensu consignata sunt, proferat. Non alium vero in finem ita loqui apostolum, res ipsa docet, quam vt ex eo, quod seruator ipse sacram coenam instituerit, argumentum capiat, quo Corinthios commonefaciat, quanta cum reuerentia & modestia ad eam accedere debeant.

§. XII.

Auctor namque, seu *caussa*, quam vocant, *efficiens*, est seruator ipse optimus, qui & primum sacram coenam administrauit, & hoc ipso instituit, hoc est, sacramentum noui testamenti esse voluit, simulque, vt eadem ratione semper administraretur, praecepit. * Quod vt faceret, summus ac ineffabilis eius erga homines amor, idem scilicet, qui illum impulit, vt mortem acerbissimam pro iis obiret, eum induxit. **

* Christum sacram coenam, vt sacramentum noui testamenti instituisse, iam ad §. *praecedentem* demonstrauimus. Sequitur inde sua sponte, quod eam etiam semper ea ratione administrari voluerit. Ceteroquin enim fructus & effectus sacrae coenae, qui ad omnes pertinet, ad eos peruenire non posset. Diserte hoc confirmat apostolus, in celebratione sacrae coenae mortem domini adnuntiandam esse, dicens, ἄχρις ἧ ἂν ἔλθῃ, *donec veniat*, scilicet ad iudicium; *I. Cor. XI, 26.* hoc est, semper. Si semper hoc faciendum est, ergo Christus, vt semper hoc fieret, voluit, seu praecepit. Potest vero etiam Christus hoc intuitu caussa sacrae coenae efficiens vocari, prout hodie adhuc corpus, atque sanguinem suum, cum symbolis rite consecratis, vt simul cum iis accipiantur, coniungit, & ita efficit, vt actio, quae circa symbola externa recte versatur, vim atque indolem sacramenti induat. Ceterum, cum institutio sacramenti, potentiam atque auctoritatem diuinam arguat; potentia autem & auctoritas diuina omnibus diuinitatis personis sit communis; patrem quoque ac spiritum sanctum, non minus ac filium

seu

seu Christum, hic in censum venire, nemo non intelligit.

** Non alia ratione, quam summo & ineffabili amore, inductum seruatorem, vt pro hominibus in mortem se daret, nemo dubitabit. Ipse hoc testatur, dum, *nemo*, inquit, *maiorem dilectionem habet, quam qui vitam pro amicis dimittit*, *Ioan. XV, 13.* conf. & *I. Ioan. III, 16.* Similisque est Dei patris amor, quando filium suum vnigenitum pro nobis dedit; *Ioan. III, 16. Rom. V, 8.* Vnde &, quaenam *caussa*, quam vocant, *impulsiua* institutae sacrae coenae sit, facile cognoscitur; conf. *Ioan. XIII, 1.* Meritum Christi *caussa impulsiua externa* hoc intuitu vocari solet, quod omnia bona & beneficia spiritualia nobis promeruit. Hinc *Deus omni benedictione spirituali in Christo* (hoc est, propter meritum Christi) *nobis benedicere*, dicitur; *Epheſ. I, 3.* Solet etiam ipsa institutio sacrae coenae, itemque symbolorum consecratio, certo quodam modo ad caussas impulsiuas referri; illa quidem, quod vi institutionis Christus moueatur, vt cum symbolis rite consecratis in legitimo sacrae coenae vsu, corpus sanguinemque suum sacramentali ratione coniungat, vniatue; haec autem, quod consecratio omnino accedere debeat, vt Christus hoc faciat, quae adeo non per se, aut vi propria, sed vi institutionis Christum moueat; vnde & institutio *caussa impulsiua principalis*; consecratio autem, *minus principalis* a quibusdam adpellitatur.

§. XIII.

Quod in prima sacrae coenae institutione seruator ipse fecit; id fieri deinceps ab apostolis, eorumque successoribus, hoc est, ministris ecclesiae, rite legitimeque constitutis, voluit, vt & ipsi eodem modo sa-

cram coenam administrarent. * Quod quidem ea ratione faciunt, vt elementa, seu symbola externa, rite consecrent, & consecrata iis, qui ad sacram hancce coenam accedunt, distribuant. **

* Hoc est, quod alias dici solet, *causſam* sacrae coenae *efficientem minus principalem*, esse ministrum ecclesiae, eumque solum. Solis enim ecclesiae ministris, non autem laicis, multo minus feminis, hancce potestatem, sacram coenam administrandi, nostrae ecclesiae theologi, saltem plerique, concedunt. Idque inde euincitur, quod ministri ecclesiae sint *oeconomi mysteriorum Dei*; *I. Cor. IV*, *1.* quibus idcirco ius & facultas mysteria Dei, adeoque & sacramenta, dispensandi, competit. Quo quidem iure & facultate quemadmodum soli recte vtuntur, nisi summa & haud euitabilis necessitas aliud quid imperet, vti in baptismo contingere potest; ita, cum in sacra coena eiusmodi quid euenire nequeat, numquam etiam iis, qui ecclesiae ministri non sunt, eam administrare fas esse, inde concluditur. Si dicas, fieri tamen posse, vt homo moribundus anxie admodum sacram coenam desideret, nec minister ecclesiae adsit, qui eam administret; respondemus, eam tum ex falsa persuasione oriri necessitatem, ac si sacra coena aeque necessaria sit, ac baptismus; quae, si per rectam informationem demtur, non erit, vt a recepto in ecclesia ordine discedamus. Accedit, quod priuatio sacrae coenae, quae praeter nostram culpam contingit, nobis non tantum nocere nequeat; sed &, cum ad fidei confirmationem sacrae coenae vsus pertineat, Deus alia ratione, cumprimis per ipsum verbum euangelii, fidem nostram corroborare possit. Nec obstat, quod *I. Cor. X*, *16.*

16. dicatur: τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, ὃ εὐλογοῦμεν: item, τὸν ἄρτον, ὃν κλῶμεν &c. Etsi enim in multitudinis numero apostolus loquatur; non tamen inde sequitur, quod laicos includere in sacrae coenae administratione voluerit, cum & de solis apostolis & presbyteris numerus ille multitudinis intelligi queat. Gaudent equidem omnes christiani sacerdotio spirituali; *I. Petr. II, 9. apoc. I, 6.* sed hoc ad ea, quae ministris ecclesiae propria sunt, extendendum non est.

** Munus itaque eius, qui sacram coenam rite administrat, duabus absoluitur partibus, symbolorum sacrorum *consecratione*, & eorumdem *dispensatione*. Et ad consecrationem quidem quod attinet, multa iterum de ea, siue modum, siue efficaciam & operationem, spectes, disputari solent. *Modus* namque non semper vnus idemque fuit. In nostra ecclesia cum precibus siue εὐλογίαι, quae & εὐχαριστία dici solet, verba institutionis in consecratione, generatim spectata, coniunguntur, ita quidem, vt per preces symbola ad sacrum vsum destinentur; vnde per eas *consecratio destinationis* fieri dicitur; per verba autem institutionis, accedente vsu, cum pane & vino corpus & sanguis Christi, ad veram manducationem & bibitionem vniri, creduntur; vnde & per ea *consecratio vnitionis* fieri adseritur. Ceterum ista verborum institutionis pronuntiatio, quae fit a ministro ecclesiae, neutiquam pro nuda repetitione, vel historica recitatione istorum verborum habenda; sed profitetur hac ratione minister ecclesiae, se secundum praescriptum seruatoris sacram coenam administrare velle; nec dubitare, quin secundum promissionem, in ipsa sacrae coenae institutione factam, Christus cum symbolis hisce, pane scilicet atque vino, corpus & sanguinem suum, in legitimo eius vsu, sit coniun-

cturus. Qua quidem ratione consecratio, stricte sic dicta, omnino fit per verba institutionis; at non ita, ac si ipsis hisce verbis vis, mutandi symbola, insit, sed vt ex prima ipsius Christi institutione hoc deriuetur, vt symbola externa, accedente legitimo vsu, sacramentum fiant, perque ea verum corpus, verusque sanguis Christi exhibeatur. Simulque inde patet, non tantum verba institutionis, hac ratione, recte ad consecrationem adhiberi, sed hoc necessarium esse. Etsi enim in veteri ecclesia verba institutionis diserte in consecratione non fuerint recitata; subintellecta tamen haud dubie, & veluti fundamenti loco posita sunt: siquidem preces ad Deum fundere non potuissent, vt ex symbolis hisce sacramentum faceret, nisi eius rei promissionem in ipsa sacrae coenae institutione habuissent. Atque ita, ni fallor, intelligendi sunt, qui per preces consecrationem factam, adserunt; vt preces eiusmodi innuant, quae institutione Christi nitebantur. Preces vero in consecratione (voce latius accepta) itidem recte in nostra ecclesia adhiberi, exemplum ipsius Christi, & apostolorum, veterisque ecclesiae ostendit. Cumque nec Christus, nec apostoli certam formulam nobis reliquerint; merito ipsam orationem dominicam, idque iterum ad exemplum veteris ecclesiae, adhibemus. Eaque minime ab isto instituto aliena est, si modo recte explicetur, &, quae generatim dicta sunt, speciatim ad id, de quo agitur, adcommodentur. Cum autem nonnulli ex nostratibus consecrationem in verbis institutionis constituunt (qui tamen totam actionem sacramentalem requirunt, vt effectus inde sequi possit) alii rursus consecrationi preces adiungunt, nulla inter eos pugna est; cum illi de consecratione, in strictiori sensu accepta, hi contra, in latiori, loquantur, vtrique vero, quod

quod de verbis institutionis dicitur, ita intelligant, prout hoc intelligendum esse, antea docuimus. Ad *vim* eius, seu *efficaciam*, quod attinet, nostrates, praesentiam realem consecrationis effectum esse, adfirmant; idque ita, vt tum se exserat, cum vsus legitimus accedit. Adeoque huncce effectum ad totam actionem sacramentalem referunt; atque subinde illud, nihil extra vsum rationem sacramenti habere, inculcant. Idque ex ipsa institutione sacrae coenae colligitur. Cum enim Christus dixisset: *edite*, *bibite*, statim addit, *hoc est corpus meum*. Nimirum verba: *hoc est corpus meum*, realem corporis Christi praesentiam diserte indicant; quae & simul, ac verba ea pronuntiauerat, in ipso scilicet vsu, aderat. Rursus, quando haec verba profert, cum iam dixisset: *edite*, *bibite;* indicat, in ipsa demum actione sacramentali, seu legitimo vsu, praesentiam istam realem corporis & sanguinis sui se demonstrare. Nec est, quod regeras, Christum haec verba: *hoc est corpus meum*, protulisse, antequam discipuli eius comederent; adeoque panem, iam ante vsum, corpus Christi fuisse. Non enim subtiliter nimis diuellenda sunt, quae fuere coniuncta. In ipso namque actu distributionis Christus dixit: *hoc est corpus meum*. Idem & Paulus confirmat, quando, *I. Cor. X, 16.* dicit: *panis, quem frangimus, est communicatio corporis Christi* &c. Loquitur in praesenti: *quem frangimus*, vt indicet, in ipso demum vsu legitimo, panem esse communicationem corporis, & vinum, communicationem sanguinis Christi. *Dispensatio* vero in symbolorum rite consecratorum distributione consistit, cui nonnulli panis fractionem praemittendam, contendunt. Sed id quidem minime necessarium esse, existimamus; licet nec illos, qui hoc faciunt, condemnemus, modo ita hoc faciant, ne praesentiae reali

reali corporis & sanguinis Christi per eam quidquam detrahatur.

§. XIV.

Elementum adspectabile in hocce sacramento, panis est, atque vinum; & panis quidem, siue azymus, siue fermentatus, vel quicumque alius sit, modo sit verus panis. Sic & vinum, qualecumque sit, modo verum sit ac naturale, recte adhibetur; quamquam & perinde est, siue merum sit, siue aqua paullisper dilutum. Atque hocce quidem elementum, *materiam* sacrae coenae, quam vocant *terrenam*, constituit, prout panis & vinum dispensantur, accipiuntur, manducantur, & bibuntur. *

* Cum euangelistae, qui sacrae coenae institutionem describunt, atque Paulus, vno testentur ore, Christum sacramentum hocce eucharistiae ita instituisse, vt panem & vinum discipulis suis ad comedendum & bibendum dederit, idque in toto hocce actu praecipuum fuerit; recte inde concluditur, rite numquam sacram coenam administrari, nisi itidem verus panis, verumque adhibeatur vinum. Pro vero itaque eucharistiae sacramento haberi nequit, cum pro pane aut vino omnino aliud quid substituitur. Vti ergo certum ratumque est, verum panem verumque vinum in sacrae coenae administratione adhibenda esse; ita, qualis panis, qualeue vinum sit, perinde est, modo sit verus panis verumque vinum. Sequitur hinc etiam, perinde esse, siue fermentatus, siue non fermentatus, panis adhibeatur. Ad figuram panis, qui in sacra coena adhibetur, quod attinet, seruatorem ipsum placentam & rotundam, & prorsus tenuem,

tenuem, quales in vsum paschatos confici solebant, adhibuisse, ex recepta Iudaeorum consuetudine recte colligitur. Nos placentulas minores merito, in ecclesia nostra, retinemus, cum nulla itidem adpareat ratio, cur eas non adhibere debeamus. Qui enim eas pro vero pane habendas, negant, contra ipsam experientiam pugnant. Ex farina quippe & aqua non minus, quam alii panes, conficiuntur, &, si eo numero & copia, quae ad hoc sufficeret, sumerentur, aeque ac alii panes, pellere famem, & corpus nutrire possent. Nec sane ad replendum stomachum sacra coena vtimur, sed vt cum symbolis istis externis verum corpus, verumque sanguinem Christi accipiamus; qui obtineri finis potest, etsi placentulae istae orbiculares adhibeantur. Perinde quoque est, qualecumque vinum adhibeatur, rubrum an album, modo verum sit. Perinde etiam fuerit, num merum vinum, an aqua dilutum, adhibeatur. Symbola haec seu elementa sacrae coenae *materiae terrenae* nomine veniunt; sed ita, vt simul eorumdem dispensatio, manducatio & bibitio intelligantur. Istiusmodi enim actus, cum ibi etiam deprehendantur, vbi sacra coena non administratur, ad ipsam eius formam referri nequeunt.

§. XV.

Praeter materiam hanc terrenam, quam vocant, adest etiam *materia caelestis*, hoc est, verum corpus, verusque sanguis Christi, quorum illud cum pane, hoc cum vino consecrato, sacramentali quadam ratione, ita vnitur, vt vtrumque cum pane & vino reuera omnibus, qui sacra coena vtuntur, exhibeatur, ab his quoque ore corporis

poris accipiatur, & cum pane corpus Christi manducetur, cum vino autem sanguis eius bibatur. *

* Cum ex verbis institutionis sacrae coenae, a tribus euangelistis, & Paulo commemoratis, liquido constet, cum pane & vino, ceu symbolis externis, corpus itidem atque sanguinem Christi exhiberi; praeter *materiam terrestrem*, panem & vinum, recte quoque *caelestis*, corpus & sanguis Christi statuitur. Sponte autem sua, & praesentia materiae caelestis, seu corporis & sanguinis Christi in sacra coena, & eius cum materia terrena, seu pane & vino vnio, inde sequitur. Et ad praesentiam quidem quod attinet, non potest de ea dubitari, cum diserte seruator optimus, se corpus suum, sanguinemque suum discipulis dare, dicat, quod sine vera realique praesentia intelligi nequit. Idque & Paulus confirmat, quando κοινωνίαν esse dicit, inter panem & corpus, itemque inter vinum & sanguinem Christi; *I. Cor. X, 16.* Communio enim, siue κοινωνία inter res, quae sibi inuicem praesentes non sunt, esse nequit. Praesentiam autem corporis sanguinisque Christi in sacra coena veram realemque dum adserimus, neutiquam eam, quae corporum naturalium, & secundum naturam spectatorum est, intelligimus; sed eam, quae est corporis Christi, cui omnipraesentiam, propter vnionem personalem diuinae humanaeque naturae, recte tribui, ex iis, quae supra de vnione personali disputauimus, manifestum est. Hoc ideo monere visum fuit, vt constaret, quid respondendum sit ad dubia, quae ratio nonnullis, contra praesentiam realem corporis & sanguinis Christi, suppeditare videtur. Pleraque enim eo redeunt, corpus aliquod in pluribus simul locis praesens esse non posse.

se. Quod, vti de corpore naturali, & secundum leges naturae spectato, lubentes admittimus; ita nos non ferit, qui de corpore Christi, in quo πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς habitat, *Coloss. II, 9.* loquimur. Quodsi dicas, ne tum quidem perspicuum esse, quo pacto ipsum corpus, ipseque sanguis Christi adesse queat, quoties sacra coena administratur; perpendas, velim, nec ipsam omnipraesentiam diuinam cogitationibus nostris nos adsequi posse; quam tamen nemo ideo in dubium vocauerit. Scripturae tandem vnice hic standum est effatis, quidquid etiam ratio dictitet. Haec vero diserte testatur, Christum verum corpus, verumque habere sanguinem, & hoc ipsum corpus in coena sacra, vna cum sanguine praesens esse. Vnio vero in eo consistit, quod vna cum pane & vino, vere & realiter, vnoque actu, verum corpus, verumque sanguinem Christi, citra omnem conuersionem vel transmutationem, accipimus. Nimirum vnio haec, quae sacramentalis dicitur, ad ipsum sacramenti huius vsum refertur, ita, vt si hic accedat, vna cum pane & vino verum corpus, verumque sanguinem Christi, ipso etiam ore corporis accipiamus. Hinc & nostrates, vt veram & realem hanc vnionem pariter ac praesentiam esse ostendant, ipso corporis ore manducationem corporis, & bibitionem sanguinis Christi fieri, contendunt. Nimirum *oralem* vocant hancce corporis sanguinisque Christi manducationem & bibitionem, quia ore corporis reuera peragitur, ea scilicet ratione, vt vno eodemque actu manducatio naturalis & sensibilis panis benedicti, & manducatio, etsi non sensibilis & naturalis, vera nihilosecius, corporis Christi, cum pane, sacramentali vnione, coniuncti; itemque, bibitio naturalis & sensibilis vini benedicti, at supernaturalis insensibilisque, vera

vera tamen sanguinis Christi fiat. Vnicus itaque licet sit actus, vnicumque organon, quo panem & corpus Christi, itemque vinum & sanguinem Christi accipimus; modus nihilominus maximopere differt, cum panem & vinum modo naturali & sensibili, corpus & sanguinem Christi, simul equidem cum pane & vino, at modo supernaturali & insensibili, qui adeo etiam a nemine mortalium explicari potest, reuera interim, & ore corporis accipiamus. Sacramentalis proinde haecce corporis sanguinisque Christi manducatio & bibitio plurimum differt a spirituali, de qua Christus loquitur, *Ioan. VI, 31. 53.* quippe quae tantum in actu credendi consistit. De sacramentali enim manducatione & bibitione, quod nonnulli olim sibi persuaserunt, sermonem ibi non esse, vel inde manifestum est, quod sacram eucharistiam nondum instituisset, adeoque nemo mortalium, quid sibi vellet, potuisset percipere. Plurimum vero etiam nostra sententia differt ab errore Capernaitarum, quem ex verbis seruatoris, non recte intellectis, animo conceperunt. Existimabant namque, Christum carnem suam & sanguinem, modo quodam naturali, sensibilique, vt videri, palparique posset, ad comedendum, bibendumque offerre; cum nos contra doceamus, carnem sanguinemque Christi, ore quidem corporis, at modo supernaturali, & qui in sensus non cadat, in sacra coena accipi. Cumque nos porro adseramus, cum pane & vino corpus Christi manducari, sanguinemque bibi; Capernaitae contra ipsam carnem, ipsumque sanguinem, absque pane & vino, a Christo sibi offerri, vano errore ducti sibi persuadebant. Vnde & consequebatur, vt ea, quae naturali ciborum comestioni propria sunt, manducationi corporis Christi tribuerent, aut non tribuere non possent; quod

eiusmodi

eiusmodi est, vt toto pectore ab eo abhorreamus. Probe namque discrimen inter manducationem *oralem* & *naturalem* tenendum est. Etsi enim oralem manducationem adseramus atque propugnemus; naturalem tamen non admittimus; cum, modo supernaturali & insensibili, manducationem & bibitionem corporis ac sanguinis Christi fieri, antea iam obseruatum sit. Omnis equidem manducatio naturalis, etiam oralis est; sed non viciſſim, oralis manducatio statim est naturalis; siquidem oralis manducatio veritatem solum manducationis, non autem modum, qui supernaturalis & insensibilis esse potest, indicat. Atque haec cum ita se habeant, sponte sua inde fluit, simul tamen ad confirmandam hancce sententiam nostram pertinet, quod omnes promiscue, siue digni, siue indigni sint, qui ad sacram coenam accedunt, verum corpus, verumque sanguinem Christi accipiant. Id quod & diserte Paulus docet; *I. Cor. XI, 27.* Si vero etiam indigni verum corpus, verumque sanguinem Christi accipiunt; ore corporis vt accipiant, necesse est. Fide enim accipere nequeunt, quippe qua destituuntur. Et ita quidem nostram, de praesentia vera realique corporis & sanguinis Christi in sacra coena, deque vnione sacramentali, sententiam abunde declarauimus. Superest itaque, vt eius veritatem etiam demonstremus. Hoc autem haud difficile est, cum ipsa verba institutionis argumentum omni exceptione maius nobis suppeditent. Porrecto namque discipulis pane, *accipite*, inquit seruator, *comedite; hoc est corpus meum*; sic & porrecto poculo, in quo vinum erat, *bibite*, inquit, *hic est sanguis meus* Id, quod edere, quod bibere debebant, reuera quoque debebat esse praesens; ceteroquin nec edere, nec bibere illud potuissent. Iam vero, si quaeratur,

quidnam illud erat, quod edere illos seruator volebat? respondet ipse: hoc (quod edere vos volo) est corpus meum. Item, si quaeratur, quidnam illud erat, quod bibere eos volebat? respondet: hoc (quod vos bibere volo) est sanguis meus. Nihil clarius, nihil luculentius dici poterat. Licet itaque discipuli tantum panem & vinum viderent; dubitare tamen non poterant, corpus & sanguinem Christi adesse, seque illud cum pane, hunc autem cum vino accipere. Qui secus hic sentiunt, & praesentiam realem corporis sanguinisque Christi negant, id vnice sibi relictum vident, vt verba haecce improprie accipienda esse, contendant. Quod, quo minus admittere queamus, sequentia obstant. Recepta est apud omnes, qui rectae rationis, in aliorum scriptis interpretandis, sequuntur ductum, regula: a propria verborum significatione, sine summa necessitate, non esse discedendum. Idque finis etiam atque scopus sermonis postulat; qui est, vt quam adcuratissime mentis nostrae conceptus cum aliis communicemus. Quod vtique longe rectius per voces loquendique formulas, proprie, quam improprie accipiendas, fieri, res ipsa omnes condocet. Non minus vero manifestum est, cur, in verbis institutionis interpretandis, a propria & genuina verborum significatione discedere debeamus, nullam praegnantem adferri rationem posse. Certe, nec in contextu, nec alibi aliquid inuenitur, quod id necessario postulet. Si dicas, ex propria tamen verborum istorum interpretatione, ἄτοπα varia atque absurda sequi; v. c. quod vnum corpus in pluribus simul esse possit locis; respondemus, sequi inde equidem quaedam, quae rationis captum superant; sed, vti haec nondum statim pro absurdis habenda, ita minime inde inferendum, propriam verborum

rum non inuenire locum significationem. Praesentia porro vera & realis corporis & sanguinis Christi si recte intelligatur, inde neutiquam consequi, corpus naturale, & secundum proprietates naturales spectatum, simul pluribus in locis esse posse, antea iam obseruauimus. Cumque alias, quae scitu crediuque ad salutem sunt necessaria, scriptura sacra verbis propriis, perspicuis, nullamque dubitationem admittentibus, tradat; quis credat, impropriam verborum hic consectandam significationem. Accedit, quod tres euangelistae, qui sacrae coenae institutionem commemorant, atque Paulus apostolus, eodem plane modo, verba Christi; *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, referant, & ne minimo quidem indicio prodant, ea improprie esse intelligenda. Immo summus illorum, qui locorum & temporum interuallis disiuncti, scripserunt, in verbis hisce referendis, consensus, aperte demonstrat, Christum summo studio hisce verbis vsum; vt adeo a propria & genuina illorum significatione nobis discedere non liceat. Ipsa quoque negotii, in quo versatus est seruator optimus, cum sacram coenam institueret, hoc postulat ratio. Habet enim institutio ista sacrae coenae indolem testamenti, in quo, cum summam verborum perspicuitatem mortales adhibere soleant, ne de voluntate testatoris vllum suboriri dubium queat; ecquis credat, idem non fecisse seruatorem, cuius vt infinita est, nullisque circumscripta limitibus benignitas, ita non minor sapientia. Eo modo autem loquutum seruatorem, vt dubium incertumque reliquerit, quid sibi vellet, nec cum bonitate, nec cum sapientia eius conciliari poterit. Inde porro nostra probari potest sententia, quod, vt Paulus *I. Cor. XI, 27.* diserte docet, improbi non minus, quam vere credentes, verum corpus, verumque sanguinem Christi accipiant. Quod, cum

aliter, quam ore corporis fieri nequeat, ipsum quoque corpus Christi adesse oportet, siquidem ceteroquin illud accipere non possent. Id quod pariter de sanguine Christi dicendum. Nimirum, si absens corpus sanguisque Christi acciperentur, fide sola accipi possent. At improbi homines, & indigni sacrae coenae conuiuae, fide destituuntur. Solo itaque ore accipere possunt. Reuera proinde adest corpus Christi, adest sanguis Christi, quem ore corporis accipiunt. Verba apostoli tam aperta sunt, *I. Cor. XI, 27.* vt exceptionem non admittant: *Itaque, quisquis manducauerit panem hunc, vel biberit calicem domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Christi.* Enimuero, qui reus esse corporis & sanguinis Christi eiusmodi homo posset, nisi manducando panem, & bibendo vinum, simul manducaret corpus Christi, & biberet sanguinem eius? Deinceps quoque *v. 29.* dicitur: *Edens enim & bibens indigne, iudicium sibi ipsi edit & bibit,* μὴ διακρίνων τὸ σῶμα τοῦ κυρίου, *non discernens corpus domini*, hoc est, non discernens a cibo vulgari panem illum, qui est corpus domini, seu quocum corpus domini accipimus. Quae ratio profecto, qua apostolus probat, quod homines, indigne sacra coena vtentes, graui se obstringant crimine, nulla esset, nisi verum corpus verumque sanguinem Christi acciperent. Tertium denique pro nostra sententia argumentum idem apostolus nobis suppeditat, quando *I. Corinth. X, 16.* panem benedictum, *communionem corporis Christi*, & calicem, seu vinum benedictum, *communionem sanguinis Christi* vocat. Communio autem vera, sine vera realique vnione; & vnio vera, sine vera realique praesentia esse nequit. Vbi ergo κοινωνία, siue communio panis & corporis Christi est, ibi quoque veram realemque vtriusque vnionem esse oportet. Haec vero vbi adest, ibi ipsum corpus, ipseque sanguis Christi adsit, necesse est. §. XVI.

§. XVI.

Vt ergo veram realemque corporis & sanguinis Christi in sacra coena praesentiam merito adserimus; ita mutationem panis & vini, in corpus ac sanguinem Christi, quam *transsubstantiationem* vocant, vtpote non tantum fundamento destitutam, sed & scripturae sacrae repugnantem, admittere non possumus. Cumque adeo vnio ista, quam propugnamus, in vsu tantum permaneat; panis consecrati extra vsum adseruationem, circumgestationem, adorationem, & quae alia eiusdem sunt generis, vt absona, immo & superstitionis plena, reiicimus atque improbamus.*

* Mutationem illam panis & vini, in corpus & sanguinem Christi, quam barbara voce transsubstantiationem vocant, fundamento omni destitui, tamdiu merito credimus, donec fundamentum eiusmodi adferatur. Adferre autem nullum possunt, cum scriptura sacra de eiusmodi mutatione nihil dicat. Ex verbis enim institutionis: *hoc est corpus meum*; item, *hic est sanguis meus*, si proprie accipiantur, vti omnino accipienda sunt, nihil aliud sequitur, quam vna cum pane & vino accipi corpus & sanguinem Christi. Mutationis panis & vini, in corpus & sanguinem Christi, nullum ibi vestigium. Nec fundamento tantum haec sententia destituitur, sed scripturae sacrae repugnat. Diserte namque Paulus calicem benedictum κοινωνίαν vocat *sanguinis Christi*, & panem, κοινωνίαν *corporis Christi*, *I. Cor. X*, *16*. Vbi autem κοινωνία quaedam, siue communio est, ibi diuersitatem quamdam rerum, etsi inter se coniunctarum siue vnitarum, esse opor-

tet. Commutatio contra vnius rei in alteram omnem diuersitatem tollit, adeoque & cum communione consistere nequit. Ex eodem itaque hocce loco praesentia non minus realis corporis sanguinisque Christi probatur, quam transmutatio siue transsubstantiatio solide impugnatur. Addunt nonnulli rationes philosophicas, & ipsa sensuum testimonia. Vt enim accidentia sine subiecto, cui inhaereant, subsistant, nullo modo fieri posse, contendunt. Retinet vero, post consecrationem, panis, colorem, saporem, figuram, magnitudinem, vt tamen, si Romanensibus credas, non amplius sit panis, sed corpus Christi. Et ita quoque de vino censendum. Hoc vero si ita esset, sequeretur, sensibus non amplius fidendum, quae recta ad scepticismum via esset.

§. XVII.

Actiones illae externae, quae circa materiam terrestrem & caelestem versantur, iunctim sumtae, dum secundum institutionem Christi, panis & vinum rite consecrantur, & cum pane verum corpus, cum vino verus sanguis Christi, illis, qui sacra coena vtuntur, reuera exhibentur, & cum pane corpus Christi manducatur, cum vino autem sanguis eius bibitur; *formam*, quam vocant, sacrae coenae constituunt.*

* Tum enim demum sacra coena huncce titulum promeretur, atque vere ita dici potest, si secundum primam eius institutionem, symbola rite consecrata, & distributa, manducentur & bibantur. Idque ex ipsa Christi seruatoris institutione quam luculentissime patet. Panem & vinum sumsit,

fit, benedixit, seu gratias egit, vtrumque symbolum discipulis, vt ederent, atque biberent, dedit, dixitque: *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*; adeoque, vt cum pane corpus suum ederent, cum vino sanguinem suum biberent, iussit; haecque omnia, vt passionis & mortis eius recordaremur, a nobis fieri voluit. Nihil itaque horum intermitti potest, si sacram coenam celebrare voluerimus; aut, si quid eorum intermittatur, sacra amplius vocari coena nequit. Omnes proinde actus, iunctim sumti, ipsam essentiam formamque sacrae coenae constituunt. Si qui contra, aut pro pane & vino aliud quid substituunt, aut benedictionem vel consecrationem omittunt, aut, cum pane & vino verum corpus, verumque sanguinem Christi accipi, negant, aut panem tantum, non autem vinum distribuunt, vel alia quacumque ratione a primaeua institutione, in iis, quae ad rem ipsam pertinent, discedunt; de illis, quod reuera sacram coenam administrent, fructumque, quem ceteroquin poterant, inde percipiant, dici nequit. Qui formam sacrae coenae in ipsis verbis institutionis constituunt, reuera a nobis non dissentiunt; cum & nos verba institutionis hic fundamenti loco ponamus, quibus quippe certa ratione efficitur, vt vna cum pane verum corpus, & vna cum vino verum sanguinem Christi accipiamus. Ad actus autem, quibus forma sacrae coenae absoluitur, vel maxime ille pertinet, quo panem consecratum, vt corpus Christi, comedimus, & vinum consecratum, vt sanguinem eius, bibimus.

§. XVIII.

Vnde simul sequitur, sacram hancce coenam non posse pro sacrificio, proprie sic dicto, multo minus propitiatorio, haberi.

Nihil enim in actibus, antea memoratis, occurrit, quod eiusmodi sacrificium exprimat; quemadmodum nec ex institutione, nec aliis scripturae testimoniis, quod sacra coena sacrificium esse debeat, comprobari potest. *

* In institutione sacrae coenae nullum, ne minimum quidem, vestigium occurrit, quod eucharistia sit sacrificium, speciatim propitiatorium. Quodsi etiam perpendas, quid sacrificium, & quid sacramentum, praesertim eucharistia sit? illius notionem in hanc minime quadrare, statim animaduertes. Repugnat porro finis & scopus eucharistiae, qui non est expiatio peccatorum, aut reconciliatio cum Deo, sed commemoratio mortis Christi; *I. Cor. XI, 26.* Repugnat scriptura sacra, quae non tantum nullibi docet, quod eucharistia sit sacrificium; sed, Christum semel, vnicaue oblatione, in perpetuum omnium hominum sustulisse & expiasse peccata, diserte pronuntiat, *Ebr. VII, 27. IX, 28. X, 14.* adeo, vt *non amplius moriatur*, *Rom. VI, 9.* Et sane, si alio quodam sacrificio propitiatorio, eoque saepius iterando, nobis opus esset; sequeretur, illud, quod seruator optimus in ara crucis, per mortem suam, sanguinisque effusionem obtulit, non sufficere ad hominum peccata expianda. Quod, vti testimoniis antea adlatis e diametro aduersatur; ita absonum plane, & in seruatorem ipsum iniurium est, cum inde fluat, quod obtulit pro nobis sacrificium, non fuisse infiniti valoris. Si enim fuit, omnia hominum per illud expiata sunt peccata, nec alio sacrificio propitiatorio opus est. Nec potest etiam hic distingui inter oblationem *cruentam* & *incruentam*; cum incruenta oblatio pro sacrificio

crificio propitiatorio haberi nequeat; siquidem *nulla sine sanguinis effusione fit remissio, Ebr. IX, 22.*

§. XIX.

Admittendi ad sacram coenam sunt omnes homines, qui se ipsos rite explorare possunt, hoc est, qui, exploratione facta, ita comparati sunt, vt ad fidei suae confirmationem, possint sacra coena vti. * Atque hisce quidem omnibus vtrumque symbolum, panis scilicet atque vinum, secundum institutionem Christi seruatoris, exhibendum est. **

* Diserte Paulus: δοκιμαζέτω δὲ ἄνθρωπος ἑαυτὸν, *exploret autem homo se ipsum, & ita de pane hocce comedat, & ex calice hocce bibat, I. Cor. XI, 28.* Δοκιμασίαν autem hanc eo spectare, ne quis ἀναξίως de pane hocce comedat, aut ex calice hocce bibat, idem apostolus *v. 29.* docet: ὁ γὰρ ἐσθίων καὶ πίνων ἀναξίως, *qui enim comederit & biberit indigne, iudicium sibi ipsi edet & bibet &c.* Dignus vero, siue idoneus, qui fructum ex sacra hacce coena referat, nemo, nisi vera fide praeditus, est. Hoc quippe finis sacrae huius coenae, *commemoratio mortis Christi, v. 26.* requirit. Nemo enim recte mortem Christi commemorabit, gratumque ob eam animum rite testabitur, nisi qui vera gaudet fide. Ergo & exploratio, siue δοκιμασία, eo tendere debet, vt certus homo reddatur, an veram fidem habeat? secundum illud apostoli, *vosmet ipsos tentate, an in fide sitis, vosmet ipsos explorate, II. Cor. XIII, 5.* Quodsi ergo ille demum dignus sacrae huius coenae conuiua est, qui, exploratione rite facta, deprehendit, se vera fide praeditum esse; sponte sua inde consequitur, sacrum hocce epulum ad fidei confir-

nationem comparatum esse. Atque hinc intelligere licet, quinam ad sacram coenam admittendi non sint. Primo namque merito inde remouentur, qui rationis vsu destituuntur, quippe qui se ipsos explorare nequeunt. Eiusmodi enim δοκιμασία, qua quis se explorat, num in fide sit, sine vsu rationis fieri nequit. Patet itaque, quid de furiosis, mente captis, moribundis vsu rationis iam priuatis, & infantibus, qui nondum ad rationis vsum peruenerunt, censendum sit. Non tantum autem, qui vsu rationis, sed &, vt ex antea dictis patet, qui vera fide destituuntur, a sacra coena remouendi sunt. Δοκιμασία enim eo comparata est, vt, si quis deprehendat, se nondum vera fide praeditum esse, id agat, vt vitam moresque mutet, & ita per veram sinceramque conuersionem, ad veram fidem perueniat. Non recte itaque ad sacram coenam admittuntur, qui vitiis suis, cupiditatibusue prauis seruiunt, & ad mentem meliorem redire nolunt, siquidem ecclesiae ministris hocce constet. De occultis enim, quod dici solet, ecclesia non iudicat. Et sane, si qui, verae fidei expertes, ad sacram eucharistiam accedunt, non tantum nullum inde percipiunt fructum, quoniam, vbi fides non adest, ibi quoque confirmari nequit; sed diuinam insuper in se prouocant indignationem, vt diserte Paulus adserit, *I. Cor. XI, 29.* Vnde & consequitur, ecclesiae ministros, qui eiusmodi homines, quos, peccatorum sordibus immersos, fide adhuc vera destitui, seu pro regenitis non habendos, sciunt, ab vsu sacrae coenae non arcent, cum id facere poterant & debebant; simul haud leui peccato se obstringere, quin potius in eiusdem cum illis, qui ἀναξίως ad sacram coenam accedunt, criminis participationem venire.

** Quod omnibus, qui sacra coena vtuntur, vtrum-

vtrumque symbolum, adeoque non tantum panis, sed & vinum exhibendum sit, ex ipsa Christi seruatoris institutione iterum apertissime constat. Hanc vero in iis, quae ad ipsam essentiam eucharistiae spectant, pro regula & norma nobis esse, antea iam indicauimus. Nec dubitari potest, calicem, siue vinum aeque ad essentiam sacrae coenae spectare, ac panem, cum seruator non minus dixerit; *bibite*, quam dixerat: *edite*. Et, si bibitionem sanguinis Christi ad ipsam sacramenti huius essentiam pertinere, negaueris, eadem ratione &, manducationem corporis Christi ad eam pertinere, negari poterit; aut luculenter ostendendum, cur manducatio ad essentiam huius sacramenti pertineat, bibitio autem non aeque. Quod frustra tentaueris. Praeterea, cum omnis institutio diuina sit instar legis, aut potius obligationem, de mediis salutis, secundum praescriptum Numinis vsurpandis, secum vehat; sequitur, omnes etiam, qui sacra coena vti possunt, vt ea vtantur, iure diuino obligatos esse; simulque eodem iure obstrictos, vt ita vtantur, prout Christus eam instituit, hoc est, sub vtroque symbolo, pane & vino. Voluntas enim diuina est, vt mediis gratiae non tantum vtamur, sed vt iis recte vtamur; adeoque vt sacramentis eum prorsus in modum, & non aliter, in iis, quae ad illorum essentiam spectant, vtamur, quam prout ea instituit, atque, vt omnes iis vterentur, voluit. Quodsi dicas, in prima institutione solos adfuisse apostolos, qui, cum clerici fuerint, argumentum inde duci non posse, eadem ratione sacram eucharistiam administrandam, cum & laici eadem vti volunt; respondemus, posse discipulos seruatoris non tantum vt apostolos, seu doctores ecclesiae vniuersales, sed & generatim vt discipulos Christi, quos hodie christianos vocamus, spectari.

Non

Non priori, sed posteriori modo eos hic considerandos, vel inde liquet, quia cetetoquin sequeretur, totam sacram coenam ad solos clericos, non autem ad laicos, pertinere. Non minus itaque a pane sacro excludendi erunt laici, quam a calice. Eadem namque ratione vt & in calicis & panis sumtione spectentur, par est. Accedit, quod Paulus sacram coenam Corinthiis, secundum institutionem seruatoris celebrandam, commendans, nullum inter clericos atque laicos discrimen faciat, *I. Cor. XI, 23. seq.* Ad solos enim clericos, dum hoc scripsit, apostolum sermonem direxisse, quis sibi persuadeat?

§. XX.

Effectus siue fructus sacrae coenae, qui & *finis* rationem habet, est recordatio & commemoratio mortis Christi, *I. Cor. XI, 26.* Quae, si recte instituatur, non potest non fides inde confirmari, vnde simul confirmatio & obsignatio promissionis euangelicae, de remissione peccatorum, tum & nouum amoris, quo Deum pariter ac alios homines prosequimur, incrementum sequitur. *

* Non tantum Paulus, *I. Cor. XI, 26.* hoc docet, adnuntiationem, seu commemorationem mortis Christi finem esse sacrae eucharistiae, sed ipse quoque seruator, dum *hoc facite*, inquit, εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν, *ad mei recordationem*, *Luc. XXII, 19.* Hic vero res ipsa docet, non talem intelligi mortis Christi adnuntiationem, aut commemorationem, quae absque animi adfectu, solis verbis, peragitur, & ab improbis etiam, atque hypocritis, sine vllo illorum fructu, institui potest; sed eiusmodi, qua homo

homo ex maximorum, per mortem Christi in se collatorum, beneficiorum, quae sacra eucharistia efficacissime illi in memoriam reuocat, consideratione commotus, ad amorem seruatoris optimi ardentissimum concitatur, animumque adeo gratum, deuotumque seruatori suo, verbis factisque, cumprimis obsequio testari ac declarare, gestit. Et talis sane commemoratio, vt non nisi ab eo, qui ob peccata admissa vero dolore perculsus, de illorum remissione, per mortem sanguinemque Christi certus, adeoque fide vera praeditus est, exspectari potest; ita, quo pacto nunc fides eiusmodi hominis inde confirmetur, facile intelligitur. Quoties enim in sacra eucharistia verum corpus, verumque sanguinem accipit; toties nouo quodam documento certior redditur, per mortem istam Christi, sanguinisque effusionem omnia peccata sua expiata, deleta, remissa esse; adeo vt ἐδὲν sit κατάκριμα *illis, qui sunt in Christo Iesu &c. Rom. VIII, 1.* Qua quidem ratione, cum fides corpus sanguinemque Christi, prout illud pro nobis in mortem traditum, hic autem effusus est, adprehendat; quid *manducatio & bibitio spiritualis, Ioan. VI, 35. it. 53. seq.* sit, intelligitur. Cum ista porro fidei confirmatione non potest non coniuncta esse confirmatio & obsignatio promissionis euangelicae, de remissione peccatorum; nisi potius dicere velis, ex ista promissionis euangelicae obsignatione ipsam fidei confirmationem fluere, quod & antea indicauimus. Promissionis autem istius euangelicae confirmatio & obsignatio inde potissimum exsistit, quod, dum verum corpus, verumque sanguinem Christi in sacra coena accipimus, inde simul certi reddimur, *pro nobis*, & pro *nostris peccatis* Christum mortuum esse, sanguinemque suum effudisse. Vt ergo quisque, qui ad sacram coenam accedit, longe certissimu

mus est, & dubitare nequit, quin verum corpus, verumque sanguinem Christi accipiat; ita & dubitare inde nulla ratione potest, quin Christus *pro se*, proque *suis peccatis* mortuus sit, sanguinemque suum effuderit. Porro cum amor, quo Deum pariter ac alios homines prosequimur, sit fructus fidei; fieri aliter nequit, quam vt & hic incrementum capiat, quoties fides confirmatur, magisque excitatur. Accedit, quod omnia, quae in hocce sacramento petaguntur, ita comparata sint, vt summam Numinis erga miseros mortales amorem, velut viuis coloribus depingant, & ante oculos ponant. Hunc vero quo diligentius consideramus, eo acrius iterum ad Deum diligendum nos incendi oportet, vnde rursus intensior aliorum hominum dilectio sequitur. Ita namque Ioannes rationes subducit: *si sic nos amauit Deus, nos vicissim debemus amare nos mutuo*; *I. epist. IV, 11.* Qui praeter hactenus commemoratos sacrae coenae effectus ab aliis adhuc addi solent, spiritualis nutritio ad vitam, arctior cum Christo vnio, spes certior resurrectionis & vitae aeternae, & ipsa denique vita aeterna, cum ex fidei confirmatione itidem fluant, & ex dictis facile intelligantur, vt de iis aliquid addamus, necesse non est.

§. XXI.

Plurimis doctrinam de sacramentis noui testamenti subinde apud varios homines erroribus fuisse corruptam & depraua-tam, neminem fugit. Et ad baptismum quidem quod attinet, cum ratio capere nequeat, quo pacto ritus eiusmodi externi effectum spiritualem producere possint, mirum non est, fuisse, & esse adhuc, qui bapti-

baptismum pro caerimonia quadam, cuius nulla sit in mentem hominis efficacia, habeant; alii omnino ne quidem necessarium esse ducant; alii vero illis, qui vsu rationis nondum polleant, neutiquam conferendum, existiment. Rursus tamen alii, in alterum extremum procurrentes, & solius operis virtute baptismum prodesse, sibi persuadentes plus, quam decet, eidem tribuunt.

§. XXII.

Pari ratione & in doctrina de sacra coena, duo haec extrema, ceu duo scopuli, se nobis offerunt, ad quorum alterum plurimi veritatis & fidei fecere naufragium. Nonnulli namque, corruptae rationi nimium indulgentes, veramque adeo praesentiam, & exhibitionem corporis & sanguinis Christi negantes, nihilque, nisi ritum aliquem externum, admittentes, omni efficacia sacram coenam spoliant; vti alii contra, externis plus, quam decet, tribuentes, vim ex mero opere operato aliquid efficiendi, sacramento huic tribuunt; hinc in sacrificium aliquod illud conuertunt, panis & vini mutationem quamdam in corpus & sanguinem Christi fingunt, cultum religiosum symbolis hisce deferunt, calicem laicis eripiunt, & similia designant, quae non alium, quam superstitionem, fontem habent.

§. XXIII.

§. XXIII.

Nec tamen in hiſce quoque veritas ita obſcurari potuit, quin eſſent, qui eiusmodi erroribus ſeſe opponerent, &, quae veritati conſentanea ſunt, tum de baptismo, tum de ſacra coena docerent. Veteri ſane eccleſiae, purae iſti & orthodoxae, errores iſti, quos notauimus, neutiquam tribui poſſunt; cumque ſequiori aetate ſenſim orirentur, mox etiam fuerunt, qui eos detegerent, confoderent, refutarent.

§. XXIV.

In praxi vitae chriſtianae ſacramentorum vel maxime habendam rationem, ex ipſa illorum indole & inſtitutione intelligitur. Baptiſmus equidem, ſemel rite collatus, iterari non debet; grato tamen ſemper animo, vt agnoſcamus, par eſt, quod per eum in foedus gratiae cum Deo recepti ſimus; *I. Petr. I, 3.* Quotidiana inſuper foederis huius recordatio efficiet, vt eo diligentius, quae noſtri hic officii ſunt, obſeruemus, fidemque noſtram bonis demonſtremus operibus, puramque & illibatam conſeruare conſcientiam noſtram adnitamur; *I. Petr. III, 21.* hinc & eo fortius contra omnes Dei, noſtrosque hoſtes, quibus in foedere baptiſmali bellum veluti indiximus, dimicemus.

§. XXV.

Sacrae autem coenae vſus toties repetendus,

dus, quoties id animae nostrae postulat conditio; idque praemissa semper debita exploratione, *I. Corinth. XI, 28.* tum vero grati animi, pro tam insigni diuini amoris erga miseros mortales documento, declaratione. Nec intermittendum quidquam, quo minus eorum omnium, quae coenae huius admirabilis vsus secum vehit, bonorum participes reddamur; & in fide firmiores indies facti, amoris quoque erga Deum & alios homines, ceterarumque virtutum, ex fide fluentium, accipiamus incrementum.

LIBRI QVINTI
CAPVT SECVNDVM
DE
PRAEDESTINATIONE.

Σύνοψις.

CVr nunc demum de decretis diuinis, ad hominum salutem spectantibus, agatur? §. I.

Decreta diuina, pro obiectorum diuersitate, ad certas classes reuocari possunt, §. II.

Decretum diuinum, quod circa hominum salutem versatur, praedestinatio vocatur; cuius vocis vel generalior, vel specialior est significatio, §. III.

In praedestinatione, generaliori ratione accepta, certum actuum diuinorum ordinem obseruare licet, §. IV.

Ordo hicce in quo consistat? §. V.

Per praedestinationem, in specialiori significatione acceptam, quid intelligatur?

tur? talemque praedestinationem, siue electionem; dari probatur, §. VI.

Causſae istius praedestinationis, siue electionis, summatim indicantur, §. VII.

Quinam illi sint, qui ad aeternam salutem praedestinati, siue electi, dici queant? §. VIII.

Finis praedestinationis, §. IX.

eiusdem adiuncta, siue proprietates, §. X.

Ex praedestinatione intelligitur, cuiusmodi sit decretum reprobationis, §. XI.

Summa & fontes errorum, qui in hocce doctrinae capite occurrunt, §. XII.

Veritatis in eodem conseruatio, & propagatio, §. XIII.

Vsus in praxi vitae christianae, §. XIV.

§. I.

POstquam hactenus consideravimus, qua ratione, quibusue mediis, Deus homines lapsos, summaeque miseriae immersos, sed ordini, ab eo praescripto, non reluctantes, ad salutem aeternam perducat; nunc demum supereſt, vt, quo pacto ab aeterno hoc ita facere decreuerit, exponamus. Nec enim aliter, quam ex euentu, de decretis diuinis nobis iudicare licet.*

* Cum enim nec de hominum aliorum decretis & actibus internis aliter, quam ex factis, aut actibus externis iudicare liceat; multo minus decreta diuina aliter, quam ex euentu, seu exsequutione nobis innotescere, existimandum. Quodsi etiam, in decretis hominum aestimandis & diiudicandis, caute incedendum, ne quid alicui tribuamus, quod illi numquam in mentem venit; multo magis, cum de diuinis decretis loquimur, circumspectione opus est. Ne igitur hic fallamur, euentus, recte cognitus,

tus, cum decreto ipso diligenter comparandus; tum & ad harmoniam omnium attributorum diuinorum attendendum, ne vni aliquid tribuamus, per quod alterum euertitur. Atque hinc ratio etiam patet, cur illorum mihi placuerit tractandi methodus, qui, postquam ea omnia, quae in exsequutione ad salutem aeternam consequendam pertinent, exposuerunt, tum demum de praedestinationis decreto agunt.

§. II.

Cumque varia sint Numinis decreta, possunt tamen ea, si obiecta eorum praecipua, simulque ordinem, quo, nostro cogitandi modo, se inuicem exceperunt, spectes, ad tria summa reuocari capita; quorum primum est, quod mundum, & in eo angelos hominesque, ad sapientiae & bonitatis suae manifestationem, creare; alterum, quod, postquam vidit, angelos quosdam per libertatis suae abusum peccaturos, reliquos in bono confirmare, malos autem poena aeterna adficere; tertium denique, quod, postquam vidit, nec homines in statu innocentiae permansuros, secundum certum ordinem, bonitati, iustitiae & sapientiae eius conuenientem, eos saluare iterum, & ad vitam aeternam perducere, decreuerit.

§. III.

Vltimum illud decretum, quod circa hominum salutem versatur, etiam *praedestinatio* vocari solet; qua tamen voce vel

generatim omnia, quae Deus, vt homines ad salutem aeternam perduceret; vel speciatim ille actus, quo eos, quos credituros in Christum, & in fide ad finem vsque perseueraturos praeuidit, ad salutem aeternam perducere decreuit, denotatur.*

* Cum de decreto, quod circa hominum salutem versatur, vox haecce vsurpatur; primo quidem obseruandum, quod verbum προορίζειν, cui latinum *praedestinare* respondet, in scriptura sacra numquam in malam, sed semper in bonam accipiatur partem, vt praedestinationem ad salutem, seu ad gloriam significet; conf. *Rom. VIII, 29. 30. Ephes. I, 5.* Hinc & nostrates scripturae ductum sequentes, in bonam partem hanc vocem accipiunt, pro hominum ad aeternam salutem praedestinatione. Ita vero accepta vox praedestinationis duplicem iterum admittit significationem, quarum altera latior, altera strictior est. Secundum priorem, ea omnia, quae Deus, vt homines ad aeternam salutem perduceret, decreuit, denotat; adeoque media omnia atque caussas salutis complectitur. Secundum posteriorem autem speciatim eum actum indicat, quo Deus in fide ad finem vsque perseueraturos ad salutem perducere decreuit.

§. IV.

Quod si vox praedestinationis ita sumatur, prout Deus omnia, quae ad salutem hominum pertinent, decreuit; certos iterum, si de rebus diuinis more humano cogitemus, & decretum ipsum ex euentu & exsequutione aestimemus, in eo actus, certumque ordinem obseruare licet.*

* Cum Deus omnia vno eodemque actu purissimo velit; res ipsa docet, actus intellectus & voluntatis, realiter distinctos, & sibi inuicem succedentes, in

in eo non dari. Nostro itaque cogitandi modo, seu, vt loqui solent, in signo rationis, istos actus, eorumque ordinem, in Deo concipimus. Idque ad ductum scripturae sacrae, cui vnice hic insistendum, ne inanibus nos ipsos deludamus commentis, aut omnino talia fingamus, quae in Deum ipsum sint iniuria.

§. V.

Primo namque Deus, omnes homines, quos lapsuros praeuidit, ad aeternam iterum peruenire salutem, voluit. * Quod, vt fieri posset, filium suum, qui illorum expiaret peccata, mittere, ** ea quidem ratione, vt omnes, qui in eum credituri essent, aeternam salutem consequerentur; *** eumque porro in finem omnes etiam homines ad aeternam beatitudinem vocare; * per verbum & sacramenta fidem in iis, qui non essent praefracte repugnaturi, producere, eosque ita & regenerare & iustificare; ** tum eos, qui credituri essent, si vlterius mediis gratiae recte vterentur, sanctificare, & in fide confirmare, ac conseruare; *** & ita demum eos, qui in vera fide ad finem vitae vsque perseueraturi essent, intuitu meriti Christi aeternae beatitudinis participes reddere, ab aeterno decreuit. *

* Primus hicce voluntatis diuinae actus, adcurate loquendo, non est decretum, sed simplex actus voluntatis diuinae. Iste namque actus voluntatis diuinae, quo consideratis omnibus circumstantiis aliquid vult, & efficere intendit, *decreti* nomine insigniri solet; qualis quidem circumstantiarum consideratio cum in censum non veniat, quando Deus omnium hominum salutem velle dicitur,

actus iste *volitio* rectius, quam *decretum* adpellitatur. Alias & *voluntas antecedens* vocatur , a qua *consequens* recte discernitur. Ad rem ipsam quod attinet, cum ex euentu constet, Deum in tempore voluisse, vt *omnes homines salui fiant*, *& ad agnitionem veritatis perueniant; I. Tim. II, 4. nolle* eum, *vt quisquam pereat*, *sed vt quilibet conuertatur; II. Petr. III, 9. sic dilixisse mundum*, hoc est omnes homines, *vt filium suum vnigenitum daret; Ioan. III, 16.* recte inde colligitur , idem eum ab omni voluisse aeternitate.

** Alter hicce est praedestinationis diuinae actus, qui &, ob rationem antea adlatam, decreti nomen promeretur. Nimirum , cum non alia esset ratio, ex peccatis eluctandi , & perueniendi ad aeternam salutem , quam vt filius Dei hominum expiaret peccata; *Ioan. I, 29. I. Ioan. II, 2. act. IV, 12.* Deus hunc in finem filium istum suum vnigenitum misit, *Ioan. III, 16. Gal. IV, 4. 5.* Idque adeo cum Deus, summa sua benignitate & misericordia ductus, fecerit; recte colligitur, ab aeterno eum, quod illud facturus sit, decreuisse.

*** Tertius hicce actus praedestinationis iterum non tam decretum, quam actus est diuinae voluntatis. Fluit autem ex primo. Dum enim Deus voluit , vt omnes homines salui fierent, voluit etiam, vt in Christum crederent. Non alia est ratio perueniendi ad salutem, quam per fidem in Christum, *Ioan. III, 16. Marc. XVI, 16.* Idque cum euentus doceat, ab aeterno hoc ita eum voluisse, certum est.

* Quartus hicce est praedestinationis actus, decretum de omnibus hominibus vocandis, seu Christo seruatore per verbum euangelii omnibus offerendo. Enimuero si Deus voluit, vt omnes homines credant, & ita ad salutem perueniant; necesse quoque est, eum voluisse, vt seruator iste per verbum euangelii omnibus innotesceret. Ex verbo enim euangelii oritur fides, *Rom. X, 17. 14. I. Tim. II, 4.* Per verbum

bum nimirum diuinum homines ad agnitionem veritatis perueniunt, vt hac ratione fides in iis accendatur. Atque hoc, cum ita, quando homines ad salutem aeternam perducendi sunt, re ipsa eueniat; non est, quod dubitemus, Deum hoc quoque ab aeterno decreuisse.

** Cum ex verbo diuino, speciatim euangelii, fides oriatur, vt antea dictum; sequitur, Deum per verbum istud, non exclusis sacramentis, fidem in iis, qui pertinaciter non repugnant, producere & augere; vnde regeneratio pariter, ac iustificatio exsistit. Quae cum eo modo in tempore fiant, Deum, vt ita fierent, ab aeterno decreuisse, inde concluditur.

*** Deum ita porro cum hominibus agere, vt regenitos & iustificatos, si mediis gratiae recte vtantur, sanctificet, in fide confirmet, & ita ad vitae vsque finem conseruet, & experientia docet, & scriptura sacra testatur; conf. *I. Petr. V, 10.* Hoc ergo etiam ab aeterno eum decreuisse, vt credamus, par est.

* Septimus atque vltimus hic est praedestinationis diuinae actus. Eos, qui in Christum credunt, & in fide ista vsque ad vitae finem permanent, saluos fieri, summa fere eorum omnium est, quae scriptura sacra de Christo, deque ratione perueniendi ad salutem tradit; conf. *Ioan. III, 16. 36. I. Petr. I, 9. apocal. II, 10.* Hoc ergo itidem ab aeterno a Deo decretum esse, nemo non perspicit. Atque hinc quidem, quis actuum, qui praedestinationem (voce in latiori significatione accepta) absoluunt, ordo sit, intelligitur. Gratia Dei vniuersalis, seu voluntas Dei seria, omnes homines saluandi, fundamentum & principium eorum omnium est, quae Deus hominum caussa egit, adeoque & agere decreuit; ex quo & reliqua omnia fluunt; proinde & recte primo, inter istos praedestinationis actus, loco collocatur. In reliquis actibus ille, ex quo alter pro-

gignitur, & ordine quodam naturali procedit, merito quoque ei praemittitur. Finis autem omnium eorum, quae hominum cauſſa Deus egit, cum is demum ſit, vt homines, in Chriſtum credentes, ſaluentur; iſtud quoque praedeſtinationis decretum non poteſt non vltimum locum occupare. Nec inutilis aut ſuperuacanea haec, de praedeſtinationis actibus, eorumque ordine, diſputatio videri debet. Magnopere enim omnium hominum refert, vt de cauſſis ſalutis, & ordine, quem Deus ab iis, qui ſalutem conſequi cupiunt, vult obſeruari, recte erudiantur. Quod fieri commode nequit, niſi ipſum actuum praedeſtinationis ordinem probe teneamus.

§. VI.

Atque vltimus quidem iſte actus, quo Deus ab aeterno, eos, qui in fide vera ad finem vsque perſeueraturi eſſent, aeternae vitae participes reddere decreuit, non tantum ſpeciatim *praedeſtinatio*, ſed & *electio ad vitam aeternam*, *Rom. VIII, 33. Epheſ. I, 4.* itemque *inſcriptio in librum vitae*, vocari ſolet, *Exod. XXXII, 32. Dan. XII, 1. Luc. X, 20. Philipp. IV, 3. apocal. III, 5. XVII. 8. XX, 15.* Et de eiusmodi omnium & ſingulorum, qui in fide ad vitae finem vsque perſeueraturi ſunt, praedeſtinatione, ſiue electione, & harmonia euentus cum decretis diuinis, & luculentiſſima ſcripturae effata, nos neutiquam dubitare ſinunt; conf. *Epheſ. I, 4. 5. II. Tim. I, 9.*

§. VII.

Quemadmodum autem *cauſſa efficiens* praedeſtinationis ſeu electionis Deus ipſe eſt,

est, pater, *Rom. VIII, 29. Eph. I, 3. 4. 5.* filius, *Ioan. XIII, 18. XV, 16. 19.* & spiritus sanctus, *II. Thess. II, 13.* ita singulari sua ad eam inductus est misericordia, gratuitoque fauore, *Eph. I, 5. 6. Rom. IX, 15. 16. II. Tim. I, 9.* accedente, ne iustitia eius obstaret, merito & satisfactione Christi, *Eph. I, 4. 5.* adeoque &, certa quadam ratione, fide finali, eaque praeuisa, hominum, *II. Thess. II, 13. I. Tim. I, 16. Iac. II, 5.*

§. VIII.

Atque hinc intelligitur, eos, qui hunc in modum praedestinati, & ad aeternam salutem electi sunt, homines esse, peccatores quidem, &, per naturae conditionem, filios irae; *Ephes. II, 3.* sed per Christum, eiusque meritum, quod vera fide adprehendunt, reconciliatos Deo, *II. Cor. V, 18. 19.* & in fide ista constanter ad vitae finem vsque perseuerantes; *Marc. XIII, 13. apoc. II, 10.*

§. IX.

Eaque ratione, cum illi, qui in Christum credunt, atque in fide ista ad finem vsque vitae perseuerant, hereditatem, a patre sibi destinatam, consequantur; *Rom. VIII, 17. I. Petr. I, 4.* Deus simul diuitias bonitatis, misericordiae, & sapientiae suae manifestat, omniumque oculis exponit; *Ephes. I, 6.* Atque hinc *finis* praedestinationis, seu electionis, elucescit.

§. X.

Praeterea, vti hocce praedestinationis de-

cretum est *aeternum*, *Matth. XXV, 34. Eph. I, 4. immutabile*, ea quidem ratione, vt Deus hominem, quem in fide perseueraturum videt, reprobare nequeat, *II. Tim. II, 19. particulare* etiam, cum non omnes credant, multo minus, in fide ad vitae suae finem, permaneant; vnde & pauci electi dicuntur; *Matth. XX, 16. XXII, 14.* ita & homines de electione sua *certi* esse possunt, modo credant, mediisque gratiae, quibus fides conseruari potest, rite vtantur, aut vti velint, *Luc. X, 20. Rom. VIII, 38. 39. II. Tim. IV, 7. 8.*

§. XI.

Ex decreto praedestinationis, seu electionis, recte colligitur, cuiusmodi sit *decretum reprobationis*. Iustitia enim sua, hominumque peccatis, accedente eorum incredulitate finali, qua aditum ad salutem sibi intercludunt, inductus Deus, homines impios, incredulosque, & in incredulitate ad vitae finem perseuerantes, aeternis poenis, crúciatibusque addicere, ab aeterno decreuit; idque ad iustitiae suae demonstrationem, gloriaeque manifestationem. Quod quidem decretum itidem *aeternum*, *immutabile*, & *particulare* esse, res ipsa docet.

§. XII.

Iidem, qui circa ipsas salutis nostrae caussas homines in deuia abripiunt, hic quoque, cum de decretis diuinis agitur, recurrunt errores. Sunt, qui Deo, sunt, qui homi-

hominibus, plus quam decet, tribuunt. Prius faciunt, qui cuncta ex absoluta quadam praedestinatione deriuant, & ita, Deum omnis boni, pariter ac omnis mali, causſam esſe, adfirmant. Posterius faciunt, qui, praedestinationem intuitu bonorum operum factam, putant, aut, si intuitu fidei, hanc tamen eiusmodi quid esſe, fingunt, quod in ipsius hominis, sibi etiam relicti, viribus sit positum. Fons omnium istorum vana & erronea, aut de absoluta quadam necessitate, aut de hominis viribus, & praestantia naturali, est persuasio.

§. XIII.

Recto contra tramite incedunt, qui, vtrumque euitantes extremum, vt mali omnis, ita & reprobationis, aeternaeque damnationis, causſam, non in absoluto quodam Numinis decreto; sed in praeposſtera hominum, media salutis non admittentium, aut reiicientium, voluntate, quaerunt; nec tamen, aut bonorum operum meritis, aut naturalibus hominum viribus, hic quidquam tribuendum, censent. Quam quidem qui ingrederentur viam, veritatemque adeo, in hocce etiam capite, conseruarent, propagarentue, numquam defuerunt.

§. XIV.

Nostri officii hic postulat ratio, vt τὸ βάθος cognitionis, & sapientiae, immo & misericordiae, & iustitiae diuinae, pia mente veneremur, *Rom. XI, 33.* tum vero, vt semper

semper cogitantes, non Deum, sed homines ipsos reprobationis suae, damnationisque causſam esse, *Hos. XIII, 9. Matth. XXIII, 37.* saluti nostrae *cum metu & tremore* studeamus; *Philipp. II, 12.* Nec intermittamus, per legitimum mediorum gratiae vsum, eo contendere, vt de nostra electione indies certiores reddamur, *II. Petr. I, 10.* quanta illorum, qui de ea certi sunt, in hac etiam vita beatitudo sit, considerantes; *Luc. X, 20.* gratoque animo, quod Deus spiritum sanctum, salutis nostrae pignus, nobis largiatur, agnoscentes, *II. Cor. I, 21. 22.*

LIBRI QVINTI
CAPVT TERTIVM
DE
ECCLESIA.

Σύνοψις.

NExus doctrinae de ecclesia cum praecedentibus, §. I.

Non de triumphante, sed militante ecclesia, hic sermo est; & ea quidem praecipue, quae coetum vere credentium denotat, §. II.

Structura ecclesiae, in quonam cum structura reipublicae conueniat, aut ab eadem differat? §. III.

Caput ecclesiae Christus est, §. IV.

Ita quidem, vt non aliud eius caput esse queat, §. V.

Vnde Romanus pontifex nec vicarius Christi, nec

nec caput ecclesiae visibile esse potest, §. VI.

Caussae ecclesiae summatim indicantur, §. VII.

Vera, proprieque sic dicta ecclesia, vna est, sancta, catholica & apostolica, §. VIII.

Diuiditur ecclesia in vniuersalem, & particulares; & hae iterum in simplices, & compositas, §. IX.

Quo sensu coetibus, in quibus vere credentibus improbi & hypocritae admixti sunt, nomen ecclesiae tribui queat? §. X.

Atque hoc modo accepta ecclesia, vel vera seu pura est, vel corrupta, §. XI.

Diuersi tamen dantur corruptionis gradus, §. XII.

Notae, seu characteres verae puraeque ecclesiae, §. XIII.

Quo sensu ecclesia in visibilem, & inuisibilem, dispescatur, §. XIV.

Corrumpi ecclesia atque ita deprauari potest, vt, vbinam vera ecclesia sit, ignoretur; prorsus tamen deficere nequit, §. XV.

Corrupta ecclesia emendatione seu reformatione indiget, vnde non noua, sed renouata, oritur ecclesia, §. XVI.

Ecclesia particularis, intuitu rei publicae considerata, instar collegii seu societatis, a re publica in externis dependentis, sese habet; sed nec vniuersalis, improprie sic dicta, per modum rei publicae concipienda, §. XVII.

Est porro ecclesia vel synthetica, vel repraesentatiua; ad hanc concilia pertinent, §. XVIII.

Inter ea, quae magnam ecclesiae adferunt cladem, schisma merito refertur, §. XIX.

Quotuplici ratione aliquis caussa, auctorque schismatis fieri queat? XX.

Quibus contra culpa schismatis perperam imputetur, §. XXI.

Non minus vero & syncretismus ecclesiae nocet, §. XXII.

Cumprimis autem ab anti-christo grauissima quaeque patitur, §. XXIII.

Cha-

Characteres anti-christi, §. *XXIV.*
Characteres omnes anti-christi omnium optime in Romanum pontificem quadrant, §. *XXV.*
Errores praecipui, in doctrina de ecclesia, ad duo reuocantur capita, §. *XXVI.*
Veritas tamen & hic semper conseruata ac propagata fuit, §. *XXVII.*
Quaenam officii nostri hic postulet ratio? §. *XXVIII.*

§. I.

QVando illi, qui, secundum praedestinationis diuinae, generatim acceptae, decretum, ad aeternam salutem perducendi sunt, eumque in finem, per verbum & sacramenta, fidei, & gratiae diuinae participes fiunt, iunctim spectantur, oritur inde *ecclesia*; * cuius, varias ob causſas, vtilis valde & necessaria est consideratio. **

* Vox *ecclesia*, seu graeca ἐκκλησία, vel generatim quemcumque coetum hominum, seu multitudinem, etiam eam, quae sine lege, vel ordine confluxit, vt *actor. XIX, 32.* vel speciatim concionem quorumdam, rite & publica auctoritate congregatam, *actor. XIX, 39.* vel denique (quae specialissima vocis huius est significatio) coetum vere credentium, & sanctorum, per verbi diuini adnuntiationem, ad salutem aeternam consequendam, per summam Numinis benignitatem, rite conuocatorum, denotat.

** Idque praecipue ideo, quod, quae generatim de ratione, mediisque, salutem aeternam consequendi, dicta sunt, eo rectius intelligi queant, cum in adplicatione ad homines, qui ecclesiam constituunt, spectantur. Summa autem Numinis & benignitas, & sapientia, in ecclesia, quae regnum

gnum illud gratiae, in quo caput, princepsque ipse seruator est, constituit, luculentissima ratione conspicitur.

§. II.

Nec de ea, quae iam in caelis est, hic loquimur, ecclesia; sed de ea, quae adhuc in terra sedem suam habet, quaeue *militantis* nomine venit; * & ex iis conflatur, qui fide vera cum Christo, ceu capite suo, coniuncti sunt, nomenque adeo sanctorum promerentur; ** etsi interdum etiam coetus aliquis ex vere credentibus, & improbis hypocritis compositus, certoque modo inter se vnitus, improprie licet, ecclesia vocari soleat. ***

* Militantis ei nomen inditum, quia credentibus in Christum quotidie cum infernali genio, cum mundo, & cum carne sua, seu prauis cupiditatibus, pugnandum est. De militante itaque ecclesia cum sermo est, rursus vel quamcumque credentium congregationem vox *ecclesiae* denotat, vt cum Paulus *Coloss. IV, 15.* Nymphae domesticos, & *Philem. v. 2.* eos, qui in Philemonis domo commorabantur, *ecclesiam* vocat; vel talem speciatim congregationem, in qua per verbi diuini ministros, rite constitutos, verbum diuinum publice docetur, & sacramenta secundum diuinam institutionem administrantur; vt *I. Cor. XII, 28.* Et posteriori quidem modo vox ista accipitur, quando ecclesia vt *mater fidelium* describitur.

** Propriam hanc & genuinam esse ecclesiae notionem, ex iis, quae scriptura sacra de illa, singulisque eius membris passim pronuntiat, luculenter euinci potest. Nimirum 1) ecclesiam, vt *cor-*

pus

pus Christi mysticum, describit, cuius caput sit Christus, a quo membra quaelibet vim omnem ac vitam spiritualem accipiant; *Coloss. I, 18. II, 19. Eph. I, 10.* Necesse itaque est, vt membra huius corporis cum capite arctissimo vinculo sint coniuncta. Quonam vero alio, quam fide? Ergo soli isti, qui vera fide praediti sunt, ecclesiam, proprie sic dictam, constituunt; hinc & *membra corporis Christi* adpellantur, *Ephes. V, 30. IV, 15. 16. I. Cor. VI, 15.* II) Describitur ecclesia, vt *sponsa Christi*, Christus autem vt *sponsus*, *Ioan. III, 29.* Vnde & matrimonium, ceu imaginem vnionis istius, quae est inter Christum & credentes, apostolus proponit, idque *magnum mysterium* vocat; *Ephes. V, 32.* conf. & *Es. LIV, 5. Hos. II, 16. 19. 20.* Immo integer *psalm. XLV.* & *canticum canticorum* huc pertinet, cum vtrobique sub eodem schemate amor Christi & fidelium exhibeatur. Alios vero, quam qui vera in Christum fide instructi sunt, pro sponsa Christi habere, absonum foret. *Sine fide* enim *nemo Deo placere potest*, *Ebr. XI, 6.* III) Describitur ecclesia, vt *regnum Christi*, in quo seruator ipse rex est, imperio autem eius subiecti, qui in eum credunt, ductumque eius sequuntur, *ps. II, 6. seq. Ierem. XXIII, 5. XXXIII, 15. 16. Ioan. I, 49. XVIII. 36. 37.* Increduli contra omnes, improbi, & hypocritae, non sunt ciues, sed hostes regni Christi, *ps. XLV, 6.* qui *ad scabellum pedum eius* proiicientur, *ps. CX, 1.* Hostes vero regni Christi ecclesiam constituere, vel ei recte adiungi, quis adseruerit? Aliter ipse seruator pronuntiat, *Luc. XIV, 24.* conf. & *apocal. XXII, 15.* Idem IV) de eo dicendum, quando ecclesia sub imagine *gregis*, cuius pastor Christus ipse est, nobis sistitur, *ps. XXIII, 1. Es. XL, 11. Ezech. XXXIV, 11. 12. Ioan. X, 11.* Oues enim, hoc est, vere credentes, vocem pastoris agnoscunt,

& illum

& illum sequuntur, *Ioan. X, 4.* adeoque in eum credunt. Hoc ergo qui non faciunt, oues eius non sunt, hinc & pro verae ecclesiae membris reputari nequeunt. v) Describitur etiam ecclesia, vt *domus spiritualis*, vt *templum domini*, cuius *lapis angularis est ipse Christus*, *Eph. II, 20. 21. Es. XXVIII, 16.* qui autem in eum credunt, sunt *lapides viui*, ex quibus structura domus huius exsurgit, *I. Petr. II, 5.* Qui ergo inter *lapides* illos *viuos*, inter vere credentes in Christum, referri nequit, neque ecclesiae, proprie, vereque sic dictae, adscribendus. Eiusdem generis & hoc est, quod ecclesia *Rom. XI, 16. seq.* cum *olea* comparatur, cuius rami, per fidem inserti, eademque ratione in ea permanere adseruntur. vi) Denique & aliae illorum, qui veram ecclesiam constituunt, adpellationes, idem quam luculentissime confirmant. Vocantur enim *sancti*, *& fideles in Christo Iesu*, *Eph. I, 1.* συμπολῖται τῶν ἁγίων καὶ οἰκεῖοι τῦ θεῦ, *cap. II, 19. filii Dei*, *Ioan. I, 12. Gal. III, 26.* Tales ergo cum sint, qui ecclesiae, proprie sic dictae, adnumerantur, improbos, incredulosque, & hypocritas ab ea excludendos, manifestum est. *Sanctorum* autem cum veniunt nomine, de sanctitate tum imputata Christi, tum inhaerente, etsi imperfecta, hoc intelligendum esse, res ipsa docet; conf. *Eph. V, 27.* Sed & de credentibus cum hic sermo est, de illis hoc accipiendum, qui actu vera fide praediti sunt, etsi incertum sit, an in ea ad finem vsque vitae sint perseueraturi.

*** Sic Paulus, τῖς ἐκκλησίαις τῆς Γαλατίας scribit, *Gal. I, 2.* etiamsi, apud Galatas plurimos fuisse, qui a recto tramite discesserint, ex ipsa hacce epistola constet.

§. III.

Ceterum, licet ecclesia, proprie sic dicta,

multum a re publica differat, in eo tamen conuenit, quod structura eius itidem per vnionem quamdam membrorum cum capite, vnde & membrorum vnio inter se fluit, explicari queat.

§. IV.

Caput nimirum ecclesiae est Christus seruator, *Ephes. I, 22. IV, 15. 16. V, 23. Coloss. I, 18. II, 10.* non tantum, prout ex pacto cum patre rex est, ac dominus ecclesiae, *psalm. II, 6.* sed &, prout influxu morali pariter ac physico membra conseruat; idque & per varias functiones, quas in ecclesia constituit, itemque per varia donorum genera, *Ephes. IV, 15. 16. Coloss. II, 19. I. Cor. XII, 4. seq.* *

* Influxus iste, quem ecclesia a Christo, ceu capite, accipit, duplex est, vel *moralis*, vel *physicus*. Moralis in ipso merito Christi consistit, cuius quippe tanta vis est & efficacia, vt istius intuitu ecclesiae, singulisque eius membris, illud vera fide adprehendentibus, bona quaeuis spiritualia conferantur; *Ephes. I, 3. II. Petr. I, 3.* Physicus vero influxus in eiusmodi operatione consistit, qua vires spirituales credentium, si mediis gratiae recte vtantur, conseruantur, corroborantur, augentur, vt adeo ad varias functiones spirituales apti ac idonei reddantur. Atque hicce influxus per illum, quem caput humani corporis in singula membra habet, spiritus animales suppeditando, *Coloss. II, 19.* item, quem vitis in palmites habet, succum vitalem cum illis communicando, *Ioan. XV, 1. seq.* omnium aptissime repraesentatur. Huc vero variae istae functiones pertinent, in ecclesia a Christo constitutae, *Ephes. IV, 11. 12. I. Cor. XII, 28.* itemque dona,

dona, cum ministrantia, tum sanctificantia, quamuis haec, dum aliorum commodis inseruiunt, etiam ministrantia fiant.

§. V.

Est vero Christus ita caput ecclesiae, vt non alius, quam ille, caput eius esse queat.* Neque alio capite ecclesia indiget; ** quemadmodum nec ipse Christus vicario; cum & ipse ecclesiae suae solus praesit, solusque praeesse possit. *** Accedit, quod nullibi vicarium eiusmodi, aut caput aliquod visibile ecclesiae, constituisse legatur.*

* Ea enim, quae ad caput ecclesiae requiruntur, non nisi illi conueniunt, qui est verus Deus, verusque simul homo, adeoque soli seruatori optimo. Is nimirum solus caput ecclesiae est, & esse potest, qui ex pacto cum patre rex & dominus ecclesiae constitutus est; quiue per influxum, moralem pariter ac physicum, ecclesiam, singulaque eius membra conseruare, &, quae ad vitam spiritualem necessaria sunt, illis largiri valet. Haec autem, vt de eo, qui tantum homo est, dici nequeunt; ita eum solum, qui est verus Deus, verusque homo, caput ecclesiae esse, recte inde concluditur.

** Quae namque ad vitam spiritualem pertinent, ecclesia a Christo, ceu vnico suo capite, ea, qua diximus, ratione accipit. Gubernatio autem ecclesiae, qua externa, a summis imperantibus, quibus ecclesia quaelibet particularis subiecta est, certo etiam quodam modo a pastoribus, ceu episcopis a Deo ipso constitutis, recte peragitur. Cur ergo capite quodam visibili opus esset? Accedit, quod vetus ecclesia christiana subsistiterit, & per in-

crementa laetissima efflorverit, etsi nemo de eiusmodi capite quidquam sciret.

*** Quod reges principesque, in regnis atque prouinciis suis administrandis, vicariis vtantur, id inde est, quod ipsimet vbique praesentes esse nequeant. At Christus ipse, *ego*, inquit, *vobiscum sum, omnibus diebus, vsque ad consummationem saeculi, Matth. XXVIII, 20.* Et iterum: *Vbi duo, tresue congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio illorum; Matth. XVIII, 20.* Si dicas, Christum praesentem equidem esse, at modo inuisibili; verum vtique hoc esse, fateor; sed vicario visibili opus esse, iterum nego. Quae enim ad externam ecclesiae gubernationem spectant, a magistratu, qui iure circa sacra gaudet, vt suo loco probatur, & pastoribus ecclesiae, seu verbi diuini ministris, ita peragi possunt, vt alius vicarius, qui totius ecclesiae curam gerat, non possit non supervacaneus censeri.

* Hoc tamdiu pro certo habemus, donec contrarium, seu caput aliquod visibile ecclesiae a Deo constitutum fuisse, luculenter fuerit demonstratum. Eoque firmiori nostra sententia nititur talo, quod iis in locis, in quibus hierarchia ecclesiastica ex instituto describitur, vt *Ephes. IV, 11.* & *I. Cor. XII, 28.* nulla prorsus capitis cuiusdam, seu eius, qui solus ecclesiae vniuersae praeesse debeat, iniiciatur mentio. Vtrobique Paulus apostolos primo loco, ceu doctores vniuersales totius ecclesiae, commemorat. Discrimen vero aliquod inter eos fuisse, seu vnum aliquem inter eos ita eminuisse, vt reliquis, & simul toti ecclesiae imperauerit, ne vnico quidem verbo indicat. Indicare autem debebat, si ita se res habuisset, cum hoc vel maxime ad ordinem ecclesiasticum recte intelligendum pertinuisset. Sic & seruator ipse, dum eamdem omnibus apostо-

apostolis docendi, ecclesiamque plantandi, concedit potestatem, *Matth. XXVIII, 19. Marc. XVI, 15.* omnes etiam eodem habendos loco, demonstrat. Quod rursus facere non potuisset, si vnius eam voluisset esse ἐξοχὴν, vt pro capite reliquorum, immo totius ecclesiae, reputandus esset.

§. VI.

Sequitur inde, Romanum pontificem perperam se pro vicario Christi, & capite visibili vniuersae ecclesiae venditare. Quam enim potestatem Christus nemini mortalium concessit, eam nemo quoque sine impietate sibi tribuere potest. Successionis autem eo minus eam sibi vindicare potest titulo, quod nec Petrus ea vmquam gauisus sit potestate, & sine omni fundamento ac ratione dicatur, Romanos pontifices Petri apostoli esse successores. *

* Qui Romani pontificis primatum, seu, quod caput visibile ecclesiae, & vicarius Christi sit, adserere cupiunt, iis tria haecce euincenda sunt: 1) caput aliquod ecclesiae visibile, seu vicarium quemdam a Christo seruatore fuisse constitutum, eumque fuisse Petrum apostolum; 11) Petrum non tantum Romae fuisse, sed episcopatus etiam munere ibi functum; 111) Romanos episcopos pro successoribus Petri habendos, eamdemque potestatem in ecclesiam vniuersam ab eo accepisse. Sed, cum ne vnicum quidem ex tribus hisce capitibus solide probare queant Romanenses, multo minus omnia tria; lubrico fundamento istum Romanorum pontificum primatum superstructum esse, nemo non intelligit.

§. VII.

Ex structura ecclesiae, quae in vnione arctissima vere credentium, cum Christo, ceu capite, consistit, facile intelligitur, *materiam* eius esse ipsos homines, vera fide praeditos; *formam* autem ipsa ista vnione absolui: architectum porro spiritualis huius ciuitatis Deum ipsum esse; qui vt sua bonitate immensa, & merito Christi ad hoc inductus est; ita verbo euangelii & sacramentis ad structuram hancce, tum inchoandam, tum conseruandam, & perficiendam vtitur; * idque eum in finem, vt credentium numerus augeatur, quiue iam credunt, in vera fide conseruentur, omnium denique saluti aeternae consulatur. **

* Quemadmodum *ciuitatis* istius, *quae fundamentum habet*, hoc est, ecclesiae triumphantis, τεχνίτης καὶ δημιουργὸς, *architectus & conditor*, Deus ipse est, *Ebr. XI, 10.* ita & ecclesiae militantis architectus & conditor, seu *caussa efficiens*, recte adpellatur. Deus namque est, qui omnes homines ad ecclesiam vocat, qui & illis, qui non repugnant, fidem largitur, qui & credentes in fide conseruat, & contra quosuis hostes ecclesiam suam defendit atque tutatur. Vnde & *ecclesia Dei viuentis*, *domus Dei* dicitur *I. Tim. III, 15.* Hoc vero de omnibus trinitatis personis, adeoque & speciatim de Christo, non tantum qua Deus est, sed & propter vnionem personalem, qua homo est, intelligendum esse, res ipsa docet; cum ista ecclesiae exstructio & conseruatio, ad *opera ad extra*, quae vocantur, referenda sit. Nec obstat, quod Christus etiam

iam sit caput ecclesiae, siquidem diuersa eum ratione spectari posse, constat, & alias obseruatum est. Sola porro benignitate sua immensa & merito Christi, Deum ad hoc inductum, res ipsa quoque, & caussarum salutis ratio nos dubitare non sinit; testaturque hoc, ad meritum Christi quod attinet, Paulus, cum, Christum *proprio sanguine sibi adquisiuisse ecclesiam*, adserit, *actor. XX, 28.* Denique verbo euangelii & sacramentis Deum ad ecclesiam colligendam & conseruandam vti, inde manifestum est, quod haec media ista sint, quibus fides in hominibus excitatur & conseruatur; *Rom. X, 14. 17. Ioan. III, 5. Tit. III, 5.*

** Finis proximus & proprius ecclesiae alias *aedificationis* nomine exprimi solet; quod tum de tota ecclesia, tum de singulis membris accipi potest. De tota ecclesia si intelligatur, aedificatio in eo consistit, quod numerus credentium augeatur, & per functionum ac donorum spiritualium vsum singula membra magis magisque, tum cum capite Christo, tum inter se, vniantur; *act. IX, 31.* Et istud quidem cum ad ipsam ecclesiae exstructionem spectet, adcurate loquendo, finis eius esse nequit. Quare, cum aedificatio finis ecclesiae dicitur, de singulis membris potius hoc est accipiendum, quibus per ecclesiam, prout cum ministerio ecclesiastico consideratur, verbumque adeo diuinum in ea recte docetur, & sacramenta rite administrantur, varia bona spiritualia, ad quorumdam regenerationem, aliorum autem sanctificationem, siue fidei ac vitae spiritualis incrementum, impertiuntur. Hinc vero cum non possit non aeterna tandem illorum, qui in fide ad vitae vsque finem perseuerant, salus consequi, quis vltimus ecclesiae finis sit, euidens est; ad quem tamen & communissimus ille omnium operum diuinorum, gloria Dei, accedit.

§. VIII.

Ex eadem etiam ecclesiae structura perspicere licet, veram istam, *vnam* tantum esse, propter fidei vnitatem, per quam membra cum Christo, ceu capite, vniuntur, quaue simul efficitur, vt non alia, praeter vnicam hancce, ecclesia aut sit, aut esse possit; eam porro esse *sanctam*, cum nemo cum Christo, ceu capite, vnitus esse queat, nisi qui ob meritum Christi peccatorum remissionem consequutus sit, & vitae sanctitati studeat; *catholicam* quoque, quod doctrinam omnibus vere credentibus communem teneat, & nulli loco aut tempori sit adstricta, denique & *apostolicam*, quod doctrinae apostolorum, ceu fundamento dogmatico, sit superstructa; *Eph. II. 20.*

§. IX.

Solet ecclesia diuidi in *vniuersalem*, quae, per orbem vniuersum dispersa, plures coetus particulares complectitur; & *particulares*, quae veluti partes vnius eiusdemque ecclesiae vniuersalis sunt. Hinc &, quod de hac dicitur, eam esse *vnam*, *sanctam*, *catholicam*, & *apostolicam*, non minus & de illarum qualibet suo modo adseri potest. * Promissiones autem diuinae, de perpetua ecclesiae duratione, non de certa quadam particulari, sed de ecclesia, generatim spectata, intelligendae sunt. ** Cumque nonnullae

nullae particularium itidem plures complectantur, in *simplices* iterum atque *compositas* eas dispescere licet. ***

* Nimirum cum ecclesia, vere proprieque sic dicta, quae per orbem vniuersum sparsa est, plures in se complectatur coetus quorumdam hominum, vera fide cum Christo, ceu capite, coniunctorum; distinctio inde ista inter ecclesiam *vniuersalem* & *particulares* oritur. Hinc & ecclesia vniuersalis κατ' ἐξοχὴν *ecclesia*, itemque *ecclesia Dei*, *act. XX, 28. I. Tim. III, 15. ecclesia Christi*, *Matth. XVI, 18.* adpellatur. Cum autem in multitudinis numero ecclesiarum mentio iniicitur; vt *act. XVI, 5.* particulares intelligi, manifestum est; quod & tum obtinet, cum locus simul memoratur, in quo ecclesia quaedam exsistat, vt Hierosolymae, *act. VIII, 1.* Corinthus, *I. Cor. I, 1.* Thessalonica, *I. Thess. I. 1.* Hinc vero sequitur, ecclesias particulares eiusdem naturae & indolis esse cum vniuersali, prout ecclesia est; adeoque, quidquid de hac dicitur, hoc etiam de illis recte adfirmari. De qualibet ergo ecclesia particulari suo modo adseri potest, quod sit *vna, sancta, catholica* & *apostolica.*

** Cuiusmodi est illa promissio, *quod nec portae inferorum contra illam sint praeualiturae*, *Matth. XVI, 18.* Immo huc quaelibet encomia insigniora, quibus ecclesia ornatur, pertinent, e.g. quod sit *domus Dei*, *columna & stabilimentum veritatis, I. Tim. III, 15.* item quod sit *domus spiritualis*, *exstructa ex lapidibus viuis super lapidem angularem Christum*, *I. Petr. II, 5. seq. Ephes. II, 20.* porro cum vocatur *corpus Christi*, *Rom. XII, 4. seq. Ephes. I, 23. IV, 12.*

*** Nimirum quae ex aliis ecclesiis, seu coetibus, vera in Christum fide praeditis, composita non est, *simplex* dicitur; quae autem ex aliis ecclesiis, certo

quodam modo inter se vnitis atque coniunctis, constat, *composita*. Diuersa vero ratione cum ecclesiae simplices, ad vnam compositam constituendam, inter se vniri queant; diuersae quoque ecclesiarum compositarum exsistunt species. Aliae enim per *regimen ecclesiasticum*, cui subiectae sunt, inter se vniuntur, vt vna ecclesia ex omnibus iis, quae vni episcopo aut patriarchae obnoxiae sunt, coalescat: aliae per *regimen ciuile*, vt, quae in vno quodam regno, vel imperio, vel re publica constitutae sunt, vnam hac ratione conficiant; aliae denique ratione *certae doctrinae & confessionis*, qua ab aliis distinguuntur.

§. X.

Cum autem in ecclesiis particularibus numquam non vere credentibus admixti sint impii homines, atque hypocritae, qui se christianos mentiuntur, simulque eamdem cum vere credentibus profitentur doctrinam, nec semper a communione ecclesiastica excludi possint; coetibus quidem eiusmodi nomen *ecclesiae* denegari nequit, etsi tum improprie & συνεκδοχικῶς accipiatur.

§. XI.

Atque eo modo si vox *ecclesiae* capiatur, iterum in *veram* seu puram, & *corruptam*, diuidi potest. Si enim pars melior, tum ratione doctrinae & sacramentorum, tum ratione vitae, etiam potior est, seu dominatur; recte eiusmodi ecclesia *vera*, itemque *pura*, dicitur. Secus autem si res se habeat, *corrupta* merito vocatur, atque *deprauata*.

§. XII.

§. XII.

Vt vero corruptionis, seu deprauationis, diuersi dantur gradus; ita fieri potest, vt in ecclesia quadam, quantumuis corrupta, tantum veritatis ex verbo diuino, & legitimae sacramentorum administrationis remaneat, vt fides in quibusdam hominibus produci, & conseruari queat, qua ad aeternam perducantur salutem.

§. XIII.

Vt ecclesia vera, & pura, a corrupta discerni queat, ad verbi diuini cumprimis praedicationem, & sacramentorum administrationem, est respiciendum. Haec enim, si legitima sit, & illa secundum scripturam sacram recte instituatur; nullum est dubium, quin eiusmodi ecclesia pro vera, & pura, sit habenda; multisque modis illi praeferenda, quae corrupta est, licet vel maxime corruptio eo vsque non processerit, vt non in quibusdam vera fides produci queat.

§. XIV.

Ex dictis etiam patet, quo sensu ecclesia in *visibilem* & *inuisibilem* dispescatur. Si enim ecclesia, proprie sic nominata, intelligatur, prout coetum vere credentium denotat, ea visibilis vocari nequit, eo, quod certo intellectus iudicio, & quidem distincte, quinam illi vere credentes sint? cognoscere nequeamus. Quodsi vero per ecclesiam

ecclesiam generatim congregatio hominum christianorum, in qua verbum diuinum docetur, & sacramenta administrantur; aut speciatim ecclesia pura, in qua verbum diuinum recte praedicatur, & sacramenta secundum institutionem diuinam administrantur, designetur; dubium non est, quin certo intellectus iudicio, cognosci, & ita visibilis adpellari queat. *

* Cum ecclesia, & quidem militans, in *visibilem & inuisibilem* distinguitur, non ita hoc est intelligendum, ac si duae sint ecclesiae militantis species, quarum altera visibilis sit, altera inuisibilis. Vna namque tantum vera est ecclesia, quae diuerso intuitu & visibilis & inuisibilis dici potest. Nimirum si de coetu vere credentium, qui proprie sic dictam ecclesiam constituunt, sermo sit; manifestum est, eam, in se spectatam, inuisibilem esse. Fides enim vera, qua membra istius ecclesiae cum Christo, ceu capite, coniunguntur, cum eiusmodi quid sit, quod in sensus externos non incurrat; nec ex characteribus atque indiciis externis semper ita cognosci queat, vt certo mentis iudicio, quinam in vere credentium numerum referendi sint, determinare queamus; praeterea plurimi credentium hinc inde dispersi sint, & ne qua nomen quidem nobis noti; non potest non iste vere credentium coetus inuisibilis & esse, & vocari, hoc est talis, cuius membra distincte & determinate, certo scilicet mentis iudicio, nobis cognita non sunt. At si ecclesia ratione ministerii ecclesiastici, siue, prout in ea verbum diuinum docetur, & sacramenta administrantur, spectetur, aliter omnino pronuntiandum, siue tum generatim de ecclesia, siue speciatim de ecclesia pura, in qua verbum

verbum diuinum recte docetur, & sacramenta rite, secundum diuinam institutionem, administrantur, sermo sit. Cum enim adnuntiatio verbi diuini, & sacramentorum administratio, actus externi sint; facile etiam eiusmodi coetus, in quo verbum diuinum docetur, & sacramenta administrantur, aut in quo omnino illud recte docetur, haec autem rite administrantur, cognoscitur, & ab aliis quoque discernitur. Atque hoc eiusmodi est, vt, si modo recte intelligatur, nulla indigeat probatione. Ecquis namque neget, fidem esse actum animi internum, eumque adeo soli Deo, quippe qui solus, quae in homine sunt, certo nouit, perspectum? Hoc vero si ita se habet, veram quoque, proprieque sic dictam ecclesiam, inuisibilem esse, necesse est. Sequeretur porro, ecclesiam, tempore Eliae, prorsus periisse, si non alia, quam quae videri potest, vera sit ecclesia; siquidem, se solum superesse, propheta existimauit, qui cultu idololatrico Baalis non esset infectus; *I. Reg. XIX, 14. Rom. XI, 3.* Quod cum absonum sit, euidens est, veram ecclesiam esse posse, etsi nobis, vbi sit, cognitum non sit, seu etsi non sit visibilis. Nec est, quod regeras, cum extra ecclesiam non detur salus, omnibus incumbere, vt ecclesiae membra fiant; hoc autem fieri non posse, si quis ignoret, vbi vera ecclesia, adeoque si sit inuisibilis. Quam primum enim aliquis in Christum reuera credit, membrum fit verae ecclesiae, si vel maxime, quaenam reliqua eiusdem ecclesiae membra sint, aut vbinam exsistant, nesciat. Et ita quidem de vera, proprieque sic dicta ecclesia, recte procedit, quod dicitur, extra ecclesiam non dari salutem. Sed & de ecclesia, ratione ministerii spectata, hoc admittimus, prout in ea verbum diuinum docetur, & sacramenta recte administrantur, quippe quibus mediis fides in nobis excitatur, & conseruatur,

tur, sine qua nemini aditus ad salutem patet. Hoc sensu autem cum, ecclesiam visibilem esse, largiamur, nihil inde, quod nobis obstet, colligi potest.

§. XV.

Non minus vero & illud manifestum est, quod & experientia pariter, ac scriptura, confirmat, corrumpi quandoque, atque deprauari ecclesiam eum in modum posse, vt, vbinam vera seu pura ecclesia sit, demonstrari nequeat, etsi ideo non prorsus deficiat, cum etiam in corrupta, seu deprauata ecclesia, quidam supereſſe queant, qui vera fide cum Christo, ceu capite, sint coniuncti. *

* Non de ecclesia, proprie sic dicta, quam inuisibilem esse, antea docuimus, sed improprie sic adpellata, & intuitu ministerii ecclesiastici considerata, hic loquimur. Atque ea quoque licet prorsus deficere nequeat, ita, vt in toto terrarum orbe nulla sit ecclesia; (hoc enim si esset, verbum etiam diuinum, quod tamen *in aeternum manet, I. Petr. I, 23.* prorsus deficeret) eo vsque nihilo secius corrumpi atque obscurari potest, vt, vbinam verbum illud diuinum recte doceatur, & sacramenta rite, secundum diuinam institutionem, administrentur, ignoremus. Idque inde primum constat, quod, licet ecclesia, in se spectata, aeque ac ipsum verbum diuinum, numquam prorsus deficere queat, *Matth. XVI, 18.* nulla tamen vspiam exstat promissio, quod numquam vera ecclesia corrumpi, aut obscurari, debeat. Qui praua porro, & ad mala quaeuis promissimam, hominum indolem, aliasque causas, considerauerit, facile perspiciet, fieri aliter non posse, quam, vt subinde eiusmodi quid contingat; quod &, cur

velut

velut miraculo quodam impediri debeat, nulla adparet ratio, cum & finis, quem Deus sibi proposuit, obtineri queat, si vtcumque ecclesia conseruetur, & grauissimae etiam, sanctissimaeque caussae ei sint, cur hoc permittat. Accedit experientia, quae hoc quam luculentissime confirmat. Et in veteri quidem testamento ecclesia vera ita obscurata fuit, vt Elias vates existimauerit, se solum superesse, qui idololatriae labe infectus non esset. In nouo, eo tempore, quo antichristi furor omnia sit oppressurus, eumdem rerum statum fore, Paulus apostolus nos condocet, *II. Thess. II, 3. seq.* Idque etiam res ipsa demonstrauit, postquam papales tenebrae fere orbem vniuersum obscurauerant. Quanta tum & doctrinae, & vitae, morumque corruptio ecclesiae incubuerit, nemini, nisi rerum omnium ignaro, ignotum esse potest. Atque ex veritatis testibus simul constat, non prorsus interiisse tum ecclesiam. Immo supererat verbum diuinum, supererant sacramenta; quibus licet labes adspersa esset, non ita tamen omnia corrupta & deprauata erant, vt non in quibusdam fides excitari, & conseruari potuerit.

§. XVI.

Cum itaque ecclesia eum in modum corrupta est, & deprauata, emendatione quadam, seu reformatione indiget, vt pristinae puritati, quantum fieri potest, restituatur; quae, per prouidam Numinis curam, singulari quadam ratione hic sese plerumque exserentem, subinde ei obtigit. Idque quando contingit, non *noua* quaedam ecclesia oritur, sed ecclesiae, iam exsistentis, vitia & naeui corriguntur; vt *renouata* merito

merito dici queat, etsi non omnes eam emendationem admittant.

§. XVII.

Quodsi ecclesia quaedam particularis, in ordine ad rem publicam, spectetur, non aliter, quam instar collegii cuiusdam, seu societatis, a re publica in externis dependentis, sese habet; adeoque & eius directio, qua externa, recte summis imperantibus, quibus subest, tribuitur. * Vnde & eos falli, manifestum est, qui ecclesiam vniuersalem, eam quidem improprie sic dictam, per modum rei publicae, aut status cuiusdam ciuilis concipiunt.

* Ecclesiam namque in politia esse, constat, vulgoque dici solet. Intuitu ergo rei publicae si ecclesia consideretur, non potest aliter se habere, quam societas quaedam particularis, quae *collegii* nomine venit. Vti enim eiusmodi societas, seu collegium, ex hominibus variis, paucis aut pluribus, prout finis eius postulat, vel permittit, ad certum finem inter se vnitis, componitur; ita etiam ecclesia, in certo loco, intuitu rei publicae comparata est. Hinc vero & illud sequitur, vt reliquas societates particulares, ita & ecclesiam, imperio rei publicae esse obnoxiam. Ecclesiam namque eiusmodi statum esse, qui a potestate imperantium sit immunis, adseri nequit. Scriptura certe sacra nullibi hoc testatur, nec finis ecclesiae istud requirit. Possunt vtique certi homines inter se coniungi, vt per legitimam verbi diuini tractationem, & sacramentorum administrationem, salutem suam promoueant, vt tamen in reliquis ab imperio principis, aut rei publicae dependeant. Nec aliter, quam societatem particularem

larem aut collegium, ecclesiam spectare licet, etsi vel maxime omnes ac singulos eius, & ipsos etiam imperantes complectatur. Tum enim iidem homines diuersa ratione considerari possunt; nec insolens esse, vt vnus idemque homo duplicem sustineat personam, exempla quotidiana docent. Vt vero vnicuique societati particulari, seu collegio, ea agere, decernere, constituere, fas est, quae fini eius sunt consentanea, modo tranquillitati publicae non aduersentur; ita de ecclesia quauis particulari idem pronuntiandum. Quod & luculenter illarum ecclesiarum exemplo patet, quae sub ethnicis imperatoribus fuere constitutae. Neue tum imperantes, quantumuis ab ecclesia alieni, eius circulos turbent, ipsa aequitas postulat. Cum vero imperans ipse ecclesiae istius membrum est, non tantum, quae cum imperantibus omnibus, etiam iis, qui christianorum sacris non sunt addicti, illi communia sunt, ei competunt, sed directionem quoque istius societatis, quam ecclesiam vocamus, specialiori ratione merito suscipit. Sine directione enim, qua externa, ecclesia consistere nequit; haec autem cui rectius, quam imperanti summo, tribuatur? cui &, vt imperanti, cura religionis & sacrorum conuenit, ne quid inde detrimenti res publica capiat; vt suo loco in sequentibus copiosius demonstrabimus. Legenda, quae solide pro hac sententia differit SAM. PVFENDORFIVS, *de habitu religionis christianae ad vitam ciuilem* §. *XLI.*

§. XVIII.

Fieri interdum etiam solet, vt certi quidam homines, quibus hoc demandatum, nomine ecclesiae aliquid agant, constituantue, qui ideo *ecclesia repraesentatiua* appellitantur; vti totus contra credentium

coetus *synthetica ecclesia* vocatur. * Atque huc cumprimis *concilia* pertinent, quorum in componendis dissidiis, schismatibus tollendis, & vitiis emendandis corrigendisque, eximius, minimeque contemnendus vsus esse potest, si ita, vt decet, cuncta in iis pertractentur. **

* Nimirum & ministerium ecclesiasticum, & concilia quandoque, *ecclesiae repraesentatiuae* nomine veniunt, quia per ea ecclesia certa quadam ratione repraesentatur. In conciliis namque, vbi plurium ecclesiarum legati adsunt, quilibet ecclesiam illam particularem, a qua missus est, repraesentat; vnde, vbi plures eiusmodi legati praesto sunt, iunctim etiam plures ecclesias referunt. Neque tamen hoc ita capiendum, ac si prorsus & omni modo ecclesiae per istos, qui illarum nomine concilio intersunt, repraesententur, cum interdum fieri queat, vt ecclesiae ipsius alia, interdum & melior, sit sententia, quam eius, qui eam repraesentare dicitur, quemadmodum & subinde in ecclesia aptiores, & ad iudicium de rebus diuinis ferendum magis idonei sunt, quam illi, qui eius nomine concilio intersunt. Ministerium porro ecclesiasticum *ecclesiae repraesentatiuae* nomen sibi vindicat, quia vox & doctrina pastoris, ecclesiae, cui praeest, vox & doctrina esse censetur; vnde, quae secundum receptam suae ecclesiae sententiam docet, eodem loco, ac si tota ecclesia ea dixisset, habentur. Sunt &, qui consistoria *ecclesiae repraesentatiuae* nomine designant; quae tamen, si adcurate rem diiudices, ipsum principem potius, seu summum imperantem, cuius mandato ius circa sacra administrant, quam ecclesiam, repraesentant.

** Per

** Per *concilium*, hominum, qui de rebus, ad religionem christianam spectantibus, iudicium ferre apti sunt, congregationem intelligimus, eum in finem institutam, vt ecclesiae commodis, per controuersiarum exortarum compositionem, vitaeque & morum emendationem, hinc & disciplinae ecclesiasticae conseruationem, aut restaurationem, consulatur. Atque inde, vt, quis finis conciliorum sit, cognoscitur; ita non aliter eum obtinere posse, palam est, quam, si plures eo animo conueniant, vt, ad ductum scripturae sacrae, inquirant, quid de quaestione, super qua controuertitur, statuendum sit, aut quid ceteroquin e re sit ecclesiae. Vnde simul patet, etsi concilia absolute necessaria non sint, insignem tamen illorum, ad lites dirimendas, pacem ecclesiae conseruandam, aut restituendam, aliaque eius commoda promouenda, vtilitatem esse posse, si recte instituantur. Experientia equidem docet, pauca concilia fuisse celebrata, in quibus res ita, vt decebat, gesta sit; subinde etiam per concilia auctas potius lites & controuersias, quam finitas & consopitas; veritatem oppressam potius, & obscuratam, quam vindicatam, & illustratam. Sed quod hominum, institutis saluberrimis turpiter abutentium, vitio contingit, id rebus ipsis minime tribuendum esse, manifestum est. Exemplum vero ipsimet praeiuere apostoli, controuersiam, in ecclesia Antiochena ortam, de obseruantia legis Mosaicae, in concilio Hierosolymitano felici prorsus euentu componentes, *actor. XV, 1. 2. seq.* Hinc & a concilio isto Hierosolymitano originem conciliorum repetere solent.

§. XIX.

Inter ea, quae ecclesiae funesta sunt, magnamque subinde stragem adferunt, praeter

ter doctrinae, morumque corruptionem eminet *schisma*, quippe quo vinculum vnitatis soluitur, dissensionibusque & bellis intestinis, aliisque incommodis grauissimis fenestra aperitur. * Cuius quidem mali is merito censetur auctor, qui schismati occasionem praebuit.

* Non quaelibet dissensio, sed ea, per quam vinculum vnionis ecclesiasticae dissoluitur, si vsitatum loquendi morem spectes, *schismatis* nomine venit. Tum enim ecclesia in partes velut diuiditur, quod voce σχίσματος, ἀπὸ τῦ σχίζειν, *a findendo, diuidendo*, deriuata, recte exprimitur. Cum ergo, qui dissentiunt, eosdem amplius sequi pastores, & iisdem vti sacramentis nolunt, & ita altare contra altare erigunt, tum maxime schisma sese exserit, atque in neruum erumpit. Inter grauissima autem ecclesiae mala, schismata referenda esse, nemo temere dubitabit. Vbi enim semper in contentiones ac dissidia animi exarsere, ibi reliqua fere omnia, quae ad ecclesiae salutem & aedificationem sunt necessaria, postponuntur: prout tempore belli in re publica subinde omnia perturbantur, cum quilibet hoc tantum agendum putat, vt hosti obuiam eat. Porro dissensiones istae & contentiones odium, iram, obtrectationes, & alia peccata grauissima, quae Paulus *Gal. V, 20.* inter opera carnis refert, pariunt. Immo quandoque in violentas vexationes, oppressionesque, & bella atrocissima erumpunt, quae multis mortalium vitae finem adferunt.

§. XX.

Non vna autem ratione fieri potest, vt quis schismati occasionem praebeat, eiusque adeo auctor censeatur; si qui scilicet erro-

errores, fidei fundamentum labefactantes, foueant, & pertinaciter defendant, nec ab iis se dimoueri patiantur; aut vicissim, si pars quaedam ecclesiae alteram, etsi innocentem, erroris arguat, hinc damnet, reiiciat, expellat; porro, si qui dominatum in alios sine iure sibi vindicant, praesertim, si eo vsque progrediantur, vt nullos imperii sui statui velint limites, & conscientiis aliorum vim inferre non dubitent; denique si qui, ritus, etsi in se indifferentes, aliis obtrudendo, libertate, qua nihil praestantius, nihil pulcrius, eos priuare adnitantur.

§. XXI.

Qui autem errores, & vitia ecclesiae corruptae, bona fide detegunt, veritatemque in apricum producunt, ideoque ab aliis errorum receptorum, superstitionisque paternae tenacibus, a communione ecclesiastica reiiciuntur, & expelluntur, vt iure meritoque illos deinceps, qui ita erga eos se gesserunt, fugiunt, ita nulla ratione schismatis cuiusdam argui possunt. Vnde & patet, quam inique Romanenses agant, dum hancce in nos transferre culpam adnituntur.

§. XXII.

Non minus vero & intempestiuum pacis, concordiaeque studium, ecclesiae nocet; quo illi, qui errores, etiam tales, qui

fundamentum fidei euertunt, fouent, in communionem eccleſiaſticam recipiuntur, falſaque eiusmodi dogmata ſaluti neutiquam noxia iudicantur. Cuiusmodi quidem lucis & tenebrarum, veritatis & erroris commixtio, ſiue coniunctio, *ſyncretiſmi* nomine venire ſolet. *

* Pacis concordiaeque ſtudium ſatis laudari nequid; modo doctrinae veritati, puritatique labem non adſpergat, atque hinc maximum eccleſiae adferat incommodum, noceatque plurimum, tantum abeſt, vt proſit. Atque hac ratione, ſi vitium contrahat, a Cretenſium, ſepoſitis tantisper, non autem compoſitis inteſtinis diſſidiis, arma viresque contra hoſtem externum coniungentium, moribus, συγκρητισμὸς vocari ſolet. Vt res ipſa eo rectius intelligatur, eiusmodi diſſidentium ad communionem eccleſiaſticam coniunctio hac voce ſignificatur, qui errores, fundamentum fidei euertentes, fouent. Namque ad illos quod attinet, qui errores non fundamentales tuentur, nihil obſtat, quo minus in vnam fidem, hinc & communionem eccleſiaſticam nobiſcum coaleſcant. Quod multo magis de iis cenſendum, qui ritibus tantum atque caerimoniis differunt; modo innoxii ritus ſint, & nihil idololatrici, aut quod ceteroquin ferri non debet, ſecum vehant. Coniunctionem vero non qualemcumque, ſed eccleſiaſticam intelligimus, cum ſyncretiſmum, qui in vitio ponitur, inde oriri, adſerimus. Quin enim ciuili vnione in vna ciuitate aut re publica inter ſe coniugi queant, qui dogmatibus etiam fundamentalibus a ſe inuicem diſſentiunt, nullum prorſus eſt dubium. Namque, vt hac ratione ſe inuicem tolerent, qui in vna ciuitate ſunt conſtituti, naturalis aequitas poſtulat; eo magis autem ad hoc ſunt obligati,

ligati, cum pacta insuper & conuentiones publicae, quae hoc exigunt, accedunt. Dissentientes vero in dogmatibus fidei licet hac ratione tolerari possint, immo debeant; non tamen de ipsis erroribus perinde est existimandum. Hos enim qui tolerandos putant, eos simul ita comparatos esse, arbitrantur, vt nullum saluti impedimentum adferant, quod salua veritate de dogmatibus fundamentalibus adseri nequit. Est tamen inter ipsos etiam errantes discrimen aliquod obseruandum. Aliter enim de illis, qui ex simplicitate aut imbecillitate quadam errant, aliter de iis, qui rectiora facile cognoscere possent, si vellent, & errori insuper pertinaciam addunt, existimandum, res ipsa docet. Etenim erga illos mansuetudine vtendum, vt in rectam viam reducantur, nec damnationis statim ferendam sententiam, ipsemet apostolus nos condocet; *Rom. XIV, 1. XV, 1. Gal. VI, 1.* Sed haec quidem, vt veritati ipsi doctrinae caelestis nullum damnum adferunt; ita eos, qui intempestiua lenitate erga illos vtuntur, qui reprehendendi potius, & acriter corripiendi erant, aut omnino fratrum loco habent, quos, ceu veritatis hostes, fugere & auersari debeant, hinc & ipsimet, tolerando errores capitales, veritatem produnt, vereque adeo syncretismi rei sunt, grauissimo sese obstringere peccato, manifestum est. Sanctissimus enim vates Esaias, vae illis diserte adnuntiat, qui lucem in tenebras, & tenebras in lucem commutant; *cap. V, 20.* Hoc vero illi faciunt, qui, quae fidem tollunt, talia non esse, nec aeterna homines priuare salute, sibi aliisque persuadere adnituntur. Cumque, vt a pseudo-prophetis, seu falsis doctoribus nobis caueamus, ipse seruator nos admonuerit; *Matth. VII, 15.* detegere potius & refutare, quam emollire & extenuare errores debemus, qui aeternam attrahere possunt perniciem. Neque veritas,

puritasque doctrinae conseruari aliter potest; quam tamen vt illibatam retineat, id vel maxime cordatus ecclesiae doctor datum sibi credit. Semine enim, quod est ipsum verbum Dei, per errores corrupto, quales demum exspectabit fructus? Hoc itaque est, quod toties, tamque diligenter Paulus apostolus inculcat, vt doctrinae, quae in ecclesia proponitur, rationem habeamus, eiusque custodiamus puritatem; *I. Tim. IV, 16. VI. 3. II. Tim. I, 13. III, 14. seq.* Quamobrem & eos, qui errores disseminant atque tuentur, arguere & increpare nos idem gentium doctor iubet, *Tit. I, 9. seq.* immo vt eorum euitemus consortium, & re ipsa adeo testemur, nobis nihil cum iis commune esse, nos adhortatur; *Rom. XVI, 17.*

§. XXIII.

Cumprimis vero maxima, grauissimaque mala christianae ecclesiae attulit, & adhuc adfert, *anti-christus*, eminentissima quadam ratione ita dictus. Etsi enim omnes illi, qui talia docent, aut agunt, quae doctrinae verae Christi & apostolorum repugnant, hocce nomine designari queant, & aliquando designentur;* diserte tamen scriptura sacra certum aliquod hominum genus indicat, & per characteres describit, cui praecipua quadam ratione hocce nomen sit tribuendum; ** *II. Thess. II, 3. 4.*

* Sic Ioannes eum, qui negat, *Iesum esse Christum*, ἀντίχριστον vocat, *I. ep. II, 22.* Et iterum: *omnem spiritum, qui non confitetur, Iesum Christum in carne venisse, minime ex Deo esse, sed hunc esse spiritum anti-christi*, pronuntiat, *cap. IV, 3.* Immo addit, eiusmodi anti-christum & venturum, & iam adesse; ὃ ἀκηκόατε ὅτι ἔρχεται, καὶ νῦν ἐν τῷ κόσμῳ ἐστὶν ἤδη. Fuerunt

runt enim iam tum, qui de Christo, eiusque tum diuina, tum humana natura non recte sentirent, qui adeo, vt omnes, qui verae de Christo doctrinae repugnant, *anti-christi* nomine in generali significatione designari possunt. Cumque numquam non eiusmodi homines in ecclesia exstiterint, dicere omnino Ioannes potuit, eos & tum iam fuisse, & porro venturos; quamquam simul, dum de venturo anti-christo loquitur, ad eum, qui κατ' ἐξοχὴν talis est, respicere potuit, in cuius quippe doctrina complexus quidam variarum haeresium conspicitur. Quem in modum &, quae idem apostolus, *I. ep. II, 18.* effatur, capi possunt: *filioli, vltima hora est, & quemadmodum audiuistis, quod* ὁ ἀντιχριστος (anti-christus κατ' ἐξοχὴν sic dictus) *venturus sit, & nunc iam* ἀντιχρίστοι πολλοὶ, *anti-christi multi* (haeretici, praecursores anti-christi) *sunt.*

* Praesertim si & conferantur loca *Dan. XI, 36. seq. I. Tim. IV, 1. 2. 3. apocal. XIII, 11. seq. XVII, 1. seq.* Nec temere est, qui hac de re dubitet, etsi magnopere, quisnam ille anti-christus sit, qui rerum diuinarum periti esse volunt, inter se dissentiant.

§. XXIV.

Enimuero non de vno tantum homine, sed de pluribus, sibi inuicem succedentibus, qui tamen, quod eiusdem plane sint indolis, velut vnus homo videri queant, quae de anti-christo scriptura tradit, intelligenda esse, vel ex regni eius, quod erecturus erat, duratione intelligitur. * Characteres vero eius sunt, quod dominatum plane tyrannicum in ecclesiam vniuersam sibi vindicaturus; ** immo &, quod ea sibi sit adserturus, quae soli Deo sunt propria; ***

quod grauissimam doctrinae sacrae cultusque diuini corruptelam sit inuecturus, & propugnaturus acriter; * quod omnes eos, qui ausibus eius se opponunt, summa crudelitate sit oppressurus; ** omne denique nequitiae & fraudum genus, vt imperium suum augeat, perpetuumque reddat, adhibiturus. ***

* Subinde equidem scriptura sacra de anti-christo, tamquam de vno homine loquitur, vt cum *II. Thess. II, 3. 4.* ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, item, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, rursus: ὁ ἀντικείμενος, dicitur, & *I. Ioan. II. 18.* per eminentiam ὁ ἀντίχριστος. Quod auide Romanenses arripiunt, vt inde euincant, Romanum pontificem a nobis perperam pro anti-christo haberi; cum non vnus, sed multi sint, qui Romanae ecclesiae, ab eo etiam tempore, ad quod anti-christi originem referimus, praefuerint. Quemadmodum autem infrequens non est, vt integer aliquis populus vt homo, seu persona quaedam moralis repraesentetur, quod vel ex *Es. I, 5. 6.* liquet; ita nihil obstat, quo minus integra ista Romanorum pontificum, sibi inuicem succedentium, series, cum illorum adsecliis ac satellitibus, vt vna quaedam persona moralis exhibeatur. Qua de re & eo minus dubitandum, quia, quae de ante-christo *II. Thess. II, 3. 4. seq.* alibique referuntur, ita comparata sunt, vt nec ab vno homine, nec eo temporis spatio, quod vnius hominis aetati respondet, peragi queant. Accedit, quod Paulus ipse *I. Tim. IV, 1.* de anti-christo illo magno, & κατ' ἐξοχὴν sic dicto, vt de pluribus hominibus, loquatur. Quae loca non aliter inter se conciliari possunt, quam, vt persona quaedam moralis, seu multorum hominum complexus intelligatur, vbi anti-christus vt vnus homo describitur.

** Hoc

** Hoc ipsa vox ἀντίχρισος indicat, quippe qua in eminentiori significatione is designatur, qui Christo se opponit, ita vt ipse in ecclesia esse velit, quod Christus in ea est. Iam vero, vti Christus est caput & rex ecclesiae; ita idem videri vult antichristus, adeoque dominatum in ecclesiam sibi vindicat, eumque tyrannico plane modo exercet. Idemque vox ἀντικείμενος, qua Paulus *II.* Thess. II, 4. vtitur, denotat, quippe qua is innuitur, qui se Christo, ceu vero ecclesiae domino, opponit. Rem ipsam exprimit apostolus, quando dicit, quod *in templo Dei vt Deus sedeat.* Vt enim *sedere* imperii & dominationis signum est, *psalm. CX, 1.* ita templum ecclesiae symbolum esse, constat. Non ergo aut inter Iudaeos, aut inter ethnicos, sed in media ecclesia christiana quaerendus est anti-christus; cum *in templo Dei sedeat.*

*** In *templo* namque Dei, vt Paulus *II. Thess. II. 4.* ait, *sedebit*, ὡς θεὸς *vt Deus*, hoc est, ea sibi vindicans, quae soli Deo sunt propria, adeoque se pro Deo quodam venditans. Eodem pertinet, quod ibidem dicit, fore, vt se efferat, ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν ἢ σέβασμα, *super omne id, quod dicitur aut colitur vt Deus*; super omnes magistratus, reges, principesque. Quo ipso potestatem vere diuinam sibi tribuit, cum soli Deo proprium sit, quod sit rex regum, & dominus dominantium.

* Hancce doctrinae corruptionem Paulus vocat ἀπάτην τῆς ἀδικίας, *decceptionem iniustitiae, in iis, qui pereunt, II. Thess. II, 10.* Quae quidem corruptio doctrinae, vt ἀποστασίαν a fide in ipso anti-christo arguit, ita cum plurimorum hominum seductione est coniuncta. Et ἀποστασίαν, siue *defectionem a fide*, Paulus diserte designat, *II. Thess. II, 3.* qui & *I. Tim. IV, 1.* scribit: *spiritus autem diserte dicit, fore, vt posterioribus temporibus desciscant quidam a fide &c.*

Pluri-

Plurimos autem mortalium, immo integras gentes, populosue hac ratione seductum iri, Ioannes eleganter docet, quando *apocal. XVII, 1.* anti-christum sub emblemate *magnae meretricis* exhibet, *quae sedet apud aquas multas.* Nimirum per aquas gentes, populique designantur; hinc statim addit: *cum qua scortati sunt reges terrae, & cuius scortationis vino inebrietati sunt incolae terrae; v. 2.* Medium vero indicaturus, quo mulier ista meretrix, seu anti-christus, tot Gentes populosque, tot reges ac principes, seducturus sit, ita loquitur: *Et mulier illa amicta erat purpura & cocco, & inaurata auro, & lapidibus pretiosis & margaritis, habens aureum in manu sua poculum, plenum abominationibus & immunditie scortationis suae; v. 4.* Pretiosus ille mulieris ornatus, pompam ingentem, externumque splendorem, quo animos mortalium fascinaturus sit anti-christus, significat; quemadmodum potus, quem hominibus propinat, siue philtrum, quo omnium animos sibi sit conciliaturus, ipsam doctrinam falsam, ad incautos egregie decipiendos comparatam, denotat. Dumque nihil omnino intermissurus est anti-christus, vt potionem suam amatoriam omnibus suauem & gratam reddat, sub magna orthodoxiae specie doctrinam suam proponit, certissimam salutis spem omnibus promittens, qui ei fidem sint adhibituri; idque per *poculum* illud *deauratum*, sed *plenum abominationibus & immunditie scortationis* eius, nobis ob oculos ponitur. Referre huc licet singularis sanctitatis adfectationem, itemque miraculorum iactationem, cum & hac ratione eo plures decipi queant, erroresque facilius & latius propagentur. Quod adeo & Paulus innuit, quando, aduentum anti-christi fore, adserit, κατ' ἐνέργειαν τοῦ Σατανᾶ ἐν πάσῃ δυνάμει, καὶ σημείοις, καὶ τέρασι ψεύδους; *II. Thess. II, 9.*

** Dum

** Dum enim anti-christus se *super omnia effert* (ὑπεραιρόμενος ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν ἢ σέβασμα) *II. Thess. II, 4.* non potest non opprimere & conculcare omnes, qui quacumque ratione, cumprimis testimonio veritatis, impiis eius ausibus obuiam eunt. Hinc & magna illa meretrix, quae imaginem anti-christi exhibet, *ebria* dicitur *sanguine sanctorum, & sanguine martyrum Iesu*, ob multitudinem illorum, qui ob testimonium veritatis, & quia tyrannico anti-christi imperio sese opposuerunt, occisi sunt; *apocal. XVII, 6.* Dumque capiti sequenti *XVIII.* Ioannes poenam istius meretricis describit, *v. 24.* dicit: *Et in ea inuentus est sanguis prophetarum & sanctorum, & omnium, qui mactati sunt in terra.* Omnium nimirum, qui (ob testimonium veritatis, seu religionis caussa) mactati sunt, caedes, anti-christo, seu meretrici illi magnae imputari, adfirmatur, quia omnia exempla persequutionum & adflictionum, ecclesiae quocumque tempore illatarum, non tantum imitatura, sed & superatura esset, hinc & summam velut, ac complementum, omnis sanguinis innocentium hominum effusi, exhibitura.

*** Hoc itidem per emblema illud *mulieris meretricis* Ioannes nos condocet, *apocal. XVII, 1. seq.* Quae enim corpore quaestum faciunt mulieres, omne fraudum ac fallaciarum genus adhibent, vt incautos irretiant, & irretitos firmiter teneant, ne lucro inde excidant sperato. Huc & ornatus ille splendidissimus, antea commemoratus, pertinet, eo quippe vnice comparatus, vt decipiantur, qui sibi non cauent. Innumera autem sunt fraudum atque fallaciarum genera, quibus aliis obfundere caliginem, suaeque & auctoritati & potentiae consulere potest ὁ ἀντικείμενος; quorum pleraque antea iam attigimus; vt orthodoxiae, qua doctrinam; sanctitatis, qua vitam moresque, species; rituum & caerimoniarum pompa; miraculorum iactatio, simulatio

tio & hypocrisis & quae alia sunt eiusdem generis, quorum quotidie equidem vbique, non tamen illustriora aut eminentiora alibi, quam in anti-christo, occurrunt exempla.

§. XXV.

Hisce characteribus si addamus locum, seu praecipuam imperii eius sedem, tempus, amplitudinem imperii, opes, potentiam, iniquitatis eius manifestationem, imperiique imminutionem, sequuturamque hinc tandem destructionem; * non errabimus, si Romanos pontifices pro anti-christo isto habeamus, nec committemus ideo quidquam, quod iure reprehendi queat.

* Ad locum, seu praecipuam imperii, quod ὁ ἀντικείμενος in orbem christianum sibi vindicauit, sedem quod attinet, ea vel maxime hic in censum venit, cum characterem longe luculentissimum, ex quo dignosci possit, exhibeat. Eam vero primum paullo obscurius designat Ioannes, quando, in fronte magnae meretricis nomen eius scriptum fuisse, docet: *mysterium: Babylon illa magna, mater fornicationum & abominationum terrae; apocal. XVII, 5.* Id vero, cum de Babylone illa, quae olim fuit, & quae iam pridem regum, rerum potientium, sedes esse desierat, intelligi nequeat; clarius deinde mysterium hocce reuelat, quando *v. 9.* angelus septem capita bestiae, cui mulier illa meretrix insidebat, de septem montibus interpretatur. Septem namque montibus, seu collibus, qui sunt, Auentinus, Capitolinus, Caelius, Esquilinus, Palatinus, Quirinalis, Viminalis, Romam constitisse, notum est; vnde & vulgo *septi-collis* dicta. Vt vero omne dubium eximat, & locum illum, velut exserto digito

gito, demonstret, idem angelus v. *18.* pergit: *& mulier, quam vidisti, est vrbs illa magna, quae regnum habet super reges terrae.* Num, quaeso, de alia vrbe, eo tempore, & ad nostram vsque aetatem, dici potuit, *quod regnum habeat* (aut habuerit) super reges terrae, quam de Roma? Et ita quidem, cum de loco, siue sede anti-christi, constet, ad tempus quod attinet, haud obscure id Paulus indicat, *II. Thess. II, 6.* Docuerat nimirum Thessalonicenses, non aduenturum prius Christum ad iudicium, quam venisset defectio, & patefactus esset ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας. Hunc vero cum latius descripsisset, & suis designasset characteribus; caussam Thessalonicensibus non ignotam esse, dicit, cur non tam cito, sed sequenti demum aetate hoc sceleris mysterium, cuius iam tum semina quaedam in multorum cordibus se ostendebant, palam se proditurum sit. *Et nunc*, inquit, *scitis* τὸ κατέχον, *quid obstet*, (ne videlicet iam tum conspiciatur) *vt reueletur suo tempore.* Sunt equidem variae eruditorum virorum sententiae, quid hic per τὸ κατέχον intelligatur. Sed cum antea anti-christum descripsisset, nihil aliud significare potuit, quam caussas, quae impediant, quo minus mysterium illud iniquitatis, quod iam tum in nonnullorum se insinuabat animos, erumpere queat. Cuiusmodi quidem caussae cum variae sint, praecipuum tamen inter eas locum haud dubie tenuit auctoritas imperatorum Romanorum, praesertim ethnicorum, quippe quae obstabat, quo minus episcopi, speciatim Romani, ambitioni suae frena laxare possent. Cum vero primum Romani imperatores christiani fierent, & tandem Romanum imperium in occidente prorsus destrueretur, & hinc Romanis episcopis omnino occasio, Romae vrbis imperium ad se rapiendi, suppeditaretur; tum demum

mum in neruum erupit omne nefas, & ἄνθρωπος ille τῆς ἁμαρτίας prodire in lucem coepit, vt agnosci ab omnibus posset. Et ita tempus enati anti-christi, a Paulo designatum, cognoscere licet. Denique, quae de imperii, seu monarchiae ecclesiasticae, quam anti-christus conditurus erat, amplitudine, de eiusdem opibus, potentia, iniquitatis reuelatione, tandemque & destructione dixi, ex *apocal. cap. XVII, & XVIII.* abunde constant, vt aliquid de hisce addere, necesse non sit.

§. XXVI.

Qui in hacce, de ecclesia, doctrina occurrunt errores praecipui, ad duo capita reuocari commode possunt, cum & hic duo se nobis offerant extrema, ad quorum alterutrum facile homines prolabuntur, veritatisque naufragium faciunt. Alterum illorum est, qui ecclesiae externae, quae improprie ita dicitur, plus, quam decet, vindicantes, eius quemdam dominatum, atque imperium stabiliunt, vnde tandem ad ea, quae anti-christo propria sunt, progressus fieri potest. Alterum vero illorum est, qui minus, quam decet, ecclesiae externae tribuentes, semper, quod in ea carpant, sibi inuenire videntur, cum ministerio ecclesiastico omnem disciplinam respuunt, hinc ad dissensiones, & schismata, separationesque, finem non habituras, proni sunt.

§. XXVII.

Fuerunt tamen semper, per Numinis gratiam

gratiam, propitiumque fauorem, qui & hic mediam viam ingrederentur, omnemque dominatum & tyrannidem in ecclesia ita improbarent, vt simul illis, qui, sublata aut euersa ecclesia externa, rerum omnium introducere confusionem, & ita ecclesiam quamdam pro lubitu, genio suo ac indoli adcommodatam, fingere sibi atque formare non dubitant, se opponerent.

§. XXVIII.

Nostri denique officii est, ingens hocce Dei beneficium, quod ecclesiam, in qua media salutis omnibus offeruntur, sibi congregat, atque conseruat, grato agnoscere animo; nec tamen id sufficere putemus, si ecclesiae verae, improprie sic dictae, membra simus; quippe quod parum nobis prodest, nisi inter eos etiam locum obtineamus, qui vera fide cum Christo, ceu capite ecclesiae, sunt coniuncti. Praeterea ita, vt vera corporis Christi membra decet, nos geramus, fidemque nostram, quae per amorem efficax est, demonstremus, *Gal. V, 6.* Cumprimis omnem nauemus operam, vt vinculum pacis sancte seruemus, *Ephes. IV, 3.* quod fieri potest, si humilitatem & mansuetudinem sectemur, *ib. v. 2.* adeoque omnes vnum idemque sentiamus, *Philipp. II, 2.* idque ad exemplum primitiuae ecclesiae apostolicae, *actor. IV, 32.* conf. & *Rom. XII, 4. 5. 6. I. Cor. XII, 13. seq.*

LIBRI QVINTI

CAPVT QVARTVM

DE

MINISTERIO ECCLESIASTICO, MAGISTRATV CIVILI, ET STATV CONIVGALI.

Σύνοψις.

CVr de statibus, in quibus constituti sunt, qui ecclesiam componunt, officiisque hinc fluentibus, agendum sit? §. I.

Origo ministerii ecclesiastici e diuina institutione repetenda, §. II.

Necessitas eius demonstratur, §. III.

Ministros ecclesiae Deus ipse vocat; quod olim quandoque immediate fecit, hodie autem mediate facit per ecclesiam; id quod de quauis ecclesia particulari intelligendum, §. IV.

Requisita illorum, qui ad munus sacrum sunt vocandi, §. V.

Constituit ecclesia verbi diuini ministros per electionem; in qua ius maioris partis valet; quinam ad suffragia ferenda admittendi? num sortibus locus concedendus? §. VI.

Vocatio generatim sic dicta pluribus constat actibus; qui recensentur, §. VII.

Diuersa ratione membra, itemque ministri ecclesiae & magistratus ad vocationem concurrunt, §. VIII.

De iure patronatus quid censendum? §. IX.

Ordinatio merito retinetur; quinam sint effectus eius? §. X.

A quibus ordinatio rite peragatur? §. XI.

Finis ministerii ecclesiastici, §. XII.

Colligitur inde, quaenam ministrorum ecclesiae sit potestas? §. XIII.

Scilicet potestas publice docendi, §. XIV.

& administrandi sacramenta, §. XV.

itemque remittendi peccata, §. XVI.

Iure

Iure diuino omnes ecclesiae ministri, intuitu dignitatis, sunt aequales; iure autem humano inaequalitas quaedam introduci potest, §. XVII.

Officia ministrorum ecclesiae, siue docentium, §. XVIII.

auditorum, §. XIX.

Cur & eorum, qui magistratus munere funguntur, hic habenda ratio? quinam hoc nomine veniant? §. XX.

Auctor summi imperii Deus est, §. XXI.

Ad quem & recte collatio eius refertur; quae aliquando immediate facta, hodie autem ab eo fit mediate §. XXII.

Nimirum hodie aut per successionem, aut per electionem; praeter ordinem autem iure belli summum imperium adquiritur, §. XXIII.

Christiani autem, vereque credentes magistratus munere recte funguntur, §. XXIV.

Potestati summorum imperantium omnia, quae sunt in re publica, sunt subiecta; hinc pro obiectorum varietate, iura maiestatica, quorum praecipua indicantur, §. XXV.

Ius circa sacra in quo consistat? §. XXVI.

Partes eius praecipuae, §. XXVII.

Officia summorum imperantium, §. XXVIII.

itemque ciuium, §. XXIX.

Status quoque domestici hic est habenda ratio, adeoque & speciatim coniugii, cuius origo a diuina institutione deriuanda, §. XXX.

Prima ista institutio, etiam post lapsum, recte pro norma legitimi matrimonii habetur, §. XXXI.

Quo pacto matrimonium, secundum hanc institutionem, debeat esse comparatum, §. XXXII.

Qui matrimonium inire cupiunt, ad finem eius obtinendum debent esse idonei; nec sine caussa grauiori a matrimonio abstinendum, §. XXXIII.

Consensus vtriusque partis, certo modo etiam parentum, ad matrimonium est necessarius, §. XXXIV.

Ex consensu isto oriuntur sponsalia, quae cum aliis pactis in quibusdam conueniunt, in quibusdam ab iis differunt, §. XXXV.

Per humanas leges certa requisita matrimonio, vt validum sit, addi possunt; quorsum & benedictio sacerdotalis pertinet, §. XXXVI.

Clandestina matrimonia reiiciuntur, sed, quae ad morganaticam dicuntur, vt licita adprobantur, §. XXXVII.

Marito imperium in vxorem competit, cuius limites ex fine matrimonii aestimandi, §. XXXVIII.

Officia coniugum, §. XXXIX.

Ex statu matrimoniali oritur paternus, a Deo ipso itidem adprobatus, §. XL.

Vt parentes imperio gaudent, ita a liberis obsequium requiritur; imperii paterni limites & duratio; quinam parentum nomine veniant, §. XLI.

Officia parentum & liberorum, §. XLII.

Status herilis, eiusque fundamentum; eum a Deo adprobatum, & ratio, & scriptura docet, §. XLIII.

Imperii herilis limites, §. XLIV.

Officia dominorum pariter ac seruorum, §. XLV.

Summa errorum in doctrina de statibus hisce occurrentium, §. XLVI.

Veritatis conseruatio & propagatio, §. XLVII.

Vsus doctrinae huius in praxi vitae christianae, §. XLVIII.

§. I.

QUi ecclesiam constituunt, vel vt docentes & auditores, vel vt imperantes & subiecti, vel denique vt coniuges, itemque parentes & liberi, domini & serui, considerari possunt. Ex hacce autem statuum diuersitate cum diuersa officia fluant, quae vt rite praestentur, ecclesiae etiam interest;

est; res ipsa & instituti ratio, vt de hisce omnibus quaedam adducamus, postulat.

§. II.

Ministerium ecclesiasticum, quo nomine ordo illorum, qui docentium munere funguntur, venit, a diuina institutione, & ipsius quidem seruatoris, originem ducere, constat ex *Ioan. XX, 21. Matth. XXVIII, 19. Marc. XVI, 15.* Neque tantum Christus illud instituit, sed formam etiam doctrinae praescripsit, *Gal. I, 8. 9. 12.* rationem administrandi sacramenta monstrauit, *I. Cor. XI, 23.* & facultatem remittendi & retinendi peccata, iis, qui rite vocati & constituti essent, concessit, *Ioan. XX, 23.*

§. III.

Qui hominum, secundum naturae corruptae indolem spectatorum, caecitatem, ignorantiam, & ad errores pronitatem; rursus vero etiam institutionis, vt ad fidem, hinc & ad salutem aeternam perduci queant, necessitatem considerauerit; non quoque dubitabit, ministerium ecclesiasticum prorsus esse necessarium, simulque bonitatis & misericordiae diuinae argumentum singulare inde, quod Deus illud instituerit, capi posse.

§. IV.

Vt autem Deus ipse ministerium hocce instituit; ita etiam illud certis hominibus confert, seu eos vocat, quod olim quidem

aliquando immediate fecit, hodie mediate facit, per ecclesiam, cui hancce facultatem concessit. * Quod & de quauis ecclesia particulari, quantumuis per iniustam excommunicationem ab aliarum ecclesiarum consortio separata, est intelligendum. **

* Immediate olim plurimi prophetae in veteri testamento, & apostoli in nouo, vocati sunt. At hodie mediate Deus vocat, per ecclesiam, quae ab eo hancce potestatem accepit. Est enim sponsa Christi, cui *claues regni caelorum* commisit; *Matth. XVI, 19. XVIII, 17.* Idque exemplum primitiuae ecclesiae ostendit, in qua tum diaconos, tum presbyteros, ab ipsa ecclesia electos & constitutos fuisse, ex *actor. VI, 5.* itemque *XIV, 23.* constat. Huc & pertinet, quod apostoli docuerint, quinam vocandi essent, seu quibusnam virtutibus debuerint esse instructi, qui episcoporum, seu presbyterorum, in ecclesia fungi possent munere, *II. Tim. II, 22. Tit. I, 5.* Quae cum ita sint, maximopere eos falli, manifestum est, qui, hodie adhuc ecclesiae doctores immediate a Deo vocandos, censent.

** Ecclesiis particularibus eo minus hocce ius, verbi diuini ministros constituendi, adimi potest, quia omnes societates & collegia, facultate, eos eligendi, gaudent, qui rebus suis praesint, easque dirigant. Nec sane, cur ecclesia quaedam deterioris hac in re conditionis esse debeat, ratio vlla reddi potest. Quaelibet autem ecclesia particularis iure hocce, vocandi verbi diuini ministros, ita gaudet, vt omnia quoque, atque singula eius membra, ad vocationem concurrant. Licet enim quidam vocationis, generatim acceptae, actus quibusdam speciatim tribui queant; singulis tamen competit facultas cognoscendi & iudicandi de doctrina, itemque de vita

vita & moribus vocandi, hinc & ius suffragii, idque tum *adprobationis*, si eum ad munus istud idoneum iudicauerint; tum *reprobationis*, si quid habeant, quod in vita & doctrina desiderent. Omnium namque & singulorum est, vt *sibi caueant a pseudoprophetis*, *Matth. VII, 15.* vtque explorent spiritus, num a Deo sint? *I. Ioan. IV, 1.*

§. V.

Qui ad eiusmodi officium, seu munus docendi, rite vocandi sunt; de illorum non tantum eruditione, aliisque donis ministrantibus, & quod verae sanaeque doctrinae serio & ex toto pectore addicti sint, constare debet; sed de vitae etiam, morumque integritate, vt non minus exemplo, quam doctrina, auditoribus suis viam salutis monstrare queant, *I. Cor. IV, 16. XI, 1.*

§. VI.

Cum ecclesia ex plurimis membris componatur, res ipsa postulat, vt constitutio verbi diuini ministrorum per electionem, ad quam omnia membra concurrant, fiat; idque ad primitiuae ecclesiae exemplum; *actor. I, 23. VI, 5.* Vbi quidem, vt ius maioris partis obtineat, nec tamen alii, quam qui eiusdem ecclesiae membra sunt, ad suffragia ferenda admittantur, ipsa negotii istius indoles postulat. Sortibus autem rem istam committere non licet; multo minus, quod & hodie id facere debeamus, ex *actor. I, 26.* probari potest.

§. VII.

Vt cuncta eo rectius fierent, vsu receptum & introductum, vt primum, qui ad officium idonei sint, *nominentur*, seu designentur; tum facta *electione*, munus ipsum electo demandetur, quod *vocationem*, voce specialius accepta, adpellitant; vtue de profectibus eius, cui sacrum munus conferendum, eo certius constaret, aliis ecclesiae doctoribus, seu sacri ordinis viris, ad examen sistatur, quod *praesentationem* vocant: quibus rite peractis, *ordinatio* sequitur, atque *inuestitura*.

§. VIII.

Nec tamen vna eademque ratione diuersi isti, ex quibus ecclesiam componi diximus, status, ad hosce actus concurrunt. Ipsa sane electio toti ecclesiae, adeoque omnibus ac singulis eius membris, prout membra ecclesiae sunt, iure diuino vindicanda est. Doctoribus autem ecclesiae, seu sacri ordinis viris, ea, quae ad profectuum ac donorum explorationem adcuratiorem pertinent, recte praecipua quadam ratione tribuuntur. At quae ad externam directionem, vt incommoda varia euitari queant, spectant, iure meritoque magistratus ciuilis sibi vindicat, idque non tam vi iuris episcopalis, quam potius vi summi imperii.

§. IX.

§. IX.

Nihil quoque impedit, quo minus *patronis ecclesiae*, hoc est, illis, qui ecclesias fundarunt, aut dotarunt, aut in eorum locum successerunt, praecipuum quid circa ministrorum verbi diuini constitutionem concedatur, modo hoc ita fiat, ne ecclesiae ipsi, quod iure quodam illi competit, & sine quo, nisi ecclesiae relinquatur, electio atque vocatio sibi non constat, eripiatur.

§. X.

Iam ad *ordinationem* quod attinet, eam, vt ritum antiquissimum, & in ecclesia apostolica iam receptum, nihil quoque, quod reprehendi queat, secum vehentem, merito in ecclesiis nostris retinemus. * Qui autem, per eam nescio quem characterem indelebilem imprimi, aut physicam quamdam qualitatem, vel simile quid, produci, credunt, eos maximopere falli, arbitramur. Potestatem etiam, ea agendi, quae minister ecclesiae agere potest, non ab ordinatione, sed a vocatione prouenire, certum est; hinc &, cessante vocatione, cessat illa potestas, etiamsi quis vel maxime ordinatus sit. **

* Antiquissimis iam temporibus in gente ebraea vsitatum fuisse, vt in muneris cuiusdam collatione manus alicui imponerentur, ex *Num. XXVII, 18. 23. & Deut. XXXIV, 9.* patet. Immo ex *Gen. XLVIII, 13.*

14. constat , manuum impositionem adhibitam, cum fausta quaeuis & prospera aliis adprecari volebant. Mirum itaque non est , apostolos, veteresque christianos , eumdem retinuisse morem, cum sacrum aliquod officium alicui demandandum esset ; quod & ex *act. VI, 6. XIII , 3. I. Tim. V, 22.* notum est. Distinguenda tamen ab ista manuum impositione , qua munus aliquod suscepturis alii fausta quaeuis adprecabantur, illa, qua apostoli, per miraculum , ex facultate, a seruatore sibi concessa, aegrotos sanabant, aut extraordinaria spiritus sancti dona conferebant ; *Marc. XVI , 18. act. VIII, 17. 20. IX, 17. seq. XIX, 6. XXVIII, 8.* Non enim hancce, sed illam in exemplum , quod imitemur , nobis propositam , res ipsa docet. Hinc & veteres , qui apostolis successerunt, eumdem retinuerunt ritum, quem adeo & nostrae merito retinent ecclesiae, cum & innocentissimus sit, & nulla, cur abrogari debuerit, adpareat ratio. Pietati vtique prorsus consentaneum , vt non tantum , qui muneri sacro praeficiendi sunt , sui in eo administrando admoneantur officii, vtque, sociatis precibus, dona ad istud necessaria a Deo impetremus; vtque symbolum illud , a tot retro saeculis receptum, seu impositio manuum, adhibeatur.

** Ordinatio enim secundum sententiam moresque ecclesiae nostrae , iam vocationem supponit. Ergo , per ordinationem , potestatem verbi diuini minister, aliquid agendi, minime accipit ; sed id tantum agitur, vt per preces sociatas, diuini Numinis gratia, ad rectam demandati muneris administrationem, illi impetretur. Hinc de effectu ordinationis ex conditione tum ipsarum precum , tum eius, qui in ordinem sacrum recipitur, iudicandum. Est tamen simul cum ritu hocce velut declaratio quaedam coniuncta, eum, qui vocatus est, in ordinem

nem sacrum, seu numerum eorum, qui ecclesiasticis muneribus funguntur, receptum esse. Ipsa receptio, si adcurate loqui velimus, per vocationem potius fit, quam per ordinationem. Habet ista obseruatio, quod potestas, ea agendi, quae minister ecclesiae agere potest, non ex ordinatione, sed ex vocatione fluat, vsum amplissimum. Inde namque inter alia intelligitur, pastorem ab officio remotum, quantumuis adhuc ordinatus sit, non gaudere potestate, administrandi sacramenta, aut remittendi ac retinendi peccata, vel audiendi aliorum confessiones, nec benedictione sacerdotali iungendi, qui matrimonium inire volunt, & quae reliqua sunt eiusdem generis.

§. XI.

Quemadmodum autem quaelibet ecclesia ius & facultatem habet, hoc modo, qui munere docendi functuri sint, in ordinem sacrum recipiendi; ita perperam, & sine omni scripturae fundamento, adseritur, ordinationem, quae valida sit, non nisi ab episcopo, qui presbyteris sit superior, & tali quidem, qui iusta successione hanc potestatem ab apostolis acceperit, fieri posse. Discrimen eiusmodi, quale isti inter episcopos & presbyteros statuunt, non minus quam perpetua ista episcoporum successio, inter inania illorum referenda sunt commenta. *

* Romanae ecclesiae hanc esse sententiam, ordinationem non nisi ab episcopis, qui iure diuino presbyteris sint superiores, & potestatem hanc per quamdam successionem ab apostolis acceperint, rite fieri,

fieri, notum est. Atque inde porro inferunt, ecclesiam nostram legitimis pastoribus destitui, quippe qui nec vocati rite sint, nec ordinati. Verum, quod in hacce sententia fundamenti loco ponitur, episcopos iure diuino presbyteris esse superiores, lubricum plane est, atque infirmum. Tempore enim apostolorum nullum inter episcopos & presbyteros fuit discrimen. Porro, eodem apostolorum tempore ordinationem a presbyteris, aut illis, qui in ecclesia doctorum munere fungebantur, peractam, ex *actor. XIII, 3.* recte colligitur. Non de vno namque quodam, sed de pluribus dicitur, quod Paulo atque Barnabae, euangelii doctrinam inter gentes propagaturis, manus imposuerint. Immo ipsum Timotheum, per manuum impositionem, a presbyteris factam, (μετὰ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τὸ πρεσβυτερίε) ordinatum diserte Paulus testatur; *I. Tim. IV. 14.* Qua quidem ratione licet vel maximae χάρισμα aliquod extraordinarium, pro conditione istius temporis, illi collatum sit; recte tamen inde probatur, impositionem manuum, qua quis ad certum officium consecrabatur, a presbyteris factam. Nec scrupulum, qui momentum aliquod trahat, mouere potest, quod idem apostolus, *II. Tim. I, 6.* adserit, per suarum manuum impositionem χάρισμα Dei Timotheo collatum, quod eum resuscitare iubet. Nihil enim obstat, quo minus dicamus, Paulum simul cum presbyteris quibusdam Timotheo manus imposuisse, & ita eum ordinasse. Ad successionem vero episcoporum quod attinet, praeterquam, quod personalis hic neutiquam in censum veniat, eam frustra Romanenses iactitant. Quam impedita namque ipsorum pontificum Romanorum, in primo statim saeculo, sit successio, ex iis, quae M. ANTONIVS DE DOMINIS, de *re publ. eccles. lib. II. cap. III.* & IO. PEARSONIVS, *dissert. II. de succes.*

succeſſ. pontif. cap. I. ſeq. aliſque, de ea diſputant, abunde liquet. De doctrinali autem ſucceſſione ſi ſermo ſit, eam longe rectius nobis vindicamus; conf. CHRISTOPH. MATTHAEVS PFAFFIVS, in *originib. iuris eccleſ. cap. III. art. III. p. 145.* & in *diſſert. de ſucceſſione epiſcopali.*

§. XII.

Non alium in finem miniſterium eccleſiaſticum a Deo inſtitutum eſſe, res ipſa docet, quam, vt homines ad poenitentiam & fidem in Chriſtum perducantur, & hac ratione cum Deo reconcilientur; *II. Cor. V, 20.* tum vero, vt in fide conſeruentur, vitaeque ſpiritualis incrementum capiant, hinc & varios fructus ad eccleſiae aedificationem proferant; *Eph. IV, 12. ſeq.* & ita tandem aeternam ſalutem conſequantur.

§. XIII.

Atque ex hocce quidem fine poteſtatem eccleſiae miniſtrorum aeſtimare decet, quae non temporalis, ſed ſpiritualis eſt; & ſummatim in poteſtate, docendi, adminiſtrandi ſacramenta, itemque remittendi & retinendi peccata, conſiſtit. Certe non aliam iis poteſtatem ſcriptura tribuit, quae potius ab omni imperio & dominatione eos quam longiſſime vult abeſſe; *Luc. XXII, 25. 26. I. Petr. V, 2. 3.*

§. XIV.

Et poteſtas quidem illa, docendi, de ea, qua publice docent, praecipue eſt intelligenda; *Matth. XXVIII, 19.* cum priuatim quibuslibet

buslibet christianis, vi sacerdotii spiritualis, alios erudire, redarguere, & commonefacere liceat; *actor. XVIII, 26. Eph. VI, 4. Coloss. III, 16.* Huc etiam pertinet potestas, errantes conuincendi, immorigeros & renitentes reprehendendi, languidos excitandi & adhortandi, moestos denique miserosque consolandi.

§. XV.

Potestate, administrandi sacramenta, verbi diuini ministros gaudere, nemo temere dubitauerit, modo agnoscat, quod verissimum, & suo loco demonstratum est, inter media salutis sacramenta quoque referenda esse; *Matth. XXVIII, 19. I. Cor. XI, 23.* Vnde & hoc intuitu verbi diuini ministros recte οἰκονόμους μυστηρίων θεοῦ vocare licet; *I. Cor. IV, 1.*

§. XVI.

Idem & de potestate, remittendi & retinendi peccata, seu vsu clauis soluentis & ligantis, censendum. Neque enim tantum generatim omnibus in vniuersum, qui in Christum crediderint; sed speciatim etiam, & singulis, qui peccatorum suorum se poenitere, serio testantur, seque ab iis absolui volunt, gratia diuina, & peccatorum omnium remissio, cum speciali & efficaci promissionum euangelicarum adplicatione, adnuntianda. *

* Solius equidem Dei, adeoque & Christi θεανθρώπου, est, remittere & retinere peccata; *Marc. II, 7.* conf.

conf. & *Es. XLIII, 25.* Solus namque Deus supremus ille & *vnicus legislator* est, quem peccatis nostris offendimus, quiue *saluare* potest, peccata nostra remittendo, & *perdere*, ea retinendo, *Iac. IV, 12.* Nihil tamen obstat, quo minus aliis potestatem concedat, eius nomine idem faciendi, sed alio modo, gratiam scilicet & remissionem peccatorum offerendo illis, qui ordinem salutis, a Deo praescriptum, sequuntur, reliquis autem iram Dei atque damnationem. Hinc Paulus de verbi diuini ministris dicit, quod ceu *legati Christi*, munere eius fungantur, hominesque, vt reconciliationem cum Deo acceptent, adhortentur, *II. Cor. V, 20.* Sunt itaque velut organa & instrumenta, quibus Deus ad gratiam, aut iram suam hominibus, pro diuerso illorum statu, significandam, vtitur. Ex quo & sequitur, si Deus ipse peccata non remiserit, ministri, seu pastoris, remissionem parum prodesse, nulliusque esse efficaciae; & vicissim, si hic peccata retinuerit, nihil illud obesse ei, qui per veram poenitentiam gratiae diuinae factus est particeps. Nec tamen in nuda quadam declaratione remissionis, a Deo factae, ea, quam verbi diuini minister rite impertit, consistit; sed in efficacissima promissionum diuinarum adplicatione, ex singulari mandato diuino profecta, ex qua homo, quem serio peccatorum suorum poenitet, non potest non de illorum remissione longe certissimus reddi, suauissimumque simul percipere solatium. Atque ita remissio ista peccatorum omnino differt ab euangelii adnuntiatione. Haec enim generatim tantum gratiam Numinis mortalibus offert, viamque ostendit, quam ingredi debeant, vt aeternae salutis compotes fieri queant. Per illam autem adplicatio ad singulos homines, ex mandato diuino, seu potestate, verbi diuini ministris concessa, instituitur; vnde non potest non, si cuncta rite fiant, maxima

eius

eius, in tranquillandis turbatis hominum mentibus, esse virtus. Promissio equidem de remissione peccatorum cum ipso foedere gratiae est coniuncta; adeoque & in veteri testamento iam locum habuit; *Leuit. X, 10. II. Sam. XII, 13.* Sed, vt cuncta foederis huius gratiae bona, eminentiori quadam ratione, in nouo testamento conspiciuntur; ita & ministris noui testamenti speciatim potestas illa, remittendi & retinendi peccata, vt, qui in Christum crediturі essent, singulare inde perciperent solatium, concredita fuit, atque demandata. Confessionem sane peccatorum coram verbi diuini ministro faciendam, nullibi sacrae litterae praecipiunt. Atres ipsa docet, adplicationem istam specialem remissionis peccatorum fieri non posse, nisi quis vtcumque mentis suae statum aperuerit, &, quod solatio isto indigeat, significauerit. De confessione autem, quae Deo fieri debet, hic sermo non est. Nec de tempore & loco aut confessionis, aut impetrandae absolutionis, diuinitus quidquam constitutum est, vel constitui debuit, cum in hisce ad statum potius animae, quam ad circumstantias eiusmodi externas, respiciendum sit. Minime tamen hoc obstat, quo minus ordinis caussa, consuetudine, aut iure humano, quaedam in hisce introduci potuerint. Apostolis denique ita concessa fuit haecce potestas, vt non minus & illorum successoribus, sine vllo ordinis discrimine, recte tribuatur. Pertinent huc loca *Ioan. XX, 21. 22. 23. Matth. XVI, 19. XVIII, 18.*

§. XVII.

Si ius diuinum spectes, ministri ecclesiae omnes inter se, intuitu dignitatis & officii, sunt aequales. Discrimen enim, quod deinceps inter episcopos & presbyteros intercessit, tempore apostolorum ignotum fuit.

fuit. * Nec aliam in scriptura sacra ministrorum ecclesiae diuersitatem conspicimus, quam, quae ex functionum & donorum diuersitate oritur, ex qua dignitatis discrimen aut inaequalitatem colligere non licet; *I. Cor. XII, 28. seq. Ephes. IV, 11.* Interim nihil obstat, quo minus ecclesia muneris & dignitatis quamdam inaequalitatem introducat, modo non ex docentibus imperantes fiant, &, quod humana auctoritate factum est, iure diuino constitutum credatur.

* Presbyteros enim episcopos quoque dictos, ex *actor. XX, 17. & 28.* condiscimus. Idem namque presbyteri, quos Epheso ad se arcessiuit Paulus, *v. 17.* diserte ab eo episcopi vocantur *v. 28.* Sic & cum Paulus iussisset, vt Titus oppidatim constitueret presbyteros idoneos, qui essent inculpati, tamquam dispensatores rerum diuinarum, non luxu infames, aut contumaces, *Tit. I, 5. 6.* statim rationis loco subiicit, quod tales deceat esse episcopos, *v. 7.* Praeterea, cum secundum Romanensium pariter, ac hierarchicorum in Anglia, sententiam, vnius vrbis vnicus tantum esse possit episcopus; ex eodem loco, *actor. XX, 17. 28.* patet, Ephesi plures fuisse presbyteros, qui itidem *v. 28.* in multitudinis numero episcopi vocantur. Nec excipere licet, quod nonnulli faciunt, non Ephesinae solum, sed aliarum simul Asiae vrbium episcopos intelligi. Eius enim rei nullum apud Lucam occurrit vestigium. Accedit, quod & ex *Philipp. I, 1.* intelligatur, Philippis plures fuisse episcopos. Denique & ex eodem loco *actor. XX, 17. 28.* discimus, presbyterorum & episcoporum vnum, idemque fuisse of-

ficium, *attendere gregi*, & *pascere ecclesiam Christi*. Confirmat idem Petrus, quando, *presbyteros*, inquit, *obsecro ego compresbyter* (συμπρεσβύτερος) *pascite gregem*, *qui in vobis est*; *I. ep. V*, 1. 2. Vbi quidem, si cum Romanensibus ponamus, Petrum fuisse episcopum; etiam presbyteros episcopos fuisse, necesse est, cum se illorum συμπρεσβύτερον adpellitet. Diserte autem, quod episcoporum munus est, pascere gregem, presbyteris tribuit.

§. XVIII.

Officia illorum, qui docendi munere recte in ecclesia fungi cupiunt, sunt: vt nemo, nisi rite vocatus, viribusque, num idoneus sit, probe exploratis, ad illud accedat; *Ierem. XIV*, 15. *XXIII*, 21. *XXVII*, 15. *Ioan. III*, 27. *Rom. X*, 15. vt gregem sibi commissum, ea, qua decet, ratione pascant, *I. Petr. V*, 2. idque diligenti verbi diuini adnuntiatione, *I. Tim. IV*, 13. *actor. XX*, 27. prudenti sacramentorum administratione, & cauto clauis soluentis, pariter ac ligantis, vsu; *I. Timoth. IV*, 13. *II. Tim. II*, 15. *IV*, 2. denique vt exemplo non minus, quam voce, auditores suos erudiant, viamque salutis monstrent, *I. Cor. IV*, 16. *XI*, 1. *Philipp. III*, 17. *I. Tim. IV*, 12. *II. Tim. III*, 10.

§. XIX.

Auditorum contra est, verbum diuinum, quod recte adnuntiatur, vt verbum Dei recipere, &, remotis impedimentis, ita admittere, vt vim suam exserere possit, *I. Thess. II*, 13. *Iac. I*, 21. *Rom. VI*, 17. falsos docto-

doctores a veris discernere, *Matth. VII, 15. seq.* illisque euitatis, hos pro dispensatoribus mysteriorum diuinorum habere, *I. Cor. IV, 1.* doctrinae illorum non tantum morem gerere, sed & exemplum sequi, ac virtutes imitari, *Phil. III, 17. I. Cor. IV, 16.* quae ad vitam honeste sustentandam necessaria sunt, iis suppeditare, *Matth. X, 10. Luc. X, 7. I. Cor. IX, 7. 14. I. Tim. VI, 17. 18.* diligenter denique pro iis orare, *Rom. XV, 30. Ebr. XIII, 18.*

§. XX.

Qui magistratus munere funguntur, vt non vna ratione ad ecclesiae conseruationem aliquid conferunt, ita in externis directionem eius merito sibi vindicant; vnde & illorum hic locum inuenit consideratio. Praecipue autem hoc nomine illi nunc veniunt, qui summo imperio, quod summa est vbique in ciuitate potestas, gaudent.

§. XXI.

Summum hocce imperium a Deo esse, nemo dubitauerit. Cum enim ad humani generis conseruationem necessaria prorsus fuerit rerum publicarum introductio; res publicae autem sine summo imperio consistere nequeant; Deus porro ea omnia velit & adprobet, quae humani generis conseruationi inseruiunt; sponte sua inde sequitur, Deum simul summum imperium adprobasse. *

* Atque ita ipsa quoque ratio dictitat, imperia atque res publicas, ex voluntate, & cum adprobatione summi Numinis, esse constitutas. Namque & ex solo rationis lumine intelligimus, res publicas, quae sine summo imperio sibi non constant, ad humani generis conseruationem esse necessarias. Non minus vero idem rationis lumen ostendit, Deum, vtpote summe bonum, ea omnia velle & adprobare, quae humani generis conseruatio postulat. Euidens ergo est, Deum quoque velle, & adprobare imperiorum & rerum publicarum constitutionem. Qui enim vult finem, is, media quoque velle, merito censetur, quibus is obtineri queat. Idque & scriptura sacra comprobat; *Rom. XIII, 1. seq. Ioan. XIX, 11. seq. Tit. III, 1.* Certe, dum Deus iubet, vt magistratibus obsequium & venerationem exhibeamus; dumque ipse ad summi imperii collationem concurrit, vt pluribus deinceps demonstrabimus; aperte testatur, istud sibi neutiquam displicere. Et licet ante diluuium Cain primus fuerit, qui ciuitatem condidisse dicitur, *Genes. IV, 17.* & post diluuium Nimrod; *Genes. X, 8. seq.* hoc tamen nobis non obstat, cum etiam rebus optimis innocentissimisque homines impii abuti queant. Hinc & introductio imperiorum, seu rerum publicarum constitutio, pro instituto diuino recte habetur, etsi nuspiam legatur, immediate Deum eiusmodi quid mandasse, aut homines edocuisse. Quodsi praeterea rerum publicarum structuram consideremus, pactis seu conuentionibus, atque decretis cuncta peragi deprehendimus, dirigente quidem & adprobante supremo Numine. Quo pacto & summi imperii constitutio ἀνθρωπίνη κτίσις a Petro vocari potuit, *I. epist. II, 13.* quamuis eadem non minus, ob Numinis concursum, directionem, & adprobationem, a Paulo recto διαταγὴ τοῦ θεοῦ, *ordinatio diuina*, adpellitetur; *Rom XIII, 2.* §. XXII.

§. XXII.

Sed & collatio summi imperii recte ad Deum auctorem refertur. Et in veteri quidem testamento aliquando immediate hoc a Deo factum, exemplo Mosis constat, *Exod. III. IV.* itemque Iosuae, *numer. XXVII, 18. Deut. III, 28.* immo Saulis quoque atque Dauidis, *I. Sam. IX, 15. seq. XVI, 12.* Quod licet hodie amplius non fiat, nec exspectandum sit; Deum tamen mediate summum imperium conferre, manifestum est, cum semper specialiori quadam ratione, quoties summus imperans constituitur, concurrat, vt in hocce negotio prouidam eius curam vel maxime intelligere liceat, suffragante etiam scriptura; *prou. XVIII, 15. Dan. IV, 32. sap. VI, 4.*

§. XXIII.

Nimirum si ordine cuncta peraguntur, summum imperium aut per *successionem* confertur, aut per *electionem.* Vtriusque fundamentum est consensus populi, per quem in successione summa rerum integrae familiae, in electione autem singulis hominibus committitur. Praeter ordinem per bellum summum imperium adquiritur, sed tum demum, si caussa iusta adsit, cur imperium istud nobis vindicare queamus, & consensus populi deuicti accesserit. Et ita quidem in imperiis monarchicis res comparata est. In aristocratia electio fere

obtinet; quemadmodum in democratia, hoc ipso, dum aliquis fit ciuis, iis etiam adsociatur, qui iunctim imperium habent.

§. XXIV.

Cum itaque Deus ipse ordinem istum imperandi & parendi adprobauerit, & ad summi etiam imperii collationem, specialiori quadam ratione, concurrat, adeo, vt nulla potestas summa, nisi a Deo, sit; *Rom. XIII, 1.* nulla adparet ratio, cur homo christianus, isque ex vere credentium numero, imperandi munere fungi nequeat. Accedit vero, quod illud imperandi munus, si modo recte administretur, (quod licet difficile, non tamen ἀδύνατον est) ita comparatum sit, vt nihil contineat, quod non a vere credentibus sine vlla illorum noxa possit praestari. *

* Vt demonstretur, christianos quoque magistratus fungi munere posse, duo cumprimis obseruanda sunt: alterum, imperandi munus, in se spectatum, nihil, quod Deo displiceat, aut vitium aliquod inuoluat, continere; alterum, idem illud imperandi munus cum officiis hominis christiani consistere posse, seu non obstare, quo minus aliquis ea omnia agat, quae verum christianum agere decet. Prius ex eo, quod hactenus probauimus, magistratum *diuinam* esse *ordinationem*, & a Deo ipso probatum, abunde patet. Ecquis putaret, Deum aliquid adprobaturum, hominibusque commendaturum, quod vitium aliquod secum traheret, adeoque non omni ex parte licitum vocari posset. Deinde si quis diceret, summum imperium, in se spectatum cum

cum vitio coniunctum esse; illi demonstrandum esset, quodnam illud vitium sit, aut quamnam ob caussam iste status pro malo, & qui christianum hominem non deceat, habendus sit. Hoc autem a nemine fieri posse, certum est. Multa sane, fateor, subinde a summis imperantibus committuntur, quae non sunt laudanda. Sed ob hominum, statu quodam abutentium, vitia, statum ipsum neutiquam repudiandum esse, nemo non intelligit. Immo, cum summis imperantibus pulcherrima detur occasio, humani generis, speciatim & ecclesiae, seu regni Christi, commoda promouendi, plurimaque in alios conferendi beneficia; statum eorum, si modo muneri suo, vt decet, praesint, longe beatissimum esse, palam est. Nec quidquam hic deprehenditur, quod cum officiis hominis christiani pugnet, aut obstet, quo minus ea agere queant, quae veros christianos agere decet. Praestantissima christianorum officia sunt, non tantum Deum aliosque homines, sed inimicos quoque sincere diligere, se ipsos abnegare, mansuetudini operam dare, patientiam demonstrare in rebus aduersis, prauas cupiditates coërcere, & in omnibus, quantum fieri potest, ad supremi Numinis se componere voluntatem. Atque haec omnia summi quoque imperantes, si modo vere christiani sint, & munere suo recte fungantur, praestare possunt. Idque vel Dauidis, regis sanctissimi exemplo patet, *psalm. XVIII, 2. 3.*

§. XXV.

Ex fine summae huius potestatis intelligitur, omnia, quae in ciuitate sunt, ipsosque adeo homines, eorumque & actiones, & bona, eius directioni subiecta esse. At-

que ex ista quidem obiectorum varietate *iura*, quae vocantur *maiestatica*, oriuntur; inter quae hic maxime potestas circa sacra atque religionem in censum venit.

§. XXVI.

Ad ius quidem circa sacra, seu religionem, quod attinet, non ita hoc est intelligendum, ac si imperans aut credenda praecipere, aut in iis, quae ad internum Numinis cultum, immo & externum, prout a Deo mandatus est, spectant, aliquid, quod rectae rationi, vel reuelationi diuinae repugnet, praescribere queat; sed quod facultate gaudeat, in externis, iisque diserte a Deo non praescriptis, cuncta ita dirigendi, vt vera religio conseruetur, mediisque legitimis promoueatur, ciuiumque hoc pacto saluti consulatur, simul vero caueatur, ne religionis simulatione tranquillitas rei publicae turbetur, aut vlla alia ratione damnum aliquod ei adferatur.

§. XXVII.

Gaudet itaque summus imperans potestate, ministrorum ecclesiae constitutionem ita dirigendi, prout ecclesiae ac rei publicae salus hoc postulat; erigendi scholas & academias, idoneosque in his doctores & praeceptores constituendi; visitandi quoque scholas & ecclesias, & si defectus ac naeui in iis deprehendantur, illos emendandi seu reformandi; disciplinam eccle-

sia-

siasticam conseruandi; haereticos, aut, qui pacem ecclesiae turbant, coërcendi, eorumque conatus impediendi, disputationibus ac certaminibus theologicis certos limites praefigendi, conuocandi & dirigendi concilia; praescribendi ritus & caerimonias ecclesiasticas; & bona denique ecclesiastica dispensandi.

§. XXVIII.

Officia summorum imperantium sunt, potestate sua atque imperio non ad libidinem suam, aut prauas cupiditates explendas, sed ad ciuium salutem, quae huius et aeternae vitae est, promouendam, vti; commodis rei publicae neutiquam praeferre sua; ecclesiae & religionis ita, vt decet, habere rationem; nec tamen contra animi sententiam alicui aliquid obtrudere; exemplo denique non minus, quam legibus, ciues ad ea omnia, quae rei publicae expediunt, agenda inducere.

§. XXIX.

Ciuium contra (quo nomine & magistratus inferiores veniunt, intuitu summorum imperantium spectati) officia sunt, vt summos imperantes, etiam impios, eo, quo par est, honore & veneratione prosequantur, *Rom. XIII, 7. I. Petr. II, 17.* in

rebus licitis illis obediant, idque sincere & ex conscientia, *Rom XIII, 5.* conf. *act. IV, 19. V, 29.* tributa illis soluant, *Rom. XIII, 6. 7.* & preces quoque pro illis ad Deum fundant, *I. Tim. II, 2.*

§. XXX.

Status domestici vel ideo hic habenda est ratio, quod plurima ex eodem aut commoda aut incommoda in ecclesiam pariter ac rem publicam redundant. Quod adeo & speciatim de coniugio, seu matrimonio, dicendum, cuius origo ex diuina institutione, *Gen. II, 20. seq.* est deriuanda. Vnde simul patet, illud iam in statu integritatis obtinuisse.

§. XXXI.

Et ad primam quidem hancce institutionem, ceu ad normam & regulam, etiam in statu post lapsum, matrimonium merito exigitur; adeo, vt illud demum verum, legitimumque esse, & Deo placere, intelligatur, quod cum primaeua ista institutione, in iis, quae ad essentiam ipsam matrimonii spectant, conuenit. * Non tantum enim nulla ratio, cur institutio ista post lapsum locum habere nequeat, adferri potest; sed ipse seruator nos ad eam diserte ablegat, *Matth. XIX, 4.*** Id tantum post lapsum

lapsum accesſit, quod mulier viro ſubiecta eſſe debeat; *Gen. III, 16.* & matrimonium quandoque ad euitandam ſcortationem ſit neceſſarium.

* Vt ergo de matrimonio, rebusque ad illud ſpectantibus, recte pronuntiari queat, ante omnia de principio, ex quo cuncta diiudicanda, conſtare debet. Hoc autem nomine hic non tantum leges illae naturales, quae *abſolutae* vocantur, veniunt; ſed vel maximae *hypotheticae*, quae ex inſtituto diuino fluunt, & ſpeciatim naturam indolemque matrimonii, ſecundum Numinis voluntatem nobis exhibent. Primum itaque ceu certum, poſitumque extra omnem controuerſiam, adſumimus, matrimonium a Deo ipſo inſtitutum eſſe. Teſtantur hoc verba apertiſſima Moſis, *Gen. II, 24.* quae non aliter, quam de inſtitutione matrimonii, capi poſſunt. Omnem porro inſtitutionem diuinam eſſe inſtar legis, ſeu obligationem quamdam ſecum coniunctam habere, nemo, qui paullo adcuratius rem omnem penſitauerit, negabit. Si enim id, quod Deus inſtituit, ab hominibus obſeruari nollet, fruſtra illud inſtitueret. Praeterea, cum omnia inſtituta diuina ad hominum ſalutem & felicitatem ſpectent; vel hoc quoque nomine, vt ordinem, a Deo in iis praeſcriptum, obſeruent, obſtricti ſunt. Ratio namque ipſa docet, iure naturali homines obligatos eſſe ad ea omnia, quibus tum ſingulorum, tum & totius humani generis ſalus & felicitas promoueri poteſt. Idque vel ſacramentorum exemplo patet. Haec quippe cum itidem inſtituta diuina ſint, nemo tamen abnuet, omnes homines ad legitimum eorum vſum lege diuina eſſe obligatos; & hoc iterum vel ideo,

ideo, quod ratio ipsa iubeat, vt media, a Deo praescripta, quibus salus nostra obtineri queat, rite adhibeamus. Nec est, quod illud opponas, si institutio matrimonii pro lege habeatur, inde sequuturum, omnes circumstantias, quae in prima matrimonii institutione adfuerunt, per modum legis esse obseruandas; v.g. quod primi parentes nudi fuerint, quod coniunctio facta sit sub dio, a Deo ipso, sine sacerdotis interuentu, sine pacto matrimoniali, & quae reliqua sunt eiusdem generis. Res enim ipsa vnumquemque docet, discrimen hic constituendum inter ea, quae ad ipsam essentiam matrimonii spectant, & ea, quae ex accidenti in prima institutione adfuerunt; adeoque, cum obligatio quaedam cum institutione diuina coniuncta esse dicitur, non de his, sed de illis hoc esse intelligendum. Quodsi quaeras, quae ratio sit, accidentalia ista, vt ita loquar, ab iis, quae ipsam matrimonii essentiam absoluunt, discernendi? respondeo, ad finem, quem Deus in matrimonii institutione sibi propositum habuit, respiciendum esse. Ad eum namque quae se referunt, recte pro essentialibus reputantur, reliqua in accidentalium ponenda numero. Eodem modo se res hic habet, ac in aliis institutis diuinis, speciatim in sacra coena. Hanc enim seruator optimus instituit tempore vespertino, cum agnum paschalem comedisset, vsusque est pane azymo. Maximopere falleretur, qui inde concluderet, haec omnia hodie quoque necessario obseruanda esse, cum nemo non videat, cum fine & scopo sacrae coenae ista non esse coniuncta, adeoque pro accidentalibus, non autem pro iis, quae ipsam sacramenti huius essentiam constituunt, habenda esse. Nostra vero sententia, quod in institutione diuina matrimonii, lex quoque, ordinem eius atque rationem omnibus praescribens, continetur,

neatur, inde porro confirmatur, quod Christus ipse in quaestionibus, de rebus matrimonialibus exortis, ad primam institutionem, ceu legem, normam, & regulam nos ableget. Patet hoc vel ex *Matth. XIX, 3. seq.*

** Quod vtique facere non potuisset, nisi post lapsum adeoque hodie adhuc, prima institutio, regula ac norma omnium matrimoniorum esset. Immo tantum abest, vt caussa adferri queat, cur matrimonii institutio post lapsum ad homines non amplius pertineat, vt vel maxime potius necessaria sit, cum non melior ratio, prauos adfectus, qui circa humani generis propagationem sese exserere solent, compescendi, inueniri queat, quam matrimonium, secundum ordinem a Deo praescriptum, initum. Et licet etiam incommoda quaedam cum hocce ordine coniuncta esse videantur; haec tamen maximam partem ex hominum cupiditatibus, ordinem istum aegre ferentibus, oriuntur, & longe pluribus insuper pensantur commodis. Nec sane hic videndum, quid singulis placeat, sed quid omnibus, seu vniuerso hominum generi conducat.

§. XXXII.

Ex adcuratiori autem primae institutionis consideratione patet, matrimonium verum, & quod Deo probetur, in legitima, eaque perpetua & insolubili vnius viri & vnius femine coniunctione consistere, quae eo comparata est, vt sobole, secundum ordinem, a Deo praescriptum, procreata, genus humanum rite propagetur.

§. XXXIII.

Vt finis matrimonii, qui est sobolis secundum

cundum ordinem, a Deo praescriptum, procreatio,* generisque adeo humani conseruatio ac propagatio, obtineatur; dispiciendum, an illi, qui matrimonium inire cupiunt, intuitu aetatis, corporis, mentis, aliarumque περιστάσεων, ita comparati sint, vt finem huncce eo, quo decet, modo, consequi queant. Qui enim nequeunt, merito a matrimonio arcentur; vti contra grauiter peccant, qui, cum ad illud idonei sunt, sine causis tamen grauissimis ab eo se abstinent. ** Quod de omnibus hominibus, sine vllo ordinis & status discrimine, intelligendum est. ***

* Finem matrimonii, eumque proximum, ob quem & a Deo institutum est, sobolis esse procreationem, non qualemcumque, sed quae secundum ordinem a Deo praescriptum, in sanctitate & castitate, prout homines, ad imaginem Dei conditos, decebat, suscipitur, ex prima eius institutione, *Genes. II, 26.* iterum recte colligitur. Idque ad humani generis propagationem ac conseruationem spectare, res ipsa ostendit. Simul tamen coniunctio illa matrimonialis imago esse debuit arctissimae, sanctissimaeque vnionis, qua Deus cum hominibus vniri cupit, vt Paulus nos condocet, *Ephes. V, 31. 32. I. Cor. VI, 17.* Post lapsum hominum alius finis, propter prauas illorum cupiditates, accessit, dum quandoque ad euitandam scortationem matrimonium est necessarium, testante iterum ipsomet apostolo, *I. Cor. VII, 2.*

** Qui

** Qui enim finem matrimonii, secundum ordinem, a Deo praescriptum, obtinere nequeunt, & nihilo secius matrimonium inire volunt, vt plerumque finem alium, qui Deo minime probatur, sibi constitutum habent, ita sanctissimo hocce instituto turpiter abutuntur, adeoque non tantum imprudenter agunt, sed grauiter etiam peccant.

*** Eadem itaque clericorum ac aliorum hominum hic est ratio. Vt namque iure diuino a matrimonio non arcentur, ita humano arceri nec possunt, nec debent. Sane si dono continentiae polleant, & coelibatum eligant, vt demandato sibi munere eo rectius fungantur; non tantum non reprehendendi, sed maximopere laudandi sunt. Quod autem diximus, iure diuino clericis matrimonium non prohiberi; tamdiu certum firmumque manet, donec contrarium euidenter probetur. Certe in veteri testamento sacerdotibus coniugium non fuit interdictum. Nec in nouo testamento aliquid exstat, ex quo eiusmodi quid colligi queat. Immo regula illa generalis, quam Paulus omnibus praescribit *I. Corinth. VII, 7. 8. 9.* non minus in sacri ordinis viros, quam alios quadrat. Accedit, quod, ex ipsis apostolis quosdam vxores habuisse, recte ex *I. Cor. IX, 5.* colligatur. Nec sane per ἀδελφὴν γυναῖκα aliud quid, quam mulierem fidelem, coniugio alicui iunctam, intelligere licet. Diserte denique apostolus episcopum vult esse μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα, *vnius mulieris virum*, *I. Timoth. III, II. Tit. I, 6.* Etsi enim nemini christianorum fas erat, plures vna ducere vxores, multo minus tamen hoc episcopum decebat. Quod dum monet apostolus, simul aperte indicat, matrimonium cum vna vxore episcopis, sacriue adeo ordinis viris, minime esse prohibitum. Hisce adhuc primitiuae ecclesiae exemplum addi potest, in qua episcoporum, aliorumque sacri ordinis

virorum

virorum matrimonia probata fuisse, dubio caret. Quod itaque iure diuino sacri ordinis viris, quos clericos vocant, concessum, id iure humano illis denegari nec potest, nec debet. Cum namque non omnes dono continentiae gaudeant, vt seruator ipse testatur *Matth. XIX, 12.* immo, cum in tanta clericorum multitudine fieri prorsus nequeat, vt omnes eodem instructi sint; durissimae prorsus, iniquissimaeque istae leges censendae sunt, quae aliquid exigunt, quod in hominum viribus positum non est; hinc & eo illos tandem adducunt, vt variis peccatorum sordibus mentem, corpusque polluant.

§. XXXIV.

Iam si non alium, qui matrimonium inire volunt, sibi constitutum habeant finem, quam quem habere debent; consensus vtriusque partis, isque liberrimus accedat, necesse est. * Sed parentum quoque consensum accedere, oportet; praesertim si liberi adhuc sub patria potestate sint constituti. **

* Omnis namque coniunctio moralis inter homines, rationis vsu pollentes, fit per consensum. Consensus vero iste quod liber esse debeat, ratio ipsa docet, cum, qui liber non est, pro consensu haberi nequeat. At liber consensus esse desinit, si aut qua intellectum, aut qua voluntatem impedimentum aliquod accedat. Vnde quid de sponsalibus ab ebriis, aut per errorem, aut coactionem initis, existimandum sit, patet. Vt nimirum in aliis pactis, ita etiam ista res se habet in matrimoniis.

** Tum

** Tum enim consensus liberorum omni effectu destituitur, quia adhuc sub patria potestate constituti sunt, eorumque actiones ab imperio parentum pendent; vt in eiusmodi rebus sine illorum consensu & voluntate nihil valide, & cum effectu iuris, agere queant. Sequitur inde, sponsalia ab eiusmodi liberis sine consensu parentum inita, irrita esse; immo & matrimonium iam consummatum, si tantum leges diuinas spectes; etsi me non fugiat, esse, qui hic secus sentiant. Quodsi liberi iam extra familiam paternam constituti, adeoque imperio parentum non amplius subiecti sint; animus equidem gratus & reuerentia, quam ergaparentes demonstrare quauis occasione debent, postulat, ne in re tanti momenti aliquid sine consensu parentum suscipiant, nec tamen hic tum ita necessarius est, vt, si desit, sponsalia ideo irrita censeri debeant, multo minus matrimonium consummatum. Atque haec cum ita se habeant, parentes vicissim sine caussis grauissimis consensum suum denegare non debent. Quodsi nihilo secius hoc faciant, liberi, qui iam extra familiam paternam degunt, non peccabunt, si istum parentum dissensum, salua in reliquis pietate erga eos, non curent; qui autem adhuc sub potestate patria sunt, recte facient, si rem ad magistratum deferant, qui, si parentum dissensum iniquum deprehenderit, illorum loco consensum praebere potest, cuius eadem erit efficacia, ac si parentes ipsi consensissent.

§. XXXV.

Ex consensu vtriusque partis oriuntur *sponsalia*, quae vt cum aliis pactis nonnulla communia habent, ita in eo ab iis differunt, quod mutuo dissensu, nulla acceden-

te cauſſa alia, diſſolui nequeant. Sunt enim ſponſalia reuera ipſum iam matrimonium, quippe quod per conſenſum contrahitur; etſi exſequutio conſenſus, ſeu concubitus efficiat, vt in quibusdam de matrimonio conſummato aliter pronuntiandum ſit, quam de matrimonio per ſponſalia inchoato. *

* Per conſenſum enim fit coniunctio animorum, in quo adeo praecipuum matrimonii momentum conſiſtit. Ideoque, quod conſenſus matrimonium faciat, dici ſolet. Cum tamen per coniunctionem corporum coniuges *vna* demum fiant *caro*, diſcrimen inde oritur inter matrimonium (per ſponſalia) *inchoatum*, & *conſummatum*. Vnde & ſequitur, in quibusdam de matrimonio conſummato multo aliter pronuntiandum, quam de ſponſalibus. Nec ſane tam facile matrimonium conſummatum reſcindere licet, quam ſponſalia; quemadmodum & adfinitatis reſpectus, & orta inde graduum prohibitio, ante matrimonium conſummatum locum non habet. Accedit, quod ſecundum leges eccleſiaſticas ad matrimonii conſummationem plura requirantur, quam ad ſponſalia.

§. XXXVI.

Non tantum diuinarum, ſed & humanarum legum, in matrimonio rite contrahendo, habenda eſt ratio. Namque per has certa requiſita addi poſſunt; quae ſi non fuerint obſeruata, matrimonium in foro ciuili legitimum non cenſetur. Quorſum & praeter alia *benedictio ſacerdotalis* pertinet, quae non tantum vt ritus, iam pridem in eccleſia chri-

christiana vsitatus, & valde laudabilis, retinetur; sed quia insuper a magistratu adprobata & praecepta est, intermitti nequit, nisi quis & matrimonium suum irritum reddere, & effectibus ciuilibus, qui hunc ritum sequuntur, & se ipsum, & liberos suos, priuare velit. *

*Etsi lege quadam diuina speciali sancitum non sit, vt in matrimonio, rite ineundo, benedictio, quam vocant, sacerdotalis accedat; postquam tamen ritus hicce in ecclesia semel introductus est, merito retinetur, cum nihil, quod rationi repugnet, aut laudabile non sit, in eo deprehendatur. Pietati potius est conueniens, vt precibus Deo commendentur noui coniuges, simulque officii sui admoneantur, &, quae vera coniugii ratio sit, quantaue patientia, quae illud comitantur, incommoda perferenda sint, ex verbo Dei edoceantur. Sed ideo quoque hicce ritus necessarius est, vt cuncta ordine & decenter gerantur, & omnibus constet, quinam pro coniugibus, rite inter se iunctis, sint habendi. Iam cum summorum imperantium, ritum huncce adprobantium, auctoritas accedat; recte illud coniugium neutiquam esse legitimum censetur, quod per benedictionem sacerdotalem more consueto non fuit initum.

§. XXXVII.

Matrimonia clandestina, quia speciem concubinatus habent, minime sunt adprobanda. * Quae autem inter personas diuersae dignitatis ea lege ineuntur, vt qui ex iis nascituri sint liberi, inferioris ordinis sint, quam

pater est; cum in se spectata nihil contineant, quod legibus diuinis aut humanis repugnet, merito inter legitima referuntur. **

* Non equidem eiusmodi matrimonia clandestina pro concubinatu sunt habenda, cum in illis coniunctio sit perpetua, semperque duratura; in hoc temporaria & solubilis. Hoc ipso vero, dum clandestina sunt, alii facile in eam sententiam inducuntur, vt ea pro concubinatu reputent, indeque adeo, ceu scandalo quodam, offendantur. Accedit, quod in eiusmodi matrimoniis aut benedictio sacerdotalis accesserit, aut non accesserit. Si accesserit, vix amplius clandestina erunt; aut si hoc ita factum sit, vt ad aliorum notitiam non peruenerit, scandalum nihilo secius, quod alii inde capere possunt, non cessat; si non accesserit, vel hocce nomine improbanda sunt. Et licet summi imperantes legibus humanis non teneantur; peccant tamen, dum aliis exemplo suo peccandi occasionem praebent.

** Vocari haec matrimonia solent ad *morganaticam*.

§. XXXVIII.

Quod marito imperium in vxorem competat, & ex diuina constitutione, *Genes. III, 16.* & hodie insuper ex vtriusque partis consensu prouenit. Nec tamen existimandum, ac si imperium illud maritale nullis circumscribatur limitibus; cum tanta solum mariti sit potestas, quantam finis matrimonii requirit. *

* Quae-

* Quaeri equidem solet, an etiam in statu integritatis maritus imperium aliquod habiturus fuisset? Nec dubitandum, quin mariti quaedam ἐξουσία in eo quoque statu futura fuisset? quippe quod vel ipse apostolus nos condocet, quando ait: *non enim est vir ex muliere, sed ex viro mulier; cum non propter mulierem creatus sit vir, sed propter virum mulier; I. Cor. XI, 8. 9.* At eiusmodi imperium, quale hodie est, a lapsu primorum parentum deriuandum esse, diserte Moses tradit, *Gen. III, 16.* Naturae hoc quoque esse conueniens, ipsa ratio dictitat. Dum vero vtriusque partis consensus accedit, mulier significat, se diuinae constitutioni morem gerere velle. Ex fine autem cum maritale illud imperium limites suos accipiat; sequitur, maritum ab vxore, quae ad huncce finem non pertinent, exigere non posse; nec vxorem, vt in eiusmodi rebus illi morem gerat, obstrictam esse. Immo si iniqua aut impia postularet, peccaret, si morem gereret.

§. XXXIX.

Officia coniugum, & quidem vtrique parti communia, sunt, vt sincero se inuicem prosequantur amore, *Ephes. V, 28. 29. I. Cor. VII, 33. 34.* fidemque datam sancte seruent, *Ebr. XIII, 4.* & debita coniugalia vtrimque praestent; *I. Cor. VII, 5. seq.* nec tamen coniugalis castitatis sint immemores; *I. Thess. IV, 4.* Mariti porro est, defendere & prudenter regere vxorem, vitaeque huius necessaria ei suppeditare; *Eph. V, 28. 29.* vti contra vxoris est, honore debito colere maritum, & in re-

bus licitis ei obtemperare, mutuumque auxilium in iis, quae ad educandos liberos ac curandam rem familiarem spectant, ei praestare, *Eph. V, 22. 24. Coloss. III, 18. I. Petr. III, 5. 6.* *

*Ex ipsa natura & indole matrimonii, cumprimis ex fine eius, qui vt supra diximus, est, vt secundum ordinem, a Deo praescriptum genus humanum propagetur, & in castitate sanctitateque, quae christianos decet, vita transigatur, omnia haecce officia fluunt; quod copiosius demonstrari posset, nisi quilibet haec inde facili negotio deducere posset. Vt autem nihil, quod non ex fide prouenit, Deo placere potest; *Ebr. XI, 6.* ita longe etiam certissimum, tum demum haecce officia recte praestari, si ab iis, qui vera in Christum fide praediti sunt, proficiscantur. In reliquis si quid eiusmodi deprehenditur, vmbra tantum est; quamuis & haec in paucissimis conspiciatur, cum plurimi palam & aperte haecce officia negligant. Quando vero matrimonium ita comparatum est, prout secundum praescriptum & voluntatem Numinis esse debet; tum demum in eo imago *magni* istius *mysterii*, seu coniunctionis Dei, & hominum in Christum credentium, exsplendescit; *Ephes. V, 31. 32.*

§. XL.

Ex statu matrimoniali resultat *paternus*, ad liberorum educationem, sine qua nec ecclesia, nec res publica recte sibi constaret, comparatus. Deum vero ipsum huncce statum

tum adprobasse, ratio ipsa docet; ex qua & constat, fundamentum societatis paternae ex lege naturae, officia humanitatis iniungente, petendum; & scriptura confirmat, voluntatem Numinis, quod liberi parentibus obedire debeant, passim commemorans. *Exod. XX, 12. Deut. V, 16. Matth. XV, 4.*

§. XLI.

Vt educatio liberorum rite procedat, parentibus potestas, liberorum actiones dirigendi, seu *imperium* in liberos, recte tribuitur, cui in liberis *obsequium* respondet. * Limites autem imperii paterni ex fine societatis huius sunt aestimandi; ** quemadmodum & imperium hoc tamdiu durat, quamdiu societas paterna perstat. *** De parentibus, quod diximus, de iis etiam intelligendum, qui eorum funguntur vicibus. *

* Cum enim Deus velit finem, rectam scilicet liberorum educationem; eum quoque media, sine quibus finis iste obtineri nequit, velle, recte inde colligitur. Ergo & imperium parentibus concessit, seu facultatem, liberorum actiones dirigendi, prout ad finem istum hoc requiritur. Imperio autem ex altera parte obsequium respondet.

** Tanta itaque parentum in liberos est potestas, quantam honestae educationis ratio exigit. Vt itaque parentibus ius vitae & necis in liberos tribuamus,

necesse non est; cum sine eo educatio rite procedat; grauiora etiam liberorum delicta a magistratu puniri queant, & debeant. In statu naturali maior quidem est patrum familias potestas, quam, cum in statu ciuili degunt, nec tamen tanta, quae ius vitae & necis complectatur; etsi, quae ad vitae defensionem spectant, recte ab iis suscipiantur.

*** Imperium enim illud parentum in societate paterna fundatur. Hac itaque sublata, illud quoque cessat. At, cessante imperio, cessat & obsequium; remanente interim obligatione ad animum gratum, non tantum verbis, sed & re ipsa, praesertim si necessitas postulet, erga parentes demonstrandum, reuerentiamque debitam iis exhibendam.

* Vt vitrici, tutores, immo & praeceptores.

§. XLII.

Officia parentum sunt, educare liberos ἐν παιδείᾳ καὶ νουθεσίᾳ κυρίου, *Ephes. VI, 4.* de victu & amictu illis prospicere, &, vt aliquando ipsimet sibi prospicere queant, operam dare, vt mente corporeque valeant, artemque, ad vitam honeste sustentandam, aptam vtilemque condiscant; *I. Tim. V, 8.* Liberorum contra est, amore & honore parentes prosequi, *Ephes. VI, 2, 3. Exod. XX, 12.* in rebus licitis illis morem gerere, *Ephes. VI, 1. Coloss. III, 20.* gratumque quouis modo erga eos demonstrare animum; multoque adeo minus, si consenuerint, eos contemnere, *Prou. XXIII, 22. eccles. III, 14.* immo &, si ne-

si necesitas hoc iusserit, eosdem alere, *I. Tim. V, 4. Marc. VII, 10, 11.**

*Haec omnia itidem ex natura, indoleque, cumprimis ex fine status paterni, aeque ac officia coniugum ex natura indoleque, & fine matrimonii, fluunt. Sed &, vt coniugum officia non nisi ab illis, qui vera in Christum fide imbuti sunt, recte praestari possunt; ita non minus de parentum ac liberorum officiis idem longe est certissimum. Atque hoc apostolus quoque nos condocet, cum liberos parentibus vult obsequi ἐν κυρίῳ, *in domino; Ephes. VI, 1.* Saepius equidem liberi ad parentum voluntatem se componunt, aut naturali adfectu inducti, aut commodorum gratia, aut si quid eiusmodi est, quod eos, vt hoc faciant, commouere potest; sed tum demum, quae parentibus praestant, Deo placent, si hoc fiat ἐν κυρίῳ, *in domino*, hoc est, non aliam ob caussam, quam quia Deus hoc mandauit, cui, qui in Christum credunt, suum in omnibus probare obsequium gestiunt. Et hinc patet, quae parentes etiam obseruare debeant, si liberos recte educare velint. Praecipuum est, quod iterum Paulus docet, educandos esse liberos non tantum, ἐν παιδείᾳ, sed & ἐν νουθεσίᾳ κυρίου, *Ephes. VI, 4.* vt eorum, quae ad animam, atque salutem aeternam, spectant, cumprimis habeatur ratio. Quod tamen de illis parentibus, qui ipsimet, per fidem veram, sanctitatem non consectantur, minime est sperandum. Sapientibus haec sufficere possunt.

§. XLIII.

Status denique herilis societati, inter

dominum & seruum initae, innititur; prout societas ipsa ex pacto, seu vtriusque partis consensu, oritur. Qua quidem ratione cum domini pariter ac serui commodis consulatur; status hicce nihil, quod legibus diuinis repugnet, continet, dubiumque adeo nullum est, quin Deo probetur. * Id quod & scriptura sacra confirmat, non tantum exempla hominum sanctorum, qui seruos habuerunt, commemorando, sed docendo etiam, per fidem in Christum statum huncce neutiquam tolli, sed dominos potius pariter ac seruos aptos reddi, vt suis recte fungi officiis queant; *Ephes. VI, 5. seq. Coloss. III, 22. 23. 24. Philem. V, 16.* **

* Nec obstat, quod aequalitas naturalis per huncce statum tollatur, aut quod vitia hominum ei occasionem praebuisse videantur. Etsi enim omnes homines natura aequales sunt, ratione humanitatis; vt tamen, ratione potestatis & dignitatis, aequales sint, necesse non est. Sed &, quin per consensum inaequalitas quaedam introduci queat, nullum est dubium; tumque illi, qui alterius imperio se submisit, nulla fit iniuria. Licet autem vitia forte hominum status cuiusdam introductioni occasionem dederint; inde, ipsum statum improbandum esse, minime sequitur. Ceterum non de imperfecta tantum, sed & de perfecta seruitute, quod diximus, intelligendum esse, res ipsa docet.

** Per

** Per religionem christianam status externos, eosque ad humani generis conseruationem necessarios, et, per eam, quae post lapsum est, hominum conditionem, plurimum incommodi secum vehentes, non tolli; ex ipsa religionis istius indole facile intelligitur. Per fidem enim homines cum Deo vniri, & ad aeternam felicitatem perduci possunt, etiamsi in istis statibus permaneant. Restitutio etiam, quae fit per fidem in Christum, in hacce vita ad interna tantum pertinet; ad externa vero vel ideo extendi nequit, quod propter maiorem semper improborum & hypocritarum partem, immo, & propter imbecillitatem illorum, qui vere christiani sunt, statibus eiusmodi externis, quantumuis cum magnis incommodis coniunctis, carere nequeamus. Tantum vero abest, vt fides & religio christiana status eiusmodi, praesertim herilem, tollat, vt potius eidem mirifice inseruiat; cum homines, vera fide imbuti, longe rectius, longe promtius, & maiori fidelitate, dominorum pariter ac seruorum officia praestent, quam reliqui. Quae namque in dominis pariter ac seruis commendantur virtutes, in illis quidem amor, benignitas, mansuetudo; in his obsequium, patientia, industria, ceterae, inter fructus fidei haud vltimum locum tenent.

§. XLIV.

Limites imperium herile in seruos ex fine societatis huius accipit; qui est, vt res familiaris domini conseruetur ac promoueatur, seruusque simul sustentetur. Tanta ergo domini in seruum est potestas, quantam finis huius societatis requirit. * Apud eos autem, qui christiani non tantum vocari, sed

sed & esse, cupiunt, amore cuncta ita sunt temperanda, ne quid, quod durum nimis sit, a seruis exigatur, aeternaeque illorum saluti non minus, quam iis, quae ad hanc-ce vitam pertinent, prospiciatur. **

* Hinc modice castigare seruum licet, si, quae sui sunt officii, non faciat, saeuire in eum, nefas est. Multo minus domino ius vitae & necis in seruum tribuendum est.

** Nec amorem, qui christianos decet, statui seruili repugnare, aut cum eo consistere non posse, existimandum. Namque inter inaequales etiam, non obstante inaequalitate, amorem locum inuenire, etsi diuersa ratione sese exserat, exemplo imperantium, & parentium, in statu ciuili, itemque parentum & liberorum constat.

§. XLV.

Atque hinc &, quaenam dominorum erga seruos sint officia, intelligere licet; nihil scilicet vt ab iis exigant, quod vires illorum superet; *Exod. XX, 10. Deut. V, 14.* quae ad vitae huius sustentationem sunt necessaria, suppeditent, cumprimis autem mercedem adcurate soluant; *Deut. XXIV, 14. 15. Matth. X, 10. Iac. V, 4.* animae denique non minus, quam corporis illorum, curam gerant. Seruorum contra est, honore & obsequio dominos prosequi; fidem, industriam, & patientiam vbique demonstrare, idque non commodi tantum cuiusdam caussa, aut pla-

placendi ſtudio, ſed quod officii, a Deo ipſo demandati, hoc poſtulet ratio; *Eph. VI, 5. 6. ſeq. Coloſſ. III, 22. Tit. II, 9. 10. I. Petr. II, 18.*

* Qui naturam, indolemque, & finem huius ſtatus conſideraverit, ſimul vero generatim, quae amoris, quem chriſtiani erga ſe inuicem teſtari debent, ab omnibus exigat ratio, expenderit, dominorum pariter ac ſeruorum, haec, quae diximus, officia eſſe, non dubitabit. Cumprimis autem in hiſce, aeque ac in officiis coniugum, itemque parentum ac liberorum, immo reliquis omnibus, genuinum illud fundamentum, ex quo procedere debent, probe obſeruandum; quod, ad ſeruos quod attinet, ἁπλοτικῶς Paulus inculcat: *in ſimplicitate cordis tamquam Chriſto*; & iterum: *tamquam ſerui Chriſti facientes voluntatem Dei ἐκ ψυχῆς, ex animo*; rurſus: *cum promtitudine ſeruientes τῷ κυρίῳ, domino, non hominibus &c. Epheſ. VI, 5. ſeq.*

§. XLVI.

In omnibus hiſce, de quibus hactenus diximus, ſtatibus, duo occurrunt extrema, in quorum alterutrum praecipites facile ruunt, qui a recto hic deflectunt tramite. Sic, in doctrina de miniſterio eccleſiaſtico, alterum illorum eſt, qui iſtud vltra, quam par eſt, euehunt, & ex doctoribus imperantes & magiſtratus faciunt; alterum illo-

illorum, qui istud nimis extenuant, & tantum non prorsus repudiant. In doctrina de magistratu ciuili alterum extremum illorum est, qui potestatem eius vltra, quam par est, extentunt, religionem ipsam imperio ciuili subiicientes; alterum illorum, qui imperantes quosuis populi iudicio submittunt, huic reuera summam tribuentes potestatem. In doctrina denique de statu matrimoniali, alterum extremum illorum est, qui ex matrimonio sacramentum faciunt, secundas nuptias damnant, certos homines sine caussa a matrimonio arcent, graduumque consanguinitatis & adfinitatis prohibitionem vltra, quam decet, extendunr; alterum illorum, qui leges matrimoniales pedibus conculcantes, libidini frena laxant, polygamiam, diuortiorum licentiam, similiaque defendunt.

§. XLVII.

Nec ita in hisce omnibus derelicta fuit veritas, quin exsisterent, qui mediam, ceu tutissimam, viam ingrederentur; doctorumque ecclesiae & munus, & potesta-

tem,

tem, limitibus iustis circumscriberent; magistratui, quae illi tribui debebant, tribuenda contenderent; legesque matrimoniales ita custodiendas docerent, vt nec arctiori, quam Deus ipse fecerat, vinculo mortales constringerent, nec petulantiae illorum, qui cuncta, quae volunt sibi licere putant, quidquam concederent.

§. XLVIII.

Cuncta, quae hactenus de statibus hisce commemorauimus, eo comparata esse, vt praxi vitae christianae inseruiant, res ipsa docet. Cumque nemo inueniatur, qui, si non inter doctores, certe inter auditores, si non inter imperantes, certe inter parentes, si non in statu domestico inter superiores, certe inter inferiores locum suum occupet; omnes etiam, cuiuscumque status aut conditionis fuerint, id recte sibi datum credent, vt officia, cuique statui propria, diligenter & adcurate, ita

qui-

quidem, vt christianos, qui fidem suam operibus demonstrare cupiunt, decet, obseruent.

S. D. G.

IENAE
EXCVDEBAT PETRVS FICKELSCHERR.

INDEX

INDEX GENERALIS.

LIBER PRIMVS, de fundamentis & principiis theologiae.

CAP. I. de religione & theologia.

CAP. II. de reuelatione & scriptura sacra.

LIBER SECVNDVS, de fine theologiae.

CAP. I. de Deo, tum qua essentiam & attributa, tum qua personas spectato.

CAP. II. de operibus, quibus Deus in regno naturae sese manifestauit.

CAP. III. de beatitudine hominum, ceterisque, quae eo pertinent.

LIBER TERTIVS, de subiecto theologiae, scilicet homine, tum in statu integritatis, tum in statu post lapsum spectato.

CAP. I. de statu integritatis, vbi de imagine Dei, itemque de foedere operum.

CAP. II. de statu hominis post lapsum, vbi de peccato, tum generatim spectato, tum speciatim originali & actualibus.

LIBER QVARTVS, de causis atque mediis salutis.

CAP. I. de gratia Dei, simulque de foedere gratiae, eiusdemque diuersis œconomiis.

CAP. II. de Christo redemtore hominum.

CAP. III. de fide in Christum, itemque de regeneratione & conuersione.

CAP. IV. de iustificatione hominis peccatoris coram Deo.

CAP. V. de sanctificatione, seu renouatione, vbi & de bonis operibus, deque vnione mystica, & perseuerantia sanctorum.

LIBER QVINTVS, de Sacramentis noui testamenti, deque praedestinatione, itemque de ecclesia, & statibus hierarchicis.

CAP. I. de Sacramentis noui testamenti, baptismo & sacra coena.

CAP. II. de praedestinatione.

CAP. III. de ecclesia.

CAP. IV. de ministerio ecclesiastico, magistratu ciuili, & statu coniugali.

INDEX SPECIALIS PRIOR, LOCORVM SCRIPTVRAE SACRAE, QVIBVS LVX QVAEDAM ADFVNDITVR.

GENESIS.

Cap.	vers.	pag.
I.	1.	182
	2.	182
	26.	179
	27.	364
	28.	365
II.	1. 2.	232. 236
	7.	229
III.	integra historia lapsus	425. 426.
	speciatim	
	vers.	
	1. seq.	239
	15.	482
IV.	1.	488
	25.	489
V.	6.	517
	29.	490
IX.	6.	366
	26.	491
XVII.	13.	498
XVIII.	2 seq.	239
XIX.	24.	180
XX.	7.	586

EXODVS.

VII.	12.	272
XVII.	15.	115
XXIII.	21.	115

LEVITICVS.

XXIII.	5.	509

Cap.	vers.	pag.
	NVMERI.	
XII.	6.8.	53.seq.
XXI.	14.	79
	DEVTERON.	
XVIII.	10.	272
	15.	504
	I SAMVEL.	
XXVIII.	7.	273
	IOB.	
XIV.	5.	296
XIX.	25.26	312.340
	PSALMI.	
XXXIII.	6.	183
XLV.	8.	532.561
CX.	1.seq.	537
	PROVERBIA.	
VIII.	23.	581
	IESAIAS.	
I.	16.17.	658
V.	20.	823
VI.	1.2.	55
VIII.	19.20.	97
XXXVIII.	1.seq.	295
XLVIII.	16.	184
LIII.	6.	600
LXI.	1.	184
LXIII.	3.	586
	8.9.	184
	EZECHIEL.	
I.	3.	55
XLVIII.	35.	115
	DANIEL.	
VII.	10.	252
X.	5.6.	55
	13.	260
XII.	2.	341
	HOS.	
VI.	7.	383
	IOEL.	
II.	28 seq.	61
	MATTHAEVS.	
IV.	1.seq.	239
V.	8.	312
	18.	84
IX.	12.	670
X.	19.20.	63
XI.	27.	554
	28.	670
XII.	31.32.	456
XVI.	16.	542
XVIII.	10.	256
	16.17.	253

Cap.	vers.	pag.
	MATTHAEVS.	
XVIIII.	20.	559
XIX.	16.17.	390
XXII.	16.	589
	32.	339
XXIV.	29.	354
	30.	355
XXV.	31.	348
XXVI.	28.	628
XXVIII.	18.	556
	19.	740.744
	MARCVS.	
I.	1.	489
XIII.	32.	555
XVI.	15.	480
	LVCAS.	
IV.	1.seq.	240
XI.	21.22.	712
XV.	17.	292
XXI.	25.26	355
XXII.	29.	471
XXIV.	39.	242
	IOANNES.	
I.	14.	527.542
	17.	505
	18.	588
II.	24.25.	555
III.	3.	640
	6.	746
V.	21.seq.	558
	19.	593
	25.	558
	27.	557
	28.29.	342
	39.	99
VI.	31.53.	768
	44.	630
VIII.	15.	346
XIV.	2.	322
	6.	650
XVI.	15.	554.588
XVII.	9.	606
	20.21.	591
XVIII.	73.	607
XX.	31.	104
	ACTA.	
VII.	55.	260
XII.	15.	259
XVI.	16.	273
XVIII.	25.	47
XX.	17.28.	849
XXIV.	15.	342

EPIST. AD ROMANOS.

Cap.	vers.	pag.
I.	16.	76. 630
	19.	122
	20.	123
II.	14.	123
	15.	14. 123
III.	30.	633
V.	2.	703
	8.	634
	12. seq.	433
	14.	388
VI.	22.	628
VII.	17.	443
	18.	442
VIII.	3.	470
	23.	702
XI.	25. 26.	353
	36.	216
XII.	6.	32
	7.	587

I AD CORINTH.

I.	30.	644
	13.	744
II.	14.	716
III.	2.	47
V.	7. 8.	518
X.	16.	772. 773
XI.	20.	756
	27.	772
	28.	777
XII.	3.	630
XIII.	12.	312
XV.	24.	609

II AD CORINTH.

IV.	4.	642
V.	8.	336
	20.	847
VII.	10.	670
X.	13. seq.	89
XIII.	13.	187

AD GALATAS.

IV.	4.	522
	24.	506
V.	2. 3.	498
VI.	16.	89

AD EPHESIOS.

I.	3.	759
II.	8.	633
III.	19.	710
IV.	11.	594
	24.	372

AD PHILIPP.

Cap.	vers.	pag.
II.	6. seq.	566
	9. seq.	472
III.	21.	556
	16.	89
IV.	7.	699

AD COLOSSENSES.

I.	16.	93. 242. 253
II.	3.	555
	9.	553

I THESSALON.

V.	23.	709

II THESSALON.

II.	4.	827
	6.	831

I TIMOTH.

II.	5.	586
	14.	428
IV.	14.	844
V.	21.	256
VI.	20.	41

II TIMOTH.

I.	6.	844

TIT.

II.	12.	13.
III.	5.	650. 741

AD EBRAEOS.

I.	1.	53
II.	14.	538
IV.	15.	531
V.	1.	596
	13. 14.	710
VI.	4.	459
	13.	171
VII.	22.	513
VIII.	5.	596
IX.	14.	658
	12.	595
X.	11.	597
XI.	39. 40.	514

I PETRI.

I.	23.	630
III.	18.	574
V.	1. 2.	859
	8.	268

II PETRI.

I.	19.	63
	21.	63
II.	5.	491

I EPIST. IOANNIS.

II.	18.	825
III.	9.	443
V.	16.	460

EPIST. IACOBI.

Cap.	vers.	pag.
II.	17.	638
	22.	587
	23.	699
IV.	12.	847

EPIST. IVDAE.

vers.	6.	263
	9.	260
	14. 15.	490

APOCALYPSIS.

Inscriptio eius		34
III.	17.	702

APOCAL.

Cap.	vers.	pag.
V.	11.	252
	12.	556
XVII.	1. 2. 4.	828. 829
	5.	930
	6.	829
	18.	801
XVIII.	24.	829

Loca hisce parallela simul explicari, vt moneamus, necesse non est.

INDEX SPECIALIS POSTERIOR.

A.

Abnegatio sui 717
Absolutum decretum, vid. *Decretum.*
Actiones bonae malaeue quae? 292
Actus animales & spirituales 646. paedagogici 648
Adam, eius creatio 228. an caput foederale & naturale? 388. 389. eius lapsus 425. seq. 429
Adfectus, eorum corruptio 423. 424. vtrum ad spiritus perfectiones pertineant? 162. an in Deum cadant? 162. in quantum excusent peccata? 453. sunt caussae peccatorum actualium 446. quo pacto sese habeant in regenitis? 720. sunt vel spirituales, vel naturales 720
אדני nomen diuinum 114
Adoratio, videatur *cultus religiosus.*
Adpetitus sensitiuus 422. eius pugna cum ratione 423. haec quomodo a lucta carnis & spiritus differat? 723. eius conditio in regenitis 721
Adsensus diuinus, humanus, 68. 622. actus fidei 622. generalis & specialis 624
Aedificatio spiritualis 710
Aeternitas quid? 176. 330. *Dei* 176. an sine successione? 176. mundi 209
Agenda quo sensu credendis opponantur? 25. veritas eorum 71
אלהים, eius etymon & vsus 116. indicat pluralitatem personarum diuinitatis 117. constructio vocis cum pluralibus 119
Allegoricus sensus sacrae script. 82
Αλλοίωσις 546
Amicitia cum Deo 699
Amor Dei 163. fundamentum omnium diuinorum axiomatum 163. *piorum* seu regenitorum 717
Anabaptismus reiectus 755
Analogia fidei 32. 87. vtrum sit norma interpretandi sacram scripturam? 87
Angelus, ita vocantur spiritus 235. quod sint creati, *ib.* quando? 236. existentia eorum demonstrata 237. itemque immaterialitas 240. facultas intellectus 244. quaenam, & quomodo cognoscant? 244. seqq. 312. 313. voluntas libera & adfectus 248
Potentia eorum communicandi cogitationes suas cum aliis 249. siue loquela angelorum 249. agendi in corpora 250. an miracula edere possint? 251
Numerus eorum, ordines & discrimen 252. hierarchiae 253. status eorum diuersi 254. vbi dantur
Angeli boni 255. horum beatitas & gloria 256. operationes 257. ministeriales, vt inseruiant singulis ceu tutelares 258. integris statibus 259. vtrum adorandi? 201
Angeli mali, horum lapsus & peccatum primum 262. princeps 264. poenae priuatiuae & positiuae, 265.

265. cur seruatorem non fuerint nacti? 265. operationes malignae eorum 267. in obsessis 269. in magia & pactis 270. in adparitionibus spectrorum 274. an Deus ministerio eorum vtatur? 268
Anima humana, vbi considerandа origo animae *Adami* 229. *Christi* 530. *posterorum Adami* 432. an per creationem, an per traducem? 432. quod sit distincta a corpore substantia 229. non materialis 229. nec mortalis 10.230. an post mortem superstes sit, & agat? 337. an ceu spectrum adpareat? 275. Status animae post mortem 337. an in ea sit principium, per naturam ad mala determinans? 414. an plures animae in vno homine sint? 230
Antichristi reuelatio 352. characteres 825. omnes in Romanum pontificem quadrant 830. plurimis ecclesiam malis adfligit 824. eius sedes 830
Apocalypseos inscriptio 34
Ἀποκατάστασις πάντων. explicatio denominationis huius 330. argumenta negantia illam 330
Apocryphi libri, vnde ita dicti, & quinam sint? 93. in veteri testamento 94. quid distent a canonicis & ecclesiasticis libris? 93
Apostolorum missio diuina 193
Ἀποτελεσμάτων communicatio 549
Aquae supra-caelestes 222. inferiores, *ib.* harum collectio quomodo & quando facta? 222
Arbitrium liberum 378. 438. conf. *libertas voluntatis.*
Arbor scientiae boni & mali 379
Articuli fidei christianae quinam, & quotuplices? 25. puri, mixti, 25. concatenati cohaerent 25. distinctionis in fundamentales & non fundamentales vsus & necessitas 26
1. *Articuli fundamentales*, duplici fundamento nituntur 26. characteres & methodus inuestigandi, quinam sint fundamentales 27. quinam isti sint, &, an in symbolo apostolico omnes contineantur? 29
(a) *Primarii* articuli, iique duplicis generis 30
(b) *Secundarii* 31
2. Quinam sint *articuli non fundamentales?* 32
Atheismus, quid distet a polytheismo? 9
Attributa Dei secundum rationem 9. secundum sacram scripturam 132. ἐνεργήτικα, & ἀνενέργητα, 551. vid. in *Deus.*
Attributa Christi diuina 192. seq. iis se abdicauit 566
Auxilia gratiae 676. 466

B.

Baal-Ob 273
Baptismus, sacramentum initiationis 739. an iterari queat? 754. eius necessitas 742. 754. successit in locum circumcisionis 755. baptismus Ioannis 740
Caussa efficiens 740. instrumentalis, siue, quinam baptizare possint? 741
Materia terrena quaenam adhibenda? 740
Forma 743. an per immersionem, an vero per adspersionem peragendus? 743. verba institutionis simul adhibenda 744. vtrum baptizari quis possit in solo nonune Christi? 744. formulae baptizandi 744
Obiectum, quinam sint baptizandi? 745. an infantes? 746. sq.
Finis & *effectus* baptismi 751. in infantibus 752. in adultis 752
ברא 211
Beatitudo Dei 177. in genere quid sit? 177. hominum 306. in statu integritatis 390. in hac vita 306. 307. post mortem 308. an expectanda sit 310. quo in consistat? 311. seq. eius aeternitas, 331. errores varii in hac doctrina 357
Biblia vid. *sacra scriptura.*
Bonitas omnium creatorum 281. 231. an plus boni quam mali reperiatur in mundo? 282

Bonum summum 113
Bona opera quae? 730. norma eorum 732. finis 731. sunt effectus fidei 627. eorum imperfectio 733. spontaneitas 733. necessitas ad salutem 733. an sint praesentia in actu iustificationis? 697

C.

Caelum & terra 217. eorum conseruatio 283
Canonis vox quid denotet? 88. facti canonis constitutio, an, qua auctoritate, quando facta? 91. 93
Canonica auctoritas sacrae scripturae 88 libri canonici quinam? 94
Canonicae epistolae 89
Capernaitae 768
Caritas, quomodo differat a fide? 627
Caro 713
Catechetica theologia 47. eius origo & fata 47
Catholicae epistolae apostolor. 89
Causae occasionales 286. secundae, earumque actiones 286
Certitudo theologica 37. fidei 634. in fucoris 14
Chaldaica lingua in quibus sacrae scripturae locis occurrat? 66
Chaos 218
Christiani officio imperantium recte fungi possunt 854
Christus, seu Messias 522. vocis explicatio 580. vide *Iesus Christus*.
Circumcisio an sacramentum verum? 499. 502. origo eius diuina 493. signa eius externa 493. mystica significatio 494. an gratiae particularis signum? 488. minister circumcisionis 494. 495. finis proximus 497. quinam circumcidendi? 495. quando, & an differri potuerit? 496. duratio huius sacramenti 498. in eius locum baptismus cessit 755
Codicis sacri integritas 107
S. Coena, cuius 1) *nomina* varia 756. 2) *origo* & institutio 756. ad omnes plane homines pertinens 756. 3) *causa* efficiens principalis & impulsiua 758. efficiens minus principalis, *administer ecclesiae*, qualis sit oportet 760. duplex eius officium (a) *consecrationis*, cuius modus & forma 761. vis & efficacia 763. (b) *dispensationis* officium peragitur fractione panis 763. 4) *materiale* sacrae coenae. (a) *terrenum*, seu symbola eucharistica α) *panis* qualis & quantus esse debeat? 764. quale vinum adhibendum? 765. (b) *caelestis* materia, caro & sanguis Christi realiter praesentes 765. per vnionem sacramentalem 765 sq. non per transsubstantiationem 773. 5) *Formale*, vsus sub vtraque specie 774. an sacra coena sit sacrificium propitiatorium 775. vid. *Missa*. 6) Obiectum, quinam admittendi sint? 777. 7) *Finis* & effectus 780
Cognitio Dei naturalis insufficiens 15. vid *religio naturalis*. hominum in statu integritatis 369. in hac vita 313. in vita aeterna 312. angelorum 344. seq. quae ad fidem necessaria 620
Comminationes an locum habeant in foedere gratiae? 476
Communicatio idiomatum 545. v. in *idioma*.
Communio naturae 540
Communio cum Deo 306. priuatio eius vehit summam miseriam secum 324
Communio 756. vid. *S. coena*.
Conciliorum canones quousque obligent? 408. vtilitas 819. origo 819
Concursus Dei ad causas secundas 285. ad actiones malas 293
Conscientiae dictamen naturale 13. pax 698. quid ea proprie sit? 13. 14. tribunal 14
Conseruatio rerum omnium 285. opus Christi 191
Consummatio saeculi 355. 356
Contritio 669. legalis & euangelica 674
Controuersiarum theologicarum iudex & norma 96
Conuersio, quid a regeneratione differat 2. 652. transitiua & intransi-

transitiua 653. 654. circa finem vitae 680. eius iteratio 680
1) *intransitiua* conuersio, vid. *poenitentia.*
2) *transitiuae* conuersionis a) *caussa efficiens*, Deus, 673. speciatim Christus 193. instrumentalis 673. b) *Terminus a quo* & quidem (α) *formalis*, peccata actualia 656. originale & habitualia 657. seq. (β) *obiectiuus*, mundus 660. c) *Terminus ad quem*, obiectiuus, 661. 662. formalis 662. 663. abolitio peccatorum quomodo fiat? 663 d) *Mutatio*, quae contingit 668. e) *Partes essentiales*, contritio, 669. fides 671. 672. propositum non peccandi an pars conuersionis? 672. f) *proprietates*, quod iterari queat 680
Conuersio insignis Iudaeorum & ethnicorum 553
Corpus hominis in statu integritatis 374. eius immortalitas 375. eius conditio in regenitis 721. eius sanctificatio 721
Creationis 1) *definitio* 212. 2) *caussa efficiens* scilicet trinitas 213. 214. 3) *modus*, est mysterium 215. an per emanationem 215. an per mechanismum? 216. 4) *Tempus*, an successiue facta? 217. sextiduum creationis explicatur 217. seq. 5) *Obiectum*, seu res, quae creatae sunt, coelestia & terrestria 218. seq. homo 228. angeli 235. 6) *Caussae*, *materia & forma* 233
Creare verbum 211
Credenda, quo sensu ab agendis distinguantur? 25. eorum veritas 71. vid. *Articuli fidei.*
Cultus religiosus soli Deo debetur 7. 11. & Christo secundum humanam naturam 561. ad eum obligati sumus 12. quo in consistat? 12. non tribuendus angelis 300. conf. *Religio.*
Cultus Dei externus in statu integritatis 379
Culpae reatus 411. per iustificationem tollitur 688

D.

Damnatio angelorum 265. impiorum hominum 323. infantum gentilium 329. 2) *Duratio* 328. 330. in hac vita incipit 323. in aeternum durabit 330. 3) *Certitudo* eius 324. 4) *Caussae* 331. *Finis* 331. 5) *Locus* 331. 6) *Poenae* priuatiuae & positiuae 325. 326. cruciatus animae 326. corporis & sensuum externorum 328. an peccata continua huc pertineant? 327. 7) *Gradus* damnationis 328. Errores in hac doctrina 358
Decalogi vniuersalitas 403. interpretatio spiritualis 405
Decretum absolutum 294
Decreta diuina 159. seq. qua ratione innotescant? 788. tria praecipua 159
Descensus Christi ad inferos 573
Deus, an sit vocabulum naturae, an dignitatis? 120. Eius 1) *nomina* ebraea 114 seq. graeca 120. 2) *Existentia* demonstrata 122. ex ratione 1. 122. seq. ex sacra scriptura 130. ex notitia de Deo insita 122. ex notitia adquisita 127. 3) *Quid* sit, siue *attributa?* 132. (α) e natura spiritus fluentia 135. seq. vnitas 10. 136. bonitas 136. veritas 137. simplicitas 139. immutabilitas 137. vita 138. omniscientia 140. praescientia futurorum 140. cogitationes Dei quomodo considerandae? 144. sapientia eius 10. 145. voluntatis libertas 147. decreta 159. affectus 162. virtutes 162. sanctitas 164. iustitia 165. veracitas 170. gratia 171. omnipotentia 156. imperium in mundum 167. auctoritas legislatoria 148. (β) e notione independentiae fluentia 173. seq. infinitas 10. 172. immensitas & omnipraesentia 173. aeternitas 175. beatitudo & gloria 177. 4) *Trinitas* personarum 177. seq. vid. *Trinitas.* 5) *Opera* Dei ad intra 200. ad extra, creatio, 214. conseruatio 276. redemtio 192. sanctificatio, v. I. I.

Deus an sit caussa peccati? 409. 433. 450
Dei cultus, vid. *Religio* & *cultus*.
Dei dextra quid? 560. Sessio ad eam 560
Diabolus 264. seductor primorum parentum 425. caussa peccatorum 447. an in mentes hominum agere possit? 447
Διαθήκη 479
Dies extremus, vid. *iudicium*.
Διοίκησις Dei 277
Diuinandi facultas naturalis 142. seq.
Dominium Dei quid ab imperio differat? 167. hominis in res creatas 377. vniuersale & particulare 378. an in statu integritatis locum habeat? 377. an in eo imago diuina consistat? 377
Dona spiritualia 709. naturalia 711

E.

Ebraea lingua 66
Ecclesiae status emendatior, an sperandus? 353. auctoritas in constituendo canone sacrae scripturae 89. an principium cognoscendi in theologia? 95
Ecclesia quid? 798. an coetus, ex hypocritis & vere credentibus compositus, hoc nomine veniat? 810. 2) *Caussa efficiens* 806. 3) *Forma* in quo consistat? 806. in quantum cum re publica conueniat? 802. 4) *Finis* 807. 5) *Adfectiones* 808. 6) *Diuisiones* est vel militans, vel triumphans 799. vel vniuersalis, vel particularis 808. hae iterum vel simplices, vel compositae 809. vel vera, vel corrupta 810. vel visibilis, vel inuisibilis 811. vel repraesentatiua, vel synthetica 817 7) *Vsus* huius doctrinae 833
Εγγαστρίμυθοι 273
Electio ministri ecclesiae a tota ecclesia fieri debet 838. non per sortes diuinatorias 839
Electio quid a praedestinatione distet? 792. vid. *Praedestinatio*.
Elohim vid. אלהים.
Emanatio creaturarum ex Deo 215
Eruditio humana & diuina 716
Essentia diuina 199. vid. *Deus*.
Ethnicorum virtutes 732. infantes an damnentur? 329
Ευσέβεια & ἀυσεβὴς quid? 8
Euangelium, vocis huius significatus latior 480. strictior 481. eius definitio 481. an ad vetus testamentum pertineat? 481. vniuersalitas eius 482. 483. an damnatis a Christo adnuntiatum? 574. Promulgatio eius 483. primum 482. an comminationes secum ferat? 476
Exaltatio Christi 570. seq.
Exegetae requisita 85
Exegetica theologia 81. eius summa 81. seq.
Exinanitio Christi 565. seq.
Exorcismi cum baptismo coniunctio 754
Experientia rerum diuinarum 83. docet exsistentiam Dei 122

F.

Fatum, eius impietas 295. in termino vitae praestituendo 294
Felicitas humana, e cultu Dei originem trahens 12. vid. *beatitudo*.
Fides vocis significatus varii 618. 619. eius fundamentum reale & dogmaticum 25. seq. an ad intellectum, an ad voluntatem pertineat? 627
Fides in Christum vnica via ad salutem 16. 618. etiam in veteri testamento 504. Eius 1) *Actus* 619. scilicet (α) *Cognitio* explicita necessaria 620. (β) *Adsensus* diuinus specialis 622. *Fiducia* 624. 2) *Subiectum* quo 627. 3) *Effectus* & *finis* bona opera & beatitudo 632. 4) *Caussa* efficiens principalis 629. instrumentalis 630. impulsiua 630. 5) *Subiectum* quod; an Deus omnibus hominibus dare velit? 630. 6) *Adfectiones*; vnde quis certus esse possit, quod fidem habeat? 634. an amitti possit? 635. an recuperari? 636
Fides iustificans 696. quod sola iustificet 696. an passiue se habeat

beat? 697. sine bonis operibus sibi non constat 697
Fides historica 637. temporaria 638. mortua, viua 638
Fides naturalis, vid. *lumen internum.*
Fidei articuli 25. seq. vid. *Articuli.*
Fidei analogia, vid. *Analogia.*
Fides & ratio collata, liber, 14
Fiducia est actus fidei 624. eius necessitas 626
Filius Dei 200. cur vnus ex tribus diuinitatis personis homo factus? 524. vid. *Iesus.*
Filii Dei, quomodo pii fiant? 700
Filiatio, opus Dei ad intra 202
Foedera varia Dei cum hominibus 382. seq.
Foedus operum, legale, naturale, 385. in statu integritatis 385. eius personae contrahentes 387. conditio foederis 389. promissiones 390. comminationes 391
Foedus gratiae 471. vbi partes contrahentes 473. promissa 474. conditio 475. comminationes an locum habeant? 476. eius vniuersalitas 473. promulgatio 482. seq. oeconomiae tres 487. 488
Foedus particulare Dei cum Abrahamo 492. seq. vniuersali gratiae non obstat 493
Fuxitio Dei 306
Futurorum praescientia 1) *naturalis* 141. 2) Dei praescientia contingentium 141. conditionatorum 141. 3) angelica 245

G.

Gaudium pars beatitatis aeternae 320
Generatio aeterna filii Dei 1) *activa* 202. passiua 202. in tempore ex Maria 526
Genius, seu angelus tutelaris 258
Gentium omnium de Deo notitia vniuersalis 25
Gloria Dei 177
Γνῶσις ψευδώνυμος 40
Gratia Dei vniuersalis 467. non tollitur per foedera particularia cum Abrahamitidis 493
Gratia diuina quid? 493. eius actus formales quatuor 466. media, *ib.* operans, cooperans, praeueniens 676. excitans & praeparans 677. conseruans in sanctificatione 729. eius resistibilitas 678
Gubernatio Dei, circa actiones humanas 288. mentis humanae 289. circa actiones malas 292

H.

Habitus praui quomodo abolean-tur in conuersione 659
Haeresis & *haeretici* qui? 38. an a magistratibus coërcendi? 857
Harmonia scriptorum sacrorum 73
Hereditas fidelium 702
Hermeneutica sacra, vid. *Interpretatio sacrae scripturae.*
Hexaëmeron 217. seq.
Hierarchiae angelorum 253
Hominis creatio 228. terminus vitae 294. anima 229. an plures habeat animas? 230. an hodienum imaginem Dei habeat? 393. 394
Homo primus an immortalitate corporis gauisus 375
Homo vetus 713. nouus 714

I.

Iah, nomen diuinum 114
Idea Dei innata 122
Idiomatum communicatio 545. quomodo differat a communicatione naturarum? 545. eius tria genera 1) ἰδιωμάτων 546 seq. 2) ἀυχημάτων 549. seq. 3) ἀποτελεσμάτων 563
Iehoua nomen diuinum 115. soli Deo proprium 115
Iesus Christus consideratus (1.) *Qua personam, & naturas* 523. Quot sint in eo personae? 524. 1.) *natura diuina* eius 524. 525. quot naturae 524. generatio aeterna a patre 525. 526. distinctio a patre & spiritu sancto 199. seq. eius attributa diuina 189. opera diuina 191. an spiritus sanctus ab eodem procedat? 201. 2.) *natura humana* per incarnationem adsumta 526, quod

quod verus homo sit 527. 530. natiuitas eius ante mundum 188. animae eius humanae origo 530. & ἐξοχὴ prae aliis 531. seq. corporis forma & ἐξοχὴ 531. seq. an natura humana propriam habuerit subsistentiam 530. 531. *Vnio, & communio* vtriusque naturae 532. seq. 539. seq. an secundum humanam adorandus? 561. eiusdem operationes diuinae 562
(II.) Qua *statum duplicem* 565. 1.) *Exinanitionis* 566. imbecillitates humanae 567. paupertas 568. passio 568. 2.) *Exaltationis* 570. descensus eius ad inferos 573. resurrectio 576. adscensio in caelum 577
(III.) Qua *officium* 580. ad quod vnctus 580. quod Iesus sit Messias promissus 581. eius regnum triplex 584. α) *regium* 607. β) *propheticum* 586 vnde exemplum eius imitandum 590. miracula eius 592. 3) *Sacerdotale* 595. caput est ecclesiae 802. non indiget vicario in terris 803. eius comparatio cum agno paschali 511. satisfactio 597. intercessio 605
Ignorantia, quatenus peccata excuset? 445
Illuminatio Spiritus sancti an ad interpretandam sacram scripturam necessaria? 76. tribuitur Christo 193. in quo consistat? 641. ad solos regenitos spectat 642. non est prior regeneratione 643
Imaginationis exorbitantia 421
Imago in genere quid? 365. quomodo ab similitudine differat? 366
Imago Dei quid? 363. homini concreata 364. an post lapsum superstit? 416. restauranda in fidelibus 319. An naturalis fuerit homini? 374. In quo consistat? 1) ratione intellectus 368. seq. 2) ratione voluntatis 371. seq. 3) ratione corporis 374. 4) ratione statuum externorum 376. An in dominio in res creatas consistat? 377. Errores in hoc doctrinae capite 395
Imago trinitatis an homini a natura insit? 368
Immortalitas corporis humani in statu integritatis 375. animae 337
Impeccabilitas bonorum angelorum 256. beatorum hominum 318
Imperium Dei in homines 167. ciuile an in statu integritatis locum habeat? 376. eius origo a Deo 851. vel immediate vel mediate 853
Imperans religionis curam habere debet 856. iure circa sacra gaudet 856. constituendi ministros ecclesiae 856. erigendi scholas 856
Imputatio peccati 411. seq.
Incarnatio Christi 527. an per mutationem, aut confusionem facta? 528
Indifferentismus religionum 38. duo eius genera 39
Infantes baptizandi 748. 631. ante baptismum morientes 749. gentilium 329
Infernalis ignis 328. vid. *damnatio*.
Infinitas Christi 190. Dei 175
Insita notitia Dei 9. 122. principiorum practicorum 402
Inspiratio diuina sacrae scripturae fons 59. pertinet ad res notas 62. quomodo differat a reuelatione? 62. modus 63
Inspirationes immediatae hodiernae, vid. *reuelationes*.
Instituta diuina in statu integritatis 59
Intellectus corruptus 417. vid. *ratio*.
Intercessio Christi pro omnibus 605
Interpretatio sacrae scripturae 81. 1) *finis* eius proximus 81. quis sensus verus 82. 2) *conditio* subiecti, &, an sine illuminatione fieri queat? 65. 3) *media* interpretandi, & principium 85. seq. adminicula 88

Interpres sacrae scripturae verus quis? 85
Ioannis baptismus 740
Ioannes cur theologus dictus? 34
Irregeniti an sactorum cognitionem veram habeant? 45. & theologi dici queant? 44. an illuminati dicendi? 642. & ad sacram coenam admittendi? 778
Iudaei quomodo de mysterio trinitatis hodie conuincendi? 185. seq. eorum insignis conuersio 353
Iudicium extremum erit opus Christi 194. an & sanctorum 344. iudex 345. iudicandi 348. processus eius 349. locus 351. an tempus definiri queat 351. signa antecedentia 352. seq. quod olim certe sit futurum 344
Iuramentum Dei 171
Iura maiestatica 856
Ius circa sacra 856. quo in consistat 856
Ius naturae an in statu integritatis fuerit 380. an cum eo desierit 394. eius origo 13
Ius Dei in res creatas 167
Iustitia Dei 9. 166. an recte in rectoriam & aequatoriam distribuatur 166. seq.
Iustitia originalis hominis 370
Iustificationis 1) vocis significatio 685. notio forensis *ib.* 2) *Subiectum quod* 686. 3) *Terminus a quo* 687. 4) *Terminus ad quem* 688. 689. 5) *Caussa* efficiens, iudex, 689. meritoria 691. impulsiua interna 691. externa 692. an fides inter caussas pertineat 695. an bona opera 693. 6) *Forma* 697. an in imputatione iustitiae Christi consistat 697. 7) *Effectus* 698. 8) *Adfectiones*: veritas 701. certitudo 702

K.

Κύριος an Iehouae nomen exprimat 20

L.

Lapsus primorum parentum in quibus consistat actibus 429. eius historia explicatur 425
Lex diuina quae 11. 12. vniuersalis & naturalis 400. eius promulgatio vniuersalis 401. positiua vniuersalis 407. particularis 407
Lex est speculum axiomatum diuinorum 367. comminationes habet 476
Lex caerimonialis seu forensis 408
Lex humana quousque obliget 408
Libri bellorum domini 79
Libri sacrae scripturae deperditi 78. 79. canonici 88. apocryphi 94
Liber vitae, inscriptio in eum 792
Libertas voluntatis & Dei 147. in statu integritatis 373. post lapsum 438
Liberum arbitrium 373. 438
Lingua, qua sacra scriptura consignata 66
Λόγος dat subsistentiam humanae Christi naturae 534
Lucta carnis & spiritus 723. quomodo differat a pugna rationis & adpetitus sensitiui 723
Lumen substantiale internum vniuersale 14
Luna quomodo luminare magnum dicatur 224
Lustrationes & purificationes veteris testamenti & gentium 411
Lux primigenia 217

M.

Macula moralis 411
Magia non est impossibilis 270. sq.
Mala adparentia 281. an plura dentur, quam bona 282
Mali origo 231. 281
Materia an ab aeterno exstiterit 210. an ipsi concreata vis motrix 216
Matrimonium originem ducit ex institutione diuina 858. ad cuius normam merito exigitur 858. an in statu integritatis locum habuerit 376
Mechanismus 216
Media scientia Dei 144
Memoriae vitia 421
Meritum Christi an caussa impulsiua resurrectionis impiorum recte dicatur 343. v. *Satisfactio. Meritum*

Meritum operum vbi locum habeat 385. an consistere queat cum fide 475. an iustificet 697
Messias quis 581. vid. *Iesus*.
Metalla an & quando creata 223
Methodus tractandi theologiam 46.47. cognoscendi imaginem Dei 365.seq.
Ministri ecclesiae iure diuino omnes sunt aequales 848. eorum officia 850. conditio in administrandis sacramentis 500. speciatim baptismo 741. sacra coena 760. auctoritas a Deo 594. potestas 845. publice docendi 846. administrandi sacramenta 846. remittendi & retinendi peccata 846
Ministerium ecclesiasticum ecclesia repraesentatiua nominatur 818
Miracula qua ratione fiant 149. sunt diuinae virtutis 158. an & ab angelis patrari queant 251. a Christo secundum humanam naturam edita 192
Misericordia Dei 172
Missa 775
Morbi vnde 439. an Christus iis obnoxius fuerit 531
Mors spiritualis & aeterna 323. temporalis vnde 335. seq. quis status eam insequatur 337. piorum mors an poena 336
Mortuorum resurrectio 338.343. an euangelium iis sit adnuntiatum 574
Moses pentateuchi auctor 21.22. primus & antiquissimus scriptor θεόπνευστος 21. mediator antiqui foederis 503
Mosaica religio, vid. *Religio*.
Motus vnde 216.286
Mundus creatus 209. seq. an ab aeterno 209. eius materia 210. an sit infinitus 217. an sit perituru 355.356
Mundus hostis piorum 449
Mysteria quae 72. sunt ad religionem reuelatam necessaria 24
Mysticus sensus 82

N.

Naturae duae Christi, vid. *Christus*.
Natura humana docet Deum 7. 122. corrupta 416
Natura pro peccato inhaerente 713
Naturale conscientiae dictamen 13
Naturales actus in regeneratione 646
Naturalis religio, vid. *religio*.
Nazarenus 523
Nomina diuina ebraica 114. graeca 120. Christi 522. Spiritus sancti 196
Nomen Dei proprium 115
Notiones personales diuinitatis 201
Notitia Dei & legis insita 13. 122. 402

O.

Obedientia in statu integritatis 389. actiua & passiua Christi 597
Obsessi an dentur 269
Oculi corporei an Deum sint visuri 311
Oeconomia gratiae & foederum diuinorum 487. seq.
Officia christiana 730
Omnipotentia Dei 156. filii Dei 190. 555. Spiritus sancti 196
Omnipraesentia Dei 174. piis 175. filii Dei 190. 558. Spiritus sancti 196
Omniscientia Dei 140. Christi 555. 190. Spiritus sancti 196
Opera Dei ad intra & extra, vid. *Deus*.
Opera bona, vid. *bona opera*.
Ordo salutis 27
Ordinatio ministri ecclesiae merito in ecclesiis nostris retinetur 841. eius effectus 842. a quibus peragi possit 843

P.

Pactum inter personas trinitatis de redimendis hominibus 469.471 Dei cum hominibus, v. *Foedus*.
Paedobaptismus 746
Papa vid. *Pontifex*.
Pascha vox 507. sacramentum a Deo institutum 507. finis, scilicet gratiae diuinae collatio 512. materia & forma 509. tempus, & an sacrificium fuerit 509. quinam comedere potuerint 512. quomodo edendum 510. 511. mystica eius significatio 511

Patris

Patris nomen quomodo Deo competat 200
Patriarcharum studium propagandi veritatem 488. foedus gratiae 488. cultus externus 492. sacramenta 499
Pax cum Deo 698. conscientiae 698
Peccatum in genere in quo consistat 399. sq. causae peccati 409. an Deus 409. effectus 411. quotuplicis generis 414. an determinatio quaedam ad peccata sit in mente hominis 414. an poena peccatorum sint alia peccata 450 prouidentia Dei circa ea 293
Peccatum originale 1) *quid* sit, & quo in consistat 416. 417. 421. eius sedes 435. quod reuera detur in homine 416. 2) *Origo* eius 425. quod propagetur ad posteros 431. 3) *Caussa* remota 426. propinqua 429. An Deus huc pertineat 433. 4) *Grauitas* eius 416. sq. 438. quod iure imputetur 431. sq. & poenam promereatur 432. 5) *Vniuersalitas* eius 435. 431. & reliquiae in sanctis 441. 442. 6) *Effectus* 440. Est vel regnans vel non regnans 440. Quomodo ab iis conuertatur homo 657
Peccatum actuale 444. seq. 1) *quid*, & quomodo differat ab actuali 444. 2) *Caussae* 444. ignorantia 445. peccata praecedentia 446. 450. Deus an caussa 433. 3) *Effectus* 451. 4) *Varia genera* eius 452. commissionis & omissionis 452. proaeretica & inuoluntaria 452. 453. mortalia & venialia 454. clamantia 455. consuetudinis 659. 5) *Gradus* & an omnia peccata sint aequalia 454. quomodo ab iis conuertatur homo 657
Peccatum in Spiritum sanctum 455. quomodo a reliquis generibus differat, eiusque characteres 456. 457. seq.
Περιχώρησις naturarum in Christo 540
Perfectio christianorum quo sensu asseratur 727
Personarum trinitas 177. 178. seq.
Persona quid 199. vnica in Christo 524
Personalis actus 200. proprietates 201. notiones 202
Petrus vicarius Christi non est constitutus 805
Philautia praua 421
Piorum mors an poena 336
Poena consequens peccati 412. damnatorum 169. priuatiua 324. positiua 325. eius gradus 328. caussae 331. naturalis poena 11
Poenitentia ecclesiastica 655
Poenitentia vocis varii significatus 655
Poenitentia quotidiana 724
Polytheismus 110. 136
Possibile & impossibile quid 156. 157
Pontifex Romanus non est vicarius Christi 805
Praedestinatio ad vitam aeternam 786. 787. vbi 1) *ordo & actus* varii 789. 2) *caussae* 793. 3) *quinam* praedestinentur 793. 4) *Finis* 793. 5) *Adfectiones*, aeternitas, immutabilitas, particularitas, certitudo 794
Praemia bonorum 10. 166. seq. vitae aeternae, vid. *beatitudo*.
Principium cognoscendi in theologia 94. seq.
Principia rationis an corrupta 418. seq. practica insita 402
Processio Spiritus sancti 202. vid. *Spiritus sanctus*.
Πρόγνωσις 278
Promissiones Dei spirituales in veteri testamento 503
Propheta quis 586
Prophetae veri quibus criteriis dignoscantur 57. reuelationum sibi factarum conscii 56
Prophetiae donum an perpetuum in ecclesia 59. an hodienum duret 59. eius obiectum 59. veritatis criteria 57. varii eius modi 53
Propheticum officium Christi 586
Propositiones personales 541. an accidentales dici queant 543
Πρόθεσις Dei 277
Prouidentia Dei 276. vbi demonstratur 1) *quod detur* 276. 278. 2) *quid* sit 277. eius actus triplex 277.

277. 3) *Obiectum* 283. Prouidentia se exserit circa reuelationis verae propagationem 61. sacrae scripturae integritatis conseruationem 107. circa actiones humanas 288. peccata 293. nativitatem hom. 291. mortem 294
Πρωτευαγγέλιον 20
Pugna rationis & adpetitus sensitiui 723

R.

Rationis vox quotupliciter sumatur 417. seq. corruptio 417. seq. infirmitas & insufficientia ad salutem 15
Ratio recta quid 418. Leges universales & Deum docet 406. vid. *religio naturalis.*
Rationis principia quotuplicia 418
Rationis pugna cum adpetitu sensitiuo 422
Redemtio hominum opus diuinum Christi 192. non inuite factum 471. vid. *Satisfactio.*
Regenerationis 1) *descriptio* 638. comparatio cum generatione naturali 639. 2) *Terminus* a quo, & ad quem 640. 3) *Actus*, an substantialis fiat mutatio 649. 4) *Causa* efficiens principalis 193. 649. impulsiua 650. 5) *Subiectum* 650. 6) *Forma* 650. 7) *Finis & effectus* 652. 8) *Adfectiones*, necessitas, amissibilitas, &c. 652
Regenitus quibus donis gaudeat 709. eius animi corporisque conditio 715. seq. imperfectiones & reliquiae corruptae naturae 712. vid. *regeneratio.*
Regnum Christi 609. triplex 610
Religionis in genere descriptio & etymologia 8. origo 8. necessitas 8. quis eius sit capax 7. veritas vnde cognoscatur 17. an sine mysteriis quaedam religio esse possit 24. vid. *cultus religiosus.*
Religionis naturalis praecipua capita 9. seq. de Deo 9. seq. de immortalitate animae 10. de lege 10. de cultu Dei 12. de necessitate reuelationis 16. eius insufficientia ad salutem 15. 19. vtilitas in theologia 17
Religionis gentilis origo 20
Religionis patriarchalis reuelatae veritas 29. vniuersalitas 20. propagatio per traditionem *ib.*
Religionis Mosaicae veritas 21. vniuersalitas 22. an discrimen constituat inter gentes & Iudaeos 22
Religionis christianae veritas demonstrata 23. 24. vniuersalitas 23. caput doctrinae praecipuum 26. articuli fidei, seu dogmata fundamentalia 26
Religiosi 8
Renouatio, vid. *Sanctificatio.*
Reprobationis decretum 794
Restitutio omnium, vid. ἀποκατάστασις.
Resurrectio mortuorum, opus Christi diuinum 343. quod olim futura sit 340. in veteri testamento non ignota 339. An omnes, immo impii, sint resurrecturi 341. vno eodemque tempore 342. an idem numero corpus 338. seq. Eius causae 342. 343. Errores in hoc capite 338. seq.
Resurrectionis Christi veritas 576
Reuelationis specialis 1) *Necessitas* & origo 20. 53. an in statu integritatis locum inuenerit 53. progressus & incrementa 53. 2) *Modi* varii (a) *immediati*, & quidem simpliciter per Spiritum S. 54. symbolice, per sortes, insomnia, ecstases 54. (b) *mediati*, per angelos 55. 3) *Characteres* veritatis 18. 56. 4) *Obiectum* 57. quid ab inspiratione differat 59
Reuelationes Iudaeorum 58. an hodiernae 59
Reuelationes hodiernae 59. An in rebus fidei obtingere queant 60
Romanus Pontifex, vid. *Pontifex.*

S.

Sabbatum in statu integritatis 381
Sacerdotale officium Christi 595
Sacramenta quid proprie loquendo sint 499. 1) *in statu integritatis* 391. an sabbatum & arbor scientiae 392. 2) *in statu patriarchali* quot 499. 3) *in interuallo vet. testamenti* quot sacramenta fuerint 500. 507. vid. *Circumcisio* & *Pascha.* 4) in *nouo testamento*

mento quot sint sacramenta 739. baptismus 739. sacra coena 755
Sacramenti in genere & proprie dicti 1) *definitio* & requisita 499. 2) *Caussa* efficiens principalis 500. instrumentalis, seu conditio administrantis 500. 3) *Materia* & *forma* 501. 4) *Effectus* 502
Sacrificiorum origo & institutio 492. caussae & scopus 492. vsus inter gentiles 492
Sacrificium magnum Christi quid distet a sacrificiis veteris testamenti 596
Salutis aeternae promissio 474. caussae & media 468. 469. necessitas 104. vid. *beatitudo.*
Sancti an mundum iudicaturi sint 345. 348
Sanctitas in quo consistat 165. 730. Dei 165
Sanctificationis christianorum 708. 1) *Terminus* a quo 713. ad quem 714. 2) *Subiectum*, intellectus & voluntas 715. reliquae facultates 719. corpus 721. 3) *Caussa* 722. 4) *Adfectiones*, necessitas, vtilitas 725. difficultas, imperfectio 726. perseuerantia 727
Sapientia quid 146. spiritualis 644. hypostatica 146. attributum Dei 145. hominis in statu integritatis 372. diuina quomodo differat ab humana 715
Sapientiae liber 94
Satisfactio Christi 31. 598. rei & sponsor 599. iudex & praestatio 600. finis & veritas 602. necessitas 602. iustitia 604. vniuersalitas & praestantia 605
Scandalum datum & acceptum 448
Scepticismus 38
Schismata ecclesiae maxime sunt funesta 820. eorum caussae & auctores 821
Scriptores sacri 59
Scripturae sacrae origo 62. 1) *Auctor* primarius 62. secundarii 64. Θεοπνευστία & γνησιότης eius 59. 2) *Materia*, phrases 65. *forma*, sensus, lingua & characteres, quibus consignata est 66. 3) *Proprietates* α) *auctoritas* 67. an ea aliunde, quam ex sacra scriptura, adstrui queat 75. β) *Efficacia* 76. an extra vsum maneat 77. γ) *Perfectio* 78. ratione partium integrantium, & quod nihil deperditum 78. ratione doctrinae 78. δ) *Perspicuitas* rerum & verborum 79. Qua ratione obscuriora loca explicanda 81. vid. *interpretatio.* 4) *Auctoritas canonica* 88. vid. *canon.* quinam libri sint canonici, quinam apocryphi 93. An vnica norma in theologica cognitione 95. 96. 5) *Finis cui*, ab omnibus legenda; immo in versionibus 98. 6) *Obiectum*, seu, quid in ea quaerendum 103. cur leuiores circumstantiae & res commemorentur 104. 7) *Finis cuius*, beatitudo 104. institutio pastoris ad veritatem defendendam 105. 8) *Errores* in hac doctrina 105
Sensus verus scriptoris quis 81. an duplex in sacra scriptura admitti queat 82. litteralis 82. vid. *mysticus sensus.*
Sensuum externorum delectatio in vita aeterna 321. cruciatus in inferno 328
Septuaginta interpretes 102
Sextiduum creationis 217. seq.
Signum filii hominis 355
Similitudo quomodo differat ab imagine 366. hominum & Dei 319
Somnia reuelationis modus 54
Sortes diuinatoriae 54. an in eligendo verbi diuini ministro adhibendae 839
Spectra an dentur 274. an sint animae hominum 275
Spes meliorum temporum 354
Spiratio Spiritus sancti actiua 200. passiua 202
Spiritus simplicitas & attributa 240. exsistentia & natura 237. vid. *angelus.*
Spiritus sanctus, modus reuelationis 54. pro donis gratiae 714
Spiritus sancti, tertiae diuinitatis personae, realis distinctio a patre & filio 186. 187. diuinitas probata 196. seq. ὁμοουσία cum patre & filio 198. processio 202. An ille creator mundi 197. supremus

mus controuersiarum theologicarum iudex 96. eius inhabitatio in fidelibus 703
Status duplex Christi 565. legalis veteris testamenti 505. animae post mortem 337
Status integritatis 363. seq.
Stilus sacrae scripturae 65. eius simplex maiestas 69
Stultitia quid 420
Summum bonum 113
Symbolum apostolicum an articulos omnes fundamental. contineat 29
Symbolica reuelatio 54
Systemata theologicor. origo 47
Systematica methodus tractandi theologiam 47. 48

T.

Tentationes an irregenitis obtingant 449
Termini mysterium trinitatis exprimentes 199
Terminus vitae 294
Testament. quid a foedere distet 478
Testamentum vetus quodnam sit interuallum 488. eius temporis doctrina praecipua 503. promissiones spirituales 503. cultus externus, eiusque causae 505. sacramenta 507. status seruilis 506. vid. *religio Mosaica.*
Testamentum nouum 513. eius praerogativa 513
Testamentum vetus & nouum pro sacrae scripturae libris 66. 88. sq.
Testis veritatis requisita 24
Θεὸς nomen Dei 120
Theologus quis 34. an irregenitus impiusque talis dici queat 43. qua ratione quis euadat theol. 43. 44
Theologia & fides quomodo differant 43
Theologiae vox quid denotet 35. variae diuisiones 36. finis 42. obiectum 41. subiectum operationis 41. causa efficiens 46. methodus tractandi 46. conservatio verae theologiae 49. principium cognoscendi 95. cf. *relig.*
Theologia systematica 47. exegetica 47. homiletica, catechetica 47. exoterica & acroamatica 47. moralis & positiua 48. archetypa & ectypa 36
Theologia naturalis, v. *religio nat.*
Θεοπνευστία 59. vid. *inspiratio.*
Θεωσεία quid 8
Transsubstantiatio 773
S. *Trinitatis mysterium* est articulus fundamentalis 31. an in veteri testamento fuerit cognitum 178. sq.
Trinitas demonstrata 182. conf. 179

V.

Vates, vid. *propheta.*
Veracitas Dei 170
Verbum Dei, scriptura 62. an extra vsum sit efficax 76. sq. v. *scriptura.*
Verbum substantiale 183
Verbum internum in sano sensu 14
Veritas theologica 36. 70
Veritas religionis, vid. *religio.*
Versionum sacrae scripturae necessitas & vtilitas 100. vsus in ecclesia 102. requisita bonae versionis 102
Virtutes 162. an Deo tribui queant 162. & Christo 532. cardinales 732. omnes indissolubili vinculo sunt connexae 730. an viribus naturalibus comparari queant 714
Visio Dei 311. 312. *Visiones* 54
Vita spiritualis 641. aeterna, v. *beat.*
Vitae humanae terminus 294
Vocatio triplex Christi 580
Vnio sacramentalis 766
Vnio mystica Dei & fidelium 306. quod reuera detur 722. quomodo a personali differat 535. eius modus 723
Vnio personalis siue hypostatica in Christo 534. quomodo ab aliis vnionum modis differat, & an accidentalis 535
Vnio naturalis in Christo 535
Vnitas Dei 10. 130
Vniuersalitas reuelationis & gratiae diuinae 19. 467. foederis gratiae 22. 473. decalogi 40. euangelii 483. vocationis diuinae 485
Vocatio Dei interna & externa 485. vniuersalis 486. inaequalis 486
Vocatio verbi diuini ministri mediata & immediata 838. ecclesiae particulares iure, verbi diu. ministros vocandi gaudent 838. requisita illorum, qui vocandi sunt 839
Voluntas Dei 146. eius variae distinctiones 150
Voluntatis libert. 147. corruptio 421

adstrui queat 75. β) *Efficacia* 76. an extra vsum maneat 77. γ) *Perfectio* 78. ratione partium integrantium, & quod nihil deperditum 78. ratione doctrinae 78. δ) *Perspicuitas* rerum & verborum 79. Qua ratione obscuriora loca explicanda 81. vid. *interpretatio*. 4) *Auctoritas canonica* 88. vid. *canon*. quinam libri sint canonici, quinam apocryphi 93. An vnica norma in theologica cognitione 95. 96. 5) *Fruis cui*, ab omnibus legenda; immo in versionibus 98. 6) *Obiectum*, seu, quid in ea quaerendum 103. cur leuiores circumstantiae & res commemorentur 104. 7) *Finis cuius*, beatitudo 104. institutio pastoris ad veritatem defendendam 105. 8) *Errores* in hac doctrina 105

Sensus verus scriptoris quis 81. an duplex in sacra scriptura admitti queat 82. litteralis 82. vid. *mysticus sensus*.

Sensuum externorum delectatio in vita aeterna 321. cruciatus in inferno 328

Septuaginta interpretes 102

Sextiduum creationis 217. seq.

Signum filii hominis 355

Similitudo quomodo differat ab imagine 366. hominum & Dei 319

Somnia reuelationis modus 54

Sortes diuinatoriae 54. an in eligendo verbi diuini ministro adhibendae 839

Spectra an dentur 274. an sint animae hominum 275

Spes meliorum temporum 354

Spiratio Spiritus sancti actiua 200. passiua 202

Spiritus simplicitas & attributa 240. exsistentia & natura 237. vid. *angelus*.

Spiritus sanctus, modus reuelationis 54. pro donis gratiae 714

Spiritus sancti, tertiae diuinitatis personae, realis distinctio a patre & filio 186. 187. diuinitas probata 196. seq. ὁμοουσία cum patre & filio 198. processio 202. An ille creator mundi 197. supremus